




Geo Duffield

HERMANNI VENEMA
COMMENTARIUS
AD
PSALMOS
CXI — CL.

QUO

SINGULORUM ARGUMENTUM, TEMPUS ET HYPOTHESIS EXPLICANDI, INPRIMIS STUDIOSE INQUIRITUR, EORUMQUE PARTES CONTINUA PARAPHRASI ET SELECTIS OBSERVATIONIBUS ILLUSTRANTUR.



LEOVARDIÆ,
Apud H. A. DE CHALMOT, MDCCLXVII.

ERUDITISSIMO

AC

CELEBERRIMO

VIRO

HERMANNO VENEMAE

S. S. TH. DOCTORI EJUSDEMQUE
FACULTATIS ET HISTORIAE EC-
CLESIASTICAE PROFESSO-
RI ORDINARIO.

NEC NON

CONCIONATORI ACADEMICO

QUUM

*COMMENTARIO SUO IN PSAL-
MOS DAVIDIS MANUM SU-
PREMAM IMPONERET.*

VENEMA, *Thespiadum decus immortale sororum*
Et merito summis annumerande viris;
Frisia quem jactat, quo Franeka docta superbit,
Et tumefacta suum tollit in astra caput.

TE

TE mea musa canit, vigilatorumque laborum
Aeternum celebrat carmine laeta decus.
TU facis aethereae rutilae vel lampadis instar
Doctrinâ illustras abdita quaeque tuâ.
Sive doces sanctas lapsas & ab aethere celso
Artes ac magni jussa verenda Dei.
Sive refers varios casus, diversoque fata,
Quae subiit quondam gens adamata Deo.
Seu referas veterum divina oracula Vatum,
Eventuque probas vera fatenda suo.
Sive Palæstini captus dulcedine plectri,
Pandis Jësssæi nobile vatis opus.
Scilicet: illa tuum mansit quoque gloria nomen
Et deërat meritis laus ea sola tuis;
Ut tua divino doctissima scripta Poëtae
Præferrent nitidam, VENEMA magne, facem.
Ingeniisque virum non vestigata priorum
Ingenii erueres dexteritate tui.
Quisque tuos igitur laudabit jure libellos
Qui sacra Davidis carmina rite colit.
Et quicunque pio veri ducetur amore:
Versabit cupidâ scripta polita manu.
Quae nec tempus edax perdet, nec sera vetustas:
Nam nunquam possunt haec monumenta mori.
Nostra igitur primos cecinit quae Musa labores,
Nunc quoque finitum laeta salutat opus.
Quo tua, si castis dentur sua praemia Musis,
Gloria non ullo est interitura die.

PETRUS NOTA.

COMMEN-

HERMA


Theol. et Hist. Ecc

natus in pag

Talis in artifici mirandus imagine orbis,
VENEMA, natalis maxima pars;
VENEMA, coelestis Sophiæ cui tra
Et Pietas, pacis sancta magistra
VENEMA, cui vatum mentes Deus e,
Pandit, et ingenio vela secund.

ADER.

B. Accama pinxit, 1735. J. Houbraken sculpsit, 1767.



COMMENTARIUS

AD

PSALM. CXI.

1. *Halleluia. Celebrabo Jehovam toto corde in congressu rectorum, & coetu.*
2. *Magna sunt opera Jehovæ, quæsita omnibus, qui iis delectantur.*
3. *Majestas & decus opus ejus; & justitia ejus stat in perpetuum.*
4. *Memoriam fecit mirabilibus suis: tenerrimo adfectu & misericordia præditus est Jehova.*
5. *Carpturam dedit timentibus sui, foederis sui recordabitur in æternum.*
6. *Vim operum suorum populo suo ob oculos posuit, ad ipsis dandam hæreditatem gentium.*
7. *Opera manuum ejus sunt veritas & jus: fidelia sunt omnia statuta ejus.*

8. *Fulta in testimonium in æternum, facta in veritate & rectitudine.*
9. *Redemtionem misit populo suo: praecepit in aeternum foedus suum: sanctum & verendum est nomen ejus.*
10. *Principium sapientiae est timor Jehovae: maturitas bona omnibus* est, *qui faciunt ea. Laus ejus corusca consistit in perpetuum.*

PROLEGOMENA.

§. I.

EXcellentis hujus, & flagrantem pietatis adfectum spirantis, Cantici *argumentum* est celebratio Jehovæ, Dei Israelis, publice facta in rectorum coetu, partim in genere ab illustribus & magnis Dei operibus, coram omnium oculis expositis, partim a singulari, multisque cum miraculis conjuncta, populi sui redemtione, & in æternum foedus solenni adsumtione, qua Deus populum e manibus hostium ereptum, cum publica justitiæ & potentiæ demonstratione, in libertatem adseruerat, & in hæreditariam gentium possessionem mox immissurus erat, simul foedus æternum, luculentis promissis & justis ac salutaribus legibus sancitum, cum eo pepigerat, in quarum observatione sapientia & bona intelligentia sita erat. Poeta, posteaquam se Jehovam in rectorum consortio ac coetu esse celebraturum dixerat, primum magna Dei opera in genere laudat, dein in specie majestuosum aliquod Dei molimen, mirabilibus factis plenum, nunquam obliterandum, & justitiæ æternæ signum, extollit, quando, timentes Jehovæ fuisse spoliis ditatos, & in spem proximæ hæreditatis gentium fuisse immissos, gratus

tus enarrat. Unde ad foederis pactionem cum populo transit, ejusque leges, in æternum durantes, & in rectitudine ac justitia fundatas, extollit. Quando, molimine Dei cum foedere, illud secuto, magis perspicuis verbis repetito, concludit, veram sapientiam & salutem in foederis istius observatione esse positam.

§. II. Populus Israelis, *populus Dei* dictus, hic introducitur, 1. tanquam qui rectorum & piorum insignem copiam in medio sui habebat, & maximam partem Dei & legis studio erat adfectus: ut ex vers. 1 & 5. patet. 2. miraculose manibus hostium ereptus, & in libertatem adsertus, vers. 2, 9. 3. hostium spoliis ditatus, & in gentium possessionem immittendus, vers. 5, 6. 4. recens in foedus Dei æternum, justis & salutaribus sub legibus, adoptatus, vers. 7. &c.

§. III. De *tempore* Ps. compositi ex solis ipsius cantici criteriis judicandum est, quia nullum autorem in titulo præfert. Quod enim nonnulli *Davidem* pro autore habent, illud fallace & ficta hac nititur regula, sequentes Ps. eundem habere autorem, quem præcedens, si ipse David sit, agnoscit. Cui nihil tribuendum est, & varia exempla contrariantur. Nec desunt rationes, quæ oden hanc recentioris longe esse temporis, & in specie Maccabaici, quando populus in libertatem ex adflictione Epiphanica fuit adsertus, plus quam probabile faciunt: sive ad styli facilitatem, quæ antiquitatem non redolet, adtendamus, sive sequentia *septem*, vel *octo*, cantica, ejusdem cuncta temporis & tenoris, quod collatio unumquemque non plane imperitum docere poterit, ad animum revocemus, quæ temporis definiti longe certiores continent characteres, suo loco proferendos, sive ad *Alleluia*, quod, ab hac ode initio facto, per omnes illas seq. regnat, & temporibus Maccabaicis in frequentiore fuit usu, hisce ipsis canticis, nomine *Hallel* magni in solennioribus festis cani solitis, respiciamus, sive denique *argumenti* cantici & ge-

nuini ejus conſpectus, modo exhibiti, ratio habeatur. Cum enim nullum prophetiæ indicium ſeſe hic offerat, ode tunc fuerit facta, quando populus Dei eo fuit in ſtatu, qui hic repræſentatur, dubium vix eſſe poteſt. Illo autem tempore coetus erant piorum, & Dei reverentium, qui *Chaſidæi* adpellabantur, vigebant etiam *ſynagogae*, ad quas verſ. 1. digitus videtur intendi, ſtudium legis cum maxime florebat, quo haud obſcure in fine Pſ. reſpicitur. Populus denique ſtupendo prorſus opere erat in libertatem vindicatus, & in ſpem proximæ hæreditatis Gentium adductus; inſignem denique in Deo laudando, variisque odis celebrando, poſuit operam; ut ex hiſtoria Maccabaica conſtat.

§. IV. Ceterum in illud ſpeciatim tempus egregie quadrat cantici argumentum, quo populus recens erat libertate donatus, ſub Simone Ethnarcha, & ſpoliis hoſtium devictorum ditatus, ſed nondum inter vicinos populos ditiones ſuas extenderat; verum illud paulo poſt faceret. Quo nos manifeſte ducit verſ. 6., ut mox videbimus. *Scopus* cantici eſt, populum ad laudes Deo canendas excitare, & formulam laudationis in manus dare, ſimul in ſancto hoc opere ei præire, *occaſionem* præbente felicitate temporum, a Deo miraculoſe conceſſa, & in poſterum concedenda. De quo ſcopo ſicut materia cantici ſatis teſtatur, ita ejus inſcriptio nos dubitare non ſinit. Habet illa הללו יה *Allelujah*, *laudate Deum*, qui ſummam ſuam decentiam, & perfectionum concentum, mirabili modo demonſtravit, partim in hoſtibus deprimendis, partim in populo ſuo liberando, & in proſpera conditione collocando. Quibus in caſibus *Alleluia* cani ſolebat, ut, cum aliunde, tum ex Ap. XIX: 1. eluceſcit. Ceterum vox *Alleluia* non tam pro initio, quam inſcriptione cantici habenda eſt, ut ex litteris Alphabeti Hebraici, quæ ſingulis membris ordine præmittuntur, pateſcit. Incipit enim ille ordo demum cum ſeq. voce אודה *celebrabo*.

§. V. Methodus, qua *argumentum* tractatur, *verbalis* eſt

est & *realis*. In *verbali*, seu stylo, & structura orationis, illud tantum singulare occurrit, quod, ut modo observavi, singula hemistichia, vel potius singula membra, ordinem Alphabeti Hebr. observent, primis singulorum membrorum vocibus cum littera Alphabeti, ordine decurrente, incipientibus. Quod cum elegantiæ poesios, tum memoriæ succurrendæ ergo, aliquando fuit in nonnullis canticis observatum. Cetera fluit oratio facili stylo, nec interstincta est multis luminibus, aut variis personis loquentibus.

§. VI. *Partes* Ps., in quibus methodus *realis* sita est, sunt sequentes. I. *Prima* est propositi de Deo publice laudando testificatio, vers. 1. II. *Secunda* materiam, seu argumentum, celebrationis Dei continet, vers. 2—9. Quod א. in genere proponitur, in illustribus Dei operibus, & in iis elucescentibus perfectionibus justitiæ & gratiæ, situm, vers. 2—4. ב. specialius deducitur respectu *α. beneficiorum* in populum, partim collatorum, partim conferendorum, vers. 5, 6. *β. Legum* populo præscriptarum in signum *foederis* cum eo erecti, vers. 7, 8. ג. Per modum conclusionis clarioribus verbis repetitur, vers. 9. III. *Tertia* pars conclusionem cantici comprehendit, qua partim populum vera *sapientia* instruit, partim *laudes* Dei in perpetuum fore declarat vers. 10.

ANACRISIS.

§. VII. Hisce præmissis, ad hypothesin, ex qua Ps. explicandus est, quæ clavem rectæ interpretationis præbet, investigandam accedamus. Interpretes, quantum mihi liquet, in tres fere discedunt partes. Alii cuncta ad Ecclesiam Israeliticam referunt, & beneficia antiquissimis temporibus, quibus ex Aegypto educta & in Cananæam introducta est, in populum collata, hic celebrari autumant. Quæ vulgatior est hypothesis. Alii ad Ecclesiam Christianam

ſtianam oculos vertunt, & bona, quibus per varias periodos mactata eſt, intelligunt. Alii denique utrumque conjungunt, & ad Eccleſiam Chriſtianam transiri verſ. 9., quem de redemtione Spirit. per Chriſtum interpretantur, cenſent.

§. VIII. Ex noſtra hypotheſi א. intra limites Eccleſiæ Israeliticæ manendum eſt, quod nulla ſit ratio ab ea discedendi, nullum quoque ſenſus prophetici indicium, denique quod ode ſit laudatoria in uſum iſtius Eccleſiæ, qua beneficia jam collata celebrantur. *Præcepta* quidem una cum *foedere æterna* dicuntur, ſed illud de foedere *Sinaitico* plus ſemel occurrit, & faciles admittit explicatus, uti mox videbimus. *Redemtio miſſa populo* cum de corporali beneficio æque ac Spirituali uſurpetur, nulla ratio eſt eam ad Meſſiæ tempus reſtringendi; nec commode poteſt, cum in præt. occurrat, adeoque jam facta fuerit, quando hoc canticum eſt compoſitum.

§. IX. ב. Ad beneficia antiqui temporis, quo Israel ex Aegypto eſt eductus, hic quidem adluditur, eaque ſimul celebrantur: verum nec ſolum, nec præcipue, ea in oculis fuerunt poetæ, ſed quatenus ſuo tempore, quo Pſ. confectus eſt, renovata, & illuſtrioribus ſpeciminibus confirmata, vel denuo repræſentata ſunt in redemtione Maccabaica, per quam populus iterum fuit a ſervitute & adflictione exſerta manu vindicatus, ditatus, & in poſſeſſionem hæreditatis Gentium immiſſus, foedus quoque Sinaiticum iterum confirmatum eſt. Populum recens ex Aegypto liberatum, & beneficia Dei in ipſum, hic nec ſolum nec præcipue intendi, ſequentes evincunt rationes. 1. Opera Dei, & beneficia Israelis, quæ materiam laudationis ſuppeditant, in hac ode repræſentantur, tanquam juſtitiæ Dei perpetuo durantis, recordationis Dei, qua foederis rationem habet, perpetuæ, nec non foederis æternum manentis, ſigna & effecta: ut ex toto Pſ. patet. Non itaque primi temporis, quo foedus initum eſt, ſed ſequen-

ſequentium temporum diu poſt exhibita bona, ex hoc foedere conceſſa, intelligantur, neceſſe eſt. 2. Epitheton *timentium* Dei, quibus Deus *cibum*, ſeu *ſpolium*, *dediſſe* dicitur, verſ. 5. in antiquos illos Iſraelitas, maximam partem a Deo reprobatos, minus recte, ſed in Maccabæos aptiſſime convenit. Quod facile cernitur. 3. Cum ode tempore Maccabaico ſit facta, eoque ipſo tempore populus fuerit ſimilibus adfectus beneficiis, quibus olim, Eccleſia denuo miraculoſe redemta, & inſtaurata, & foedus Sinaiticum longe ſtudioſius obſervatum fuerit, quin hæc præſentis temporis bona & illuſtria Dei molimina in ſolenni laudatione Dei præcipuas partes fecerint, fieri non potuit. 4. Ad quæ accedit, inter primam illam Aegyptiacam, & hanc ultimam Epiphanicam per Maccabæos, haud una vice comparationem fuiſſe in Pſ. & verbo Prophetico inſtitutam: de quo ad Pſ. LXXVII. egi: imo nonnunquam diſerte prædictum fuiſſe, Deum altera vice cum populo acturum, ut tempore exitus fecerat. Hoſ. XII: 10. Mich. VII: 25. *ſicut tempore egreſſus Tui ex Aegypto videre ipſum faciam mirabilia.* Quod ſolum hic ſufficit.

§. X. Qui itaque Pſ. recte intellecturus & interpretaturus eſt, is *a.* utramque liberationem, primam & ultimam, alteram ex Aegyptiaca, alteram ex Epiphanica adflictione & ſervitute, ante oculos habeat; *b.* priorem tanquam poſterioris fundamentum, & poſteriorem tanquam prioris æternum durantis ſignum & effectum, ſimul tanquam prioris renovationem & inſtaurationem, qua idem cum populo altera vice redemto foedus pangitur, quod antea, conſideret. *c.* Populum denique antiquum, recens ex Aegypto eductum, & ad montem Sinai conſiſtentem, mox in terram Cananæam intraturum, Eccleſiam vero Maccabaicam contempletur in libertatis quidem ſtatu poſitam, attamen in gentium vicinarum poſſeſſionem nondum inmiſſam. Quæ tempora ſibi reſpondent, & certis characteribus inſignita occurrunt in hac ode; cum quod populus

pulus liberatus quidem, sed hæreditate gentium nondum mactatus occurrat, vers. 5, 6. tum quod ad foederis pactionem & legislationem solennem ante factam, nunc renovatam, respiciatur, vers. 7—9.

EXPLICATIO.

§. XI. Animum in Dei laudationem publicam pronum & paratum, his verbis, quæ *prima* pars cantici est, vers. 1. exponit poeta. *Celebrabo Jehovam toto corde in congressu rectorum & coetu.* Præmissa adhortatione generali ad Deum laudandum per *Halleluia*, sive a poeta ipso, sive a cantore facienda, oden doxologicam ipse orditur, animum suum ad Deum celebrandum excitatum esse testificando. Declarat itaque, 1. se *Jehovam* laudaturum, tanquam Deum Israelis, qui omnem vim istius nominis nunc, ut olim tempore exitus ex Aegypto, exseruerat; se Deum veracem, justum simul & bonum ac misericordem, demonstrando. Quo vers. 4. respicitur. Majorem emphasin habet nominis istius memoratio, quod eo ipso tempore exitus Deus illud primum sumserit, Exod. III., ad fidem & spem populi firmandam. 2. Nec *ore* tantum & externis instrumentis aut gestibus, verum *toto animo* se id facturum esse: quod de *sinceritate*, simul *abundantia* cordis testatur, adeoque adfectum excitatum designat. 3. Addit, *in rectorum consortio & coetu;* ubicunque occasio commoda se obtulerit, & cum fructu ac decenter id fieri poterit. Quod hic ad *rectorum congressum* & *coetum* convocatum egregie restringitur. *Prior* phrasis familiariorem, qualis est amicorum & paucorum, & minus publicam, *posterior* vero communem & publicam, signat congregationem, qualis in Templo, sed in primis in synagogis obtinuit. Quæ synagogæ hoc ipso nomine עדה insigniri solent. Epitheton vero *rectorum*, quorum animus est sincerus, Dei & religionis vero ductus

ductus studio, quique a perversitate alieni rectam & regiam virtutis viam toto animo sectantur, adnectitur *congressui familiariori*, & non *cœtui* condicto; non acsi cœtus publice religionis causa coactus ex talibus non debeat esse compositus, sed quod hypocritæ rectis soleant esse admixti: inter quos distingui nequit, nec necesse est. Sed familiarius commercium est *rectorum* ac piorum, quod illud a propria electione magis dependeat, quodque non nisi justorum societas ad laudes Dei canendas apta sit.

§. XII. Ceterum ubi *a.* congressus *rectorum* nominatur, eo tempore justorum fuisse insignem numerum, & eorum privatas congregationes haud infrequentes, non inepte colligitur. Quod in tempora Maccabaica recte quadrat. *b. Cœtus* condictus cum expresse addatur, eoque nomine *Synagogæ* venire soleant, de iis hic recte quoque cogitamus; maxime cum vox absolute, nullo addito epitheto, aut restrictione, occurrat. Quod ipsum ea tempora definit.

§. XIII. In *argumento* laudationis Dei *primum* locum tenent *opera* Dei, tanquam virtutum & perfectionum Dei signa & effecta; quæ in genere his verbis vers. 2. efferuntur. *Magna sunt opera Jehovæ, quæsita omnibus, qui iis delectantur. Opera* Jehovæ hic quævis effecta Creationis & Providentiæ in genere comprehendunt in mundo & Ecclesia, quæ de virtutibus & perfectionibus ejus testantur. *Magna* ubi dicuntur, varietas, multitudo, & mirabilitas eorum indicatur. In quo nihil est obscuri. Additur, *quæsita omnibus, in iis se oblectantibus;* vel, ut alii, *secundum omnes delectationes eorum;* quod receptæ punctaturæ vocis חפציהם quidem convenientius, sed explicatu difficilius est. Longe aptius opera Dei dicuntur *quæsita omnibus, qui iis delectantur:* quod si vel punctatura non ferret, eam potius mutatam vellem in חפציהם; quod tamen necesse non est, ut Gejerus observavit. *Delectari* in operibus Dei dicuntur, qui gloriæ Dei studiosi, simul veritatis & virtutis cupidi, lubentes versantur in operum Dei contemplatio-

ne; & ex ea, quod *delectat* ipſos, hauriunt: ſed de eo verbo plura dicam ad Pſ. cxii. 1. Quod *rectorum* & *piorum* eſt genuinum criterium. *Quari* vero ab ipſis dicuntur opera Dei, ubi ea curant, ad animum revocant, accurate explorant, & ſtudioſe per ſingula euntes inveſtigant, ſimul aliis exponunt, & enarrant. Quæ omnia ambitu verbi דרש comprehenſa ſunt: verbum enim illud proprie eſt, *trivit*, inde triturando & terendo exacte *inquiſivit*, nec non *nucleum rei* extrivit in uſum & fructum alterius; unde pro concionari &c. ſumitur. Ceterum ubi *opera Dei* adpellantur *magna*, *quæſita* ab *omnibus*, *qui iis delectantur*, ſenſus eſt, *a.* opera illa, quantumvis explorata, ſemper eſſe, & manere, *magna;* quin *b.* magis adparere talia, ſi exquiſite inveſtigentur; *c.* digna eſſe, quæ ſtudioſe perquirantur. *d.* In eo denique eſſe pios & ſapientiæ veræ ſtudioſos, ut ea partim inveſtigent, partim enucleatius exponant.

§. XIV. *Opera* Dei magnifica poſteaquam in genere, tanquam *laudationis* Dei materiam, memoraſſet: ſingulare aliquod Dei molimen, juſtitiæ & gratiæ perennis luculentum ſpecimen, & celebrationis Dei peculiare argumentum, his verbis verſ. 3, 4. adjungit: *Majeſtas & decus opus ejus: & juſtitia ejus ſtat in ſeculum. Memoriam fecit mirabilibus ſuis; tenerrimo adfectu & miſericordia præditus eſt Jehova.* Memorat hic *opus* & *mirabilia* Dei, & de *opere* Dei dicit, illud eſſe *majeſtatem* ac *decus*, nec non perennis juſtitiæ ſignum & effectum; *Mirabilibus* vero *memoriam* eſſe factam tradit, ſimulque de tenerrimo Dei adfectu teſtari adſerit. Dubium mihi non eſt, quin *liberationem* Iſraelitarum ex Aegypto, eamque ſecutam populi conſervationem in Deſerto, & introductionem in Cananæam, tempore Maccabaico nova & ſimili liberatione renovatam, in oculis habuerit: cum quod verſ. 9. per *redemtionem populi* explicetur, tum quod illud opus his phraſibus,

moliminis

moliminis & *mirabilium* Dei veniat in Scriptura, & *justitiæ* ac *gratiæ* illustrissimum fuerit specimen.

§. XV. *Opus* Dei, non qualecunque, sed, vi vocis usuque, illustre, consilio Dei descriptum, & ad definitum scopum destinatum, omni adtentione dignum, cujus difficilis & ardua videtur executio, hic & alibi terribile & singulare aliquod Dei judicium, ad impiorum destructionem & populi sui liberationem tendens, ob oculos ponit, in specie, quo hostes populi sui tempore exitus ex Aegypto prostravit. Pro judicio tremendo & inexspectato, a Deo impiis in genere præparato, sumitur Jes. v: 12. *& molimen Jehovæ non respiciunt*, ut & c. x: 12. xxii: 11. xxviii: 21. Hab. i: 5. iii: 2. Ps. xxviii: 5. De singulari Dei opere, cum hostium populi sui destructione conjuncto, quo Israelem manibus eorum, inter multa justitiæ & potentiæ signa, eripuit, frequenter usurpatur, ut Ps. xliv: 2. lxiv: 10. xc: 16. xcv: 9. & alibi. Sed, licet ad illam liberationem antiqui temporis digitus intendatur, simile tamen Dei molimen, quo Syro-Macedones & improbi quoque ex Israele eo tempore sunt singulari judicio deleti, & populus Dei illustri modo vindicatus est, directe designatur; ut ex supra dictis manifestum est, & ex seq. membro mox patebit.

§. XVI. Hoc Dei molimen dicitur *majestas* & *decus*, & tanquam signum ac effectum *justitiæ* Dei perpetuo durantis consideratur. *Majestas & decus* adpellatur, quatenus partim Deo, supremo & justo mundi rectori & judici, congruum est, eumque decet, partim summæ majestatis & virtutum Dei signa præfert, in multis miraculis & justis judiciis ad hostium excidium & populi liberationem, conspicua; in primis perennis Dei justitiæ signa prætulit. Quod per sequens membrum significatur. *Et justitia ejus stat in æternum*, vel *perpetuum*. h. e. Cum incorrupta durat, tum floret vigetque, tum denique incumbit hominibus, & vim suam exserit. Quæ omnia usu & potestate verbi *stare* comprehensa sunt. *Justitia* vero Dei eam denotat in Deo

 virtutem,

virtutem, qua cuique ſecundum merita retribuit, & peccatores impœnitentes punit, oppreſſores vero innocentum reprimit & deſtruit. Quod ſuperiori membro, ſeu operi Dei glorioſo, recte adjungitur, quia juſtitiæ Dei ſignum eſt & effectum. Cum autem *opus* Dei hic non tantum judicia Dei in primos illos Iſraelis oppreſſores Aegyptios, ſed & in novos, illis ſimiles, Syro-Macedonas, & improbos Judæorum complectatur, *juſtitiæ* Dei perpetuo durantis, & vim ſuam præſtantis, luculentum erat ſignum: adeoque *perpetuo ſtare Dei juſtitiam* hinc recte derivatur, & apte ſubjungitur.

§. XVII. Cum autem *opus* Dei, juſtitiæ vindicativæ ſignum & effectum, eo ſimul collineaverit, ut Iſrael in libera ac proſpera collocaretur conditione, quæ de tenerrimo Dei erga populum ſuum adfectu teſtatur, recte additur, Deum *mirabilibus ſuis feciſſe memoriam*, & eſſe *miſericordem* ac *bonum*. *Mirabilia* Dei hic miraculoſa Dei opera ſignant in favorem populi ſui patrata, & olim tempore exitus ex Aegypto & in deſerto, & nunc temporibus Maccabaicis, quibus tenerrimi ſui erga pios adfectus ſigna dedit prorſus admiranda, populum ſuum miraculoſe liberando & felicem reddendo. Quare recte ſubjungitur, Deum *tenerrimo* eſſe *adfectu* præditum: qui emphaticis admodum vocibus exprimitur, quarum *prior* ſedem habet in *ſtridulo* ſono gutturis, quo animalia tenerrimum ergo fœtus adfectum demonſtrant, a quo *ſono* verbi רחם fictum eſt, *poſterior* vero reſpondet Gr. σπλαγχνίζεσθαι in *viſceribus adfici*, unde pro tenerrimo adfectu, & miſericordia, ſumitur. Sed quid ſibi vult, quod Deus *memoriam* mirabilibus ſuis feciſſe dicatur? Vulgo de externis ſignis & monumentis memorialibus, ad memoriam mirabilium Dei inter homines perpetuo recentem conſervandam inſtitutis, ut ſunt ſcripta, feſta, aliaque ſigna, intelligunt. Sed nec phraſis, nec ſcopus permittit, ut in eam mentem concedamus. Phraſis, non inſtitutionem ſignorum memorialium, ſed memorabilia mi-

randa

randa facere denotat; scopus quoque est, ipsa *mirabilia* Dei tanquam celebrationis Dei argumentum commemorare. *Memoriam* itaque *facere mirabilibus* suis Deus dicitur *a.* quum tot & tanta, tam multa tamque magna & illustria, coram omnium oculis publice edit, ut *memoria* eorum interire nequeat. Quo sensu *mirabilia* Dei fuisse copiosa, magna, & publica, tantum indicatur. *b.* Mirabilia Dei perpetuum & durabile habent *effectum*, quod eorum memoriam semper conservat. Quo sensu ipse populus, a Deo mirabiliter redemtus, & in terram Cananæam immissus, perpetuum est mirabilium Dei monumentum. *c.* Quum *mirabilia* illa opera Deus subinde repetit, vel singulari modo similia præstat, in populi sui commoda; quo ipso *renovatur* eorum memoria, & nova eorum eriguntur monumenta. Quod temporibus Maccabaicis illustrissime factum est.

§. XVIII. Præter hæc molimina, & mirabilia Dei opera, poeta duo beneficia, in populum a Deo collata, commemorat, tanquam celebrationis Dei materiam; quorum *prius* erat præteritum, & præsens, *posterius* paulo post futurum. Prius ita sonat vers. 5. *Carpturam dedit timentibus sui; fœderis sui recordabitur in æternum.* h. e. Sicut populum suum mirabiliter liberavit: ita timentibus sui, qui fœdus ejus studiose observant, prædam vel spolia hostium, & omnium rerum ad vitam sustentandam abundantiam, liberaliter concessit; eoque ipso demonstravit, se in perpetuum esse memorem fœderis & promissorum suorum, adeoque reliqua promissa quoque esse impleturum. Vox Hebr. טרף proprie *carpturam* signat, a rad. quæ *carpsit extremitates* denotat, unde cum ad prædam & spolia, tum ad qualemcunque victum transfertur. Respicitur quidem ad spolia Aegyptiorum, quibus Israel tempore exitus fuit ditatus, nec nod ad necessaria vitæ subsidia in deserto, miraculose sæpe suppeditata; quæ totidem signa erant fœderis a Deo in perpetuum implendi; attamen directe & primo sensu tempora Maccabaica putem intendi, quibus, post

hostes superatos, spoliis eorum fuerunt partim locupletati, partim omnium rerum copia, ad hanc vitam læte ac jucunde agendam, instructi. In quos rectius convenit *timentium* Dei titulus; cum fuerint maximam partem *Chasidæi*, & legis studiosi, qui Dei reverentia ducti pro lege & libertate religionis strenue pugnaverant, & multa passi erant. Ceterum *victus* nomine, per Synecdochen partis pro toto, quævis bona terrestria, ad hanc vitam pertinentia, comprehenduntur; eorumque hic meminit, quia fœderis Sinaitici, stricte sumti, promissa in iis sita erant. Quare apte subjungitur, Deum semper *fore memorem fœderis sui*. Quibus verbis significatur, Deum, hæc bona concedendo, quæ erant *bona fæderis*, partim luculento signo demonstrasse, se fœderis sui rationem in perpetuum habere, cum fœdus antiquissimis temporibus cum Israele pactum tanto tempore post adhuc obtinere, ex hisce bonis concessis, & in Maccabæos collatis, elucescat, partim etiam eo ipso spem fecisse populo suo, se fœderis promissa in posterum quoque, usque ad finem istius Oeconomiæ, esse repræsentaturum: id enim denotat vox *seculum*, vel *æternum*, hic & aliis in locis: uti nemini non constat.

§. XIX. Cum autem inter hæc promissa locum quoque teneat *hæreditas* Gentium, quam Israel cerneret; poeta alterum bonum, postea sistendum, his verbis apte adjungit, vers. 6. *Vim operum suorum ob oculos posuit populo suo ad ipsis dandam hæreditatem Gentium*. h. e. ejusmodi edidit opera coram oculis populi sui, quæ intrinsecam habebant virtutem & potentiam gentes ipsi in hæreditariam possessionem submittendi; ipsumque in earum possessiones inmittendi, vel, opera sua eam habitura vim, significavit populo suo, quæ Gentes ipsi in hæreditariam daret possessionem. Verbum enim *notificare*, proprie coram oculis ponere, vel *verbaliter* vel *realiter* intelligi potest, adeoque vel de *annunciatione*, vel de ipsa *præstatione* capi: ut in paraphrasi expressi. Utrumque verum est, & conjungi potest. Ceterum vis operum

rum Dei ad *hæreditatem* Gentium dandam respicit, & cum ea construi debet, ut sensus sit, opera Dei fuisse *vi* populos subjiciendi prædita, & eam etiam *vim* exertura. Quemadmodum Israelitis tempore exitus contigit, & temporibus Maccabaicis. Opera enim Dei, quibus Aegyptios & postea Syro-Macedonas prostravit, populumque mirabiliter liberavit, & locupletavit, eam habuerunt & annunciarunt *vim* Gentes populo Dei subjiciendi; quo etiam tetenderunt, & quod effecerunt. Hæreditas Gentium est respectu Israelitarum antiqui temporis ipsa *Cananæa*, sed respectu Maccabæorum *vicinas* gentes, Israeli cessuras, comprehendit, in signum spiritualis hæreditatis Gentium sub Messia, cum his temporibus connexæ, & ea secuturæ, eo nomine eximie venire solitæ: quare ejus hic ratio quoque omnino est habenda.

§. XX. Sed, cum ad fœdus Dei cum populo erectum *leges* quoque pertineant, eæque ipsæ beneficii loco sint habendæ, quas Deus ipse tulit, & tabulis in perpetuam rei memoriam inscripsit, poeta earum, in materia laudationis Dei enarranda, in specie aptissimam facit mentionem, vers. 7, 8. *Opera manuum ejus* sunt *veritas & jus: fidelia sunt omnia statuta ejus: fulta in testimonium in æternum, facta in veritate & rectitudine.* h. e. Leges, a Deo solenniter latas, in perpetuum duraturas esse, sicut Deus in ipsa legislatione Sinaitica, qua ea tabulis lapideis insculpsit, & fœdus super iis pepigit, demonstravit; ita & temporibus Maccabaicis confirmavit, quum eædem leges renovatæ sunt, & religionis Israeliticæ causa magnifice triumphavit. Ex quo, leges Dei æternum mansuras, manifestum fit. Respicitur ad legislationem Sinaiticam, eamque perpetuum habere effectum, sicut legum earum instauratio sub Maccabæis evicerat, docetur.

§. XXI. *Prius* vers. 7. membrum ad *Decalogum* referendum est, tabulis lapideis ab ipso Deo insculptum; *opera manuum ejus veritas & jus.* h. e. id, quod verum & justum

est,

eſt, Deum ipſum habet auctorem, & defenſorem, quo illud manibus ſuis inſculpſit tabulis lapideis, eoque ſenſu fecit. Subjectum non eſt *opera manuum ejus*, acſi ea dicerentur vera & juſta, ſed ipſum verum & juſtum, quod hic prædicatur eſſe *opus manuum* ejus, ut ex ſeq. membro manifeſtum eſt. Agitur itaque de inſtitutis & legibus *veris* & *juſtis*, quæ hic emphatice ipſa *veritas* dicuntur & *jus*, quatenus rerum naturæ & relationibus conveniunt; de quibus adfirmatur, eſſe *opera manuum Dei*, adeoque *ſapienter* & *perenniter* inſtitutas, & proprerea a Deo ipſo *tabulis* inſcriptas, quo hic omnino reſpicitur, & ipſa phraſis nos ducit: ſic Ex. XXXII: 16. tabulæ legis diſerte adpellantur *opus Dei*, nec non *digito Dei conſcriptæ*, ib. XXXI: 18.

§. XXII. Additur, *omnia ejus ſtatuta* eſſe *fidelia* ſeu *firma*. Vox Hebr. ſignat *mandata*, *commiſſa*, injuncta, quæ & *viſitanda* & *judicanda* ſunt ſuo tempore. Verbum enim dicit *viſitare* & *judicare*, inde quid *commendare* & *injungere* alicui, quod vim habet *obligandi*, & jus examinis ac judicii præbet ſuo tempore. De his *ſtatutis* dicitur, ea eſſe *fidelia* & *firma*, proprie firmum ponere greſſum facta. h. e. ſolido fundamento ſuperſtructa, & firmis rationibus munita, ita ut divelli, loco moveri, aut refutari nequeant. Quod temporibus Maccabaicis luculenter fuit demonſtratum. Quam apte vero hoc ſuperiori membro adjungatur, ſponte ſua eluceſcit. Cum enim dixiſſet, verum & juſtum eſſe manuum ipſius Dei opus, recte ſubjungit ſtatuta ejus eſſe *firma*, de quo ipſa inſcriptio tabulis a Deo facta teſtabatur.

§. XXIII. Quo verſ. ſequens etiam tendit, qui finem inſcriptionis in tabulis, & fundamentum perennis durationis, complectitur. *Finem* hæc verba exprimunt, *fulta in teſtimonium in æternum*. Quod in tabulas legis rectiſſime quadrat: quæ inde *tabulæ teſtimonii* adpellantur, & propterea in æternum rei monumentum in *arca* fuerunt adſervatæ. Verum quidem eſt, ſecundum hodiernam punctaturam

ram vocem לעד non *in testimonium*, sed *æternum*, verti debere. Sed mihi vix dubium est, quin, aliis substitutis punctis, legi debeat לְעֵד *in testimonium*, cum quod sensus sit illustrior, tum quod stylo usitato vox hæc fuisset postposita, non præposita, ut hic, si *æternum* signaret. Nec sine exemplo est, hanc vocem male esse punctatam: sic enim Jes. xxx: 8. qui locus nostrum egregie illustrat: ubi Deus Jesaiam his verbis adloquitur, *Scribe illud in tabula & exara in libro, ut permaneat in dies seculares, in testimonium, usque in seculum:* sic enim legendum, & non לָעַד. Robur addit, quod liber legis ad latus arcæ diserte jubeatur ponendus לְעֵד *in testimonium* Deut. xxxi: 26. Ceterum ubi statuta Dei *fulta* dicuntur *in testimonium usque in seculum*, haud obscure ad tabulas fœderis, in arca repositas, respicitur. Verbum enim Hebr. proprie signat, *fulcire palis*, & *in altum erigere.* Solètque de *palo* usurpari, quo tentorium tensum & elatum fulcitur. *Fulta* itaque sunt statuta, quatenus tabulis insculpta, & in Tabernaculo reposita, sub tutela Dei sint stabilia futura, nec loco movenda.

§. XXIV. Fundamentum perpetuæ obligationis statutorum Dei exhibent sequentia verba, *facta* in *veritate* & *rectitudine.* h. e. tabulis a Deo inscripta, & populo præscripta, ad ipsius *veritatis* & *rectitudinis* normam; ita ut *ipsissima* sint *veritas* & *rectitudo. Facta* dicuntur, quatenus *opus manuum* Dei sunt, ut modo vidimus; adeoque quæ Deum habent autorem, qui hoc legum corpus confecit, & suis manibus *tabulis* insculpsit, vel per Mosen *libro* inscripsit. Ex. xxiv. *Veritas* vero & *rectitudo* ipsas rerum essentias & naturales relationes comprehendunt; quæ hic, partim tanquam *norma* legum Divinarum, partim tanquam naturam & qualitates earum internas constituentes, partim denique tanquam *finis* & *scopus* earum considerantur. Quæ omnia ambitu phrasios continentur. Facta *in veritate* dicuntur; quæ secundum eam facta ipsam eam exprimunt, & ad eam producendam tendunt. Verti enim potest & *secundum*,

ad *normam* veritatis, & *ipsissima veritas*, & *ad eam*. Ex quo natura legum & scopus egregie elucescit, simul *stabilitas* & perennitas ejus. Leges Mosaicæ partim sunt leges naturales, quæ intrinsecam & æternam habent *rectitudinem* moralem, partim ad eam in animis Israelitarum producendam tendebant, omnes erant justæ, æquæ & bonæ, statui populi, & naturæ œconomiæ istius, adcommodatæ.

§. XXV. Argumentum laudationis Dei, generalius propositum, & specialius deductum respectu beneficiorum & legum, tandem summatim per modum conclusionis repetitur, vers. 9 *Redemtionem misit populo suo: præcepit in æternum fœdus suum: sanctum & verendum est nomen ejus.* Respicitur quidem ad liberationem Aegyptiacam, typico agni mactati *pretio* factam, quæ *redemtionis* habuit conspectum, & hoc ipso nomine venit Exod. VIII. eamque secutam, & in ea, tanquam primario & fundamentali bono, quo Deus populum acquisivit, fundatam, *Legislationem* Sinaiticam, quæ *pacti* & fœderis habet speciem; attamen *Epiphanicam* sub Maccabæis proxime intendi, tanquam Aegyptiacæ renovationem & complementum, ex dictis manifestum est. Quo nomine æque recte ac *Babylonica* venire potest, Jer. XXXI: 11. Ps. CXXX: 7. Jes. XXXV: 10. & alibi. Fuit quoque Maccabaica redemtio signum & effectum *fœderis* in *perpetuum* durantis, ut mox subjungitur: cum vi fœderis, a Deo cum Israele ad montem Sinai pacti, ea contigerit populo. Additur denique *sanctum* & *verendum* esse Dei nomen, ut partim *perennitas* fœderis, a Deo sancto & potentissimo initi, indicaretur, partim Deum sese talem in populo redimendo, & fœdere pangendo, præstitisse, inculcaretur, partim ad fœderis accuratam observantiam populus excitaretur, quia res ipsi est cum *sancto* & *verendo* Numine. Vid. Jos. XXIV: 19.


§. XXVI. *Tertia* Ps. pars, quæ cum veram exponit sapientiam, tum laudis Dei perennitatem continet, Psalmum apte concludens, ita sonat, vers. 10. *Principium sapientiæ*

pientiæ est *timor Jehovæ: maturitas bona omnibus est qui faciunt ea. Laus ejus stat in perpetuum.* Prior versus pars doctrinam practicam continet, ex argumento Ps. eductam; veram sc. *sapientiam* cum timore Dei incipere, & in eo esse sitam; & perfectam *prudentiam* sese in iis exserere, qui *præcepta* Dei observant. Loquitur de *timore* Dei, & *observantia* præceptorum ejus, in qua sita est timor Dei; ut sæpe inculcatur in Script. *Deum timere & facere ea*, sc. quæ timor Dei imperat & exigit, timorem Dei & ejus effecta continet, adeoque præcepta Dei ex timore Dei filiali præstare denotat. In hoc *timore* Dei, ipso facto demonstrato, situm esse declarat *principium sapientiæ*, & *bonam intelligentiam*, seu *prudentiam* perfectam. *Principium sapientiæ* dicitur timor Dei 1. quia cum timore Dei incipit sapientia, cujus epocha ab eo tempore, quo Deum quis revereri incipit, est repetenda, 2. quia primum est sapientiæ indicium & effectum; primi ejus fructus, *primitiæ* sapientiæ; de quibus vox Hebr. usurpari solet. 3. quia præcipuum & summum sapientiæ in timore Dei situm est, vera & perfecta sapientia, longe eminentissima ejus pars. Quam potestatem vox Hebr. quoque præfert. 4. Denique addi potest, sapientiam, quæ timorem Dei peperit, ab ipso illo etiam produci; eoque sensu, si rem ipsam spectes, dici posse timorem Dei principium activum sapientiæ. Ubi enim reverentia Dei viget, certam habet quis normam sapienter agendi, nec non continuo ad id impellens & excitans principium.

§. XXVII. Additur *bona maturitas*. h. e. plena & perfecta maturitas, cum in consiliis formandis & actionibus instituendis, tum in felici successu & scopo adsequendo. Quod utrumque ambitu vocis *maturitatis*, quæ primigenia est radicis שכל potestas, comprehensum est. Hæc *bona*, seu plena & perfecta, quam notionem hic & alibi habet vox *bona*, maturitas, seu intelligentia & prudentia, cum prospero eventu & felicitate conjuncta, adesse declaratur illis, qui ea faciunt,

ciunt, ſc. timoris Dei præcepta, ut modo obſervavi. Quo ſignificatur, eos ſolos pro veris prudentibus eſſe habendos, & ſolos conſilia & actiones feliciter inſtituere, & finem beatum habituros, qui Deum timent, & reverentiæ ejus convenienter vivunt. Quod Job. xxix: 28. his verbis exprimitur. *En timor Domini ſapientia, & recedere a malo prudentia.*

§. XXVIII. Subjungitur, *laus ejus ſtans in aeternum*, ſc. ſit & erit, ſive ſtet, ſtabitque laus ejus in æternum, ut ſimul votum, ſimul rei futuræ declarationem, contineat. Pertinet vero relativum *ejus* ad Deum, quod facile cernitur, & aptam Pſ., qui cum *laudatione* Dei incipit, & multiplicem celebrationis Dei materiam repræſentat, concluſionem continet.



PSALM.



PSALM. CXII.

1. *Halleluia. Beatum virum!* qui *timet Jehovam*, & *præceptis ejus studiose operam dat.*
2. *Validum in terra erit semen ejus: generationi rectorum benedicetur.*
3. *Abundantia & divitiæ in domo ejus* erunt, *& justitia ejus stat in æternum.*
4. *Exorta est in tenebris lux rectis, tenerrimo* cuique *prædito adfectu, misericordi & justo.*
5. *Bonum* vel *beatum virum! qui miseretur & mutuo dat: sustinebit causas suas in judicio.*
6. *Quia in æternum non dimovebitur, æternæ memoriæ erit justus.*
7. *Malo a rumore non timet: firmum est cor ejus, innixum Jehovæ.*
8. *Fultum est cor ejus, non timebit, donec intuitus fuerit hostes suos.*
9. *Sparsit dedit egenis, justitia ejus stat in æternum, cornu suum elevabit in gloria.*
10. *Videbit inpius, & ægerrime faciet, dentibus suis stridebit & contabescet. Cupiditas inpiorum peribit.*

PROLEGOMENA.

§. I.

UTiliſſimi & elegantiſſimi hujus cantici *argumentum* eſt, ſtatus viri, pietate & juſtitia ac beneficentia illuſtris, admodum in hac quoque vita felicis, oppoſite ad improbos, luculenta deſcriptio & celebratio, partim ad laudes Dei, hujus beatitatis fontis, partim ad pietatis & virtutis promotionem, inſtituta; qua *beatus* non tantum & felix pronunciatur Dei hominumque amans, ſed & partes felicitatis, reſpectu copioſæ & illuſtris poſteritatis, opum & divitiarum perennitatis & firmitatis, etiam poſt mortem, denique fiduciæ & ſecuritatis, vel in mediis periculis, ringentibus impiis hoſtibus, recenſentur. Poeta primo beatum proclamat virum Dei reverentem & legis Dei ſtudioſum; quam beatitatem mox explicatius, & *ſeminis*, & opum ac perennitatis, reſpectu, tradit, immixtis fundamentis, a promiſſis Dei, & temporis circumſtantiis, petitis. Deinde, ad virtutis, in primis beneficentiæ, laude celebres viros pergit; eosque cum felices eſſe teſtificatur, tum etiam reſpectu firmitatis, æternitatis & ſecuritatis, vel in mediis periculis, deducit. Quando, per modum concluſionis, diverſiſſimam piorum & impiorum ſortem ſubjungit.

§. II. In ſcenam hic prodit, ut argumenti pleniorem dem intellectum, 1. Pius quidem & probus, Dei & hominum amans, in genere, nullo facto perſonarum diſcrimine, attamen non qualitercunque, ſed inſigniter pietatis & virtutis ſtudioſus, qui in eo totus eſt, & earum qualitatum luculenta præbet ſpecimina: ut ex verſ. 1., & toto Pſ. pateſcit. 2. Bona, quæ ipſi, tanquam cum pietate & virtute connexa, promittuntur, licet ad futurum ſeculum indirecte, ad hoc tamen præſens ævum directe & primo

ſenſu ſpectant, nec qualemcunque ſtatus felicitatem, verum magnam, & omnimodam, qualem hæc vita dare poteſt, comprehendunt: ut cuique Pſ. relegenti ſponte ſua in oculos incurrit. 3. Nec illud negligendum eſt, piiſſimum hunc virum proponi in medio quaſi hoſtium & improborum hominum, ipſi imminentium, degentem, & ad ſummum felicitatis gradum, ipſis videntibus ac ringentibus, adſcendentem; hoſtes vero impios illos interea evaneſcere, vel mala morte perire: ut eſt verſ. 10. 4. Denique *felicitas* hæc graviſſimis ſubjungitur calamitatibus & diſcriminibus, quibuscum juſti & recti conflictati ſunt, nec omni, ſed certo ac definito tempori adligatur, quo Deus ſingulari ſuo judicio ſeſe rebus humanis interponere ſolet, improbos puniendo, & pios liberando, & uberrimos pietatis fructus largiendo. Cujus indicium in eo eſt, quod *lux rectis* dicatur *orta in tenebris* verſ. 4., quodque pius *cauſam ſuam in judicio* recte & feliciter tuiturus legatur, verſ. 5. tum denique, quod improbis pudor & exitium denuncietur, verſ. 10.

§. III. Occaſionem itaque Pſ., quo ſumma hujus vitæ proſperitas cum pietate connectitur, & piis adjudicatur, præbuit ſingularis, & inexſpectata, rerum in melius immutatio, qua, cum, improbis dominantibus, de piis eorumque cauſa videretur actum, Deus ſuo judicio intervenit, quo tanta orta eſt in medio populi cataſtrophe, ut minime fallacem ſpem ſummæ proſperitatis, populo Dei concedendæ, cum improborum excidio, conceperint prudentes fatorum & temporum æſtimatores. Inter quos noſter fuit poeta, quisquis etiam fuerit, de quo nihil conſtat, qui læta hac rerum facie excitatus hoc poema condidit, quo pietatis & virtutis ſalutares fructus, nunc producendos, in medium profert, & celebrat: eo ipſo ſignificans, nunc adlucere incipere illud tempus, quo pii ſint convenienter pietati ſuæ tractandi, & proſperitate gaviſuri, improborum contra peritura ſit exſpectatio. De quibus temporum circum-

cumſtantiis, adeoque occaſione cantici, luculenter teſtatur verſ. 4. ubi in præt. vel præſ. dicitur, *exorta eſt*, vel *exoritur rectis lux in tenebris*. Quo etiam tendit, quod benignitatis & miſericordiæ plenus vir *cauſam ſuam* in *judicio* dicatur *vindicaturus*, verſ. 5. de quo mox.

§. IV. *Tria* licet per totam Oeconom. V. fuerint tempora, in quæ characteres modo ſignati conveniunt, *Davidis* & *Salomonis*, *Hizkiae*, & *Maccabaeorum*, quod unusquisque, Script. & hiſtoriæ peritus, facile perſpexerit: *Maccabaica* tamen tempora equidem non dubitaverim præferre, & huic cantico adſignare; quia præcedens & ſequentes Pſ. ad ea pertinent, & noſter ejusdem quoque eſt tenoris ac ſtyli. Cui robur addit comparatio cum variis Jeſaiæ locis, de Eccleſia illa agentibus, ut c. XXVI, XXXIII, &c. inprimis cap. LVIII & LIX. ubi ratio redditur, quare Eccleſia Israelitica, poſt exilium Babylon., ad proſperitatem, ipſi promiſſam, eniti nondum potuerit, & vera ad eam via panditur; prorſus eadem, ac quæ hic traditur. Utitur etiam noſter poeta iisdem phraſibus, acſi illud, quod Jeſ. ibi prædixit, nunc fuiſſe repræſentatum voluiſſet inſinuare. Conf. quoque Mal. III: 16. & ſeq., & ibi comm. noſter. Verum in ſpecie illud *tempus* compoſiti Pſ. figerem, quo, Hieroſolyma a Juda Maccabæo recuperata, & Templo repurgato, ſacrisque reſtitutis, feſtum *encæniorum* prima vice fuit celebratum, & poſteritati commendatum, quod in memoriam inſperatæ proſperitatis, tunc adluceſcentis, feſtum *Luminum* dictum eſt. Quo digitum intendi in phraſi, *lux orta* eſt *in tenebris*, ſtatuere nihil vetat. Præcipuum hujus opinionis fundamentum in eo eſt, quod *lux* jam *exorta* fuisſe dicatur, proſperitas tamen rectorum, una cum improborum excidio, promittatur, &, piis cum hoſtibus adhuc rem fore, indicetur. Tempus itaque Pſ. adſignandum eſt, quo læta ſunt ſummæ proſperitatis piorum prima jacta fundamenta. Quod illud ipſum eſt, cujus mentionem feci.

§. V. Hoc tempore Chaſidæis opportune ob oculos ponebantur

nebantur lætiſſimi pietatis & charitatis fructus, qui ſeſe jam tunc oſtendere incipiebant, ſed brevi poſt ad maturitatem venirent; quando pii & juſti, florente rep. & ab hoſtibus vindicata, promiſſis foederis Sin. ſummo gradu fruerentur. Ex quo ſponte ſua ſeſe offert *ſcopus* cantici; qui ab altera parte eſt, pios ad ſtrenuum pietatis & virtutis exercitium excitare, & in ſpe futuræ proſperitatis confirmare; ab altera vero parte, Deo laudes canere ob pietatem, ejus ope triumphantem & coronatam. Sicut enim ipſa pietas & virtus, inter homines vigens, Deum glorificat, ita beatitas cum ea conjuncta de virtutibus Dei teſtatur, & materiam præbet multiplicem Deum, fontem ejus, & largitorem uberrimum, celebrandi. Quem ſcopum inſcriptio cantici diſerte memorat: præmittitur enim הללויה *Halleluia*: de quo ad præced. Pſ. dixi.

§. VI. Methodus *verbalis*, ſeu ſtylus & ſtructura poetica, cum a ſuperiore cantico nihil differat; de *reali*, ſeu *analyſi*, tantum erit dicendum. Partes Pſ. *tres* ſunt. I. *Prima* eſt *pietatis* commendatio & celebratio a beatitate, in bonis hujus vitæ etiam conſpicua, cum ea connexa, verſ. 1—3. II. *Secunda* deſcriptionem continet *felicitatis*, quæ partim inceperat, partim ſequeretur, quam ſtudium *virtutis*, ſeu officiorum erga proximum, in primis *charitatis*, adfert, verſ. 4—6. III. *Tertia* hanc doctrinam de pietatis & virtutis felicitate illuſtrat, & confirmat ex oppoſita improborum ſorte infelici, verſ. 10.

ANACRISIS.

§. VII. Inveſtigatione hypotheſios Pſ. explicandi ſuperſedere liceret; cum ex ſupra dictis de *occaſione*, *tempore*, & *ſcopo* ejus luce meridiana clarius ſit, canticum ad pios & probos Judæorum ejus temporis, quo compoſitum eſt, primo & directe eſſe adplicandum; dein ad pietatem &

virtutem in genere & omni tempore commendandam tendere. Nec aliquid hic occurrit ab hac hypothesi alienum. Sunt tamen nonnulli, ne aliorum conjecturas, temere plane & pro arbitrio factas, memorem, qui de *Christo* vel *Ecclesia* Christiana primorum seculorum, usque ad tempora Const. M., hic cogitant; sed sine ulla ratione; ut facile patet. Nullum non tantum Christi aut Ecclesiæ Christianæ hic occurrit criterium distinguens, sine quo si a populo antiquo ejus temporis discedamus, lubrica & arbitraria fiet Ps. interpretatio; cum & virtutes *pietatis* ac *charitatis* in pauperes, quæ hic in primis celebrantur, & *bona*, piis promissa, in V. Oecon. populum recte conveniant; non hoc tantum, inquam, sed & istius Oeconomiæ distinguentem ac proprium characterem præbent bona externa & corporea hujus seculi, quibus pietas & virtus insigniter coronanda declaratur: ut inspectio cantici quemvis docere poterit. Quæ mystice de bonis Spiritualibus explicare velle, non est nisi præjudiciis occupati, & hypothesi litantis, Interpretis.

EXPLICATIO.

§. VIII. In prima Ps. parte, א. propositio occurrit, vers. 1. ב. ejus deductio & confirmatio, vers. 2, 3. א. Propositio, quæ pietatem ac felicitatem copulat, ita sonat, vers. 1. *Beatum virum! qui timet Jehovam, & præceptis ejus operam dat valde.* In textu Hebr. אשר *qui* deficit, ellipsi usitata, sed hic ex voce אשרי *beatum* orta, vel per eam absorpta, ne repeteretur. Præterea particula conjunctiva *&* in seq. membro deficit, ut ordo alphabeticus, qui litteram ב. requirebat, observaretur: sed hæc leviora sunt. Mentio fit *viri*, qui *Jehovam timet*, & *præceptorum ejus* est studiosissimus cultor. *Vir* ubi adpellatur, unusquisque quidem sine discrimine intelligitur, attamen digito

gito monstratur insignis aliquis, eo nomine dignus, & laude hac celebris, quales hoc tempore inter Judæos fuerunt plures, sed inter eos unus & alter præ aliis excellens, ut ex. gr. *Mattatias* ejusque Filii, Judas Maccab., Jonatan, Simon. &c. Qualitates hujus viri in *timore Jehovæ* & *summo legum Divinarum* studio ponuntur. Quæ minime difficiles habent explicatus.

§. IX. *Timor Jehovæ*, Dei Israelis, simul veri Dei, veracitate, gratia & justitia, summo gradu præditi, est serium studium Deum, tanquam benignissimum Patrem, simul potentissimum Dominum & justissimum Judicem, reverenter habendi, & vel minimam ejus offensam in omnibus solicite vitandi, ne aut amori ejus quid adversum faciam, aut ipse damnum patiar. Quæ *timoris* definitio, vel circumscriptio, omnes hujus virtutis partes complexa, sicut filialem, cum amore conjunctum, a *servili* & *mercenario* probe distinguendum, intelligendum esse docet; ita *præceptorum* Dei observantiam continere, & producere, manifestum facit. Qui enim Deum tanquam Patrem amat, tanquam potentissimum Dominum reveretur, & justissimum Judicem metuit, adeoque ejus offensam vel in re minima vitare studet, & amori ejus quid contrarium facere veretur, is utique sese ad voluntatem ejus faciendam, & præcepta observanda, totus componere debet. Quare recte additur, & *præceptis ejus studiosissime operam dat.* Vulgo redditur, *qui præceptis ejus valde delectatur:* sed verbum Hebr. plura involvit. Proprie dicit חפץ *inclinationem*, *inflectionem;* unde ad voluntatem translatum est, & cum lubentem mentis ad aliquid faciendum determinationem, tum etiam lætam animi adfectionem, quam acquiescentiam & delectationem adpellamus, ex bono aliquo, quod desideramus, seu possidemus, natam, comprehendit. In specie de *occupatione*, & *negotio*, quod totam mentem ad se trahit, & quis studiose ac summa cum delectatione facit, usurpatur: ut Ecclef. III: 1. Job. XXI: 21. & alibi.

Quam poteſtatem & hic habet: adeo ut recte vertatur, qui ſtudioſe & cum voluptate præceptis Dei meditandis & præſtandis occupatus eſt. Emphaſin addit vocula *valde*, quæ ſummum, & intenſive & extenſive, ut dicitur, ſtudium, ſummam occupationem & operam deſignat. Ex quo elucescit, non qualemcunque pium, ſed præcellentem in pietate, & ſtudio legum Divinarum, virum hic intelligi. Quales ſeſe præſtiterunt Chaſidæi hoc tempore, qui ardente legis & religionis ſtudio ducti, ejus cauſa omnia egerunt, omnia paſſi ſunt; ſimul ejus meditationibus ac obſervantiæ accuratam & ſedulam navarunt operam: ut ex hiſtoria conſtat.

§. X. Hic *vir* ubi *beatus* proclamatur, omnigena felicitas in hac & futura vita ipſi adjudicatur a Jehova, partim vi nominis & virtutum ejus, partim promiſſorum, quæ dedit, partim ab ipſorum præceptorum naturalibus effectis exſpectanda. Quam *felicitatis* amplitudinem ipſa phraſis Hebr., ſive *felicitates viri*, ſive *bene viro* vertatur, ambitu ſuo comprehendit. Theſis itaque, hoc verſu propoſita, eſt generalis, adeoque non reſtringenda; quæ ſummam felicitatem cum timore Dei, & præceptorum ejus obſervantia, in hoc & futuro ſeculo copulat, ſeſeque ad omnia tempora extendit, & ad omnes pios, legisque ſtudioſos, ſeſe adplicari patitur, ſalva tantum ſapientia Providentiæ Dei, quæ in hujus vitæ felicitate variis modis diſtribuenda conſpicitur. Habet utique & ſub N. T. *pietas promiſſum hujus & futuræ vitæ*, teſte Paulo, ne alia proferam.

§. XI. 1. In propoſitionis deductione bona hujus vitæ, *felicitate* comprehenſa, recenſentur aliqua, ſimul ratio bonorum additur, & propoſitio confirmatur: cujus duo ſunt articuli; *alter* ad ſemen copioſum & potens, *alter* ad domus opulentiam reſpicit. *Prior* his verbis effertur; verſ. 2. *Validum in terra erit ſemen ejus: generationi rectorum benedicetur.* Quæ *duo* verſus membra ita cohærent, ut *prius* felicitatis aliquam partem comprehendat, *poſterius*

erius ejus confirmationem. Cum superiore versu pius & studiosissimus legis Divinæ cultor fuisset in genere felix & beatus declaratus; hic aliqua ejus pars, ad hanc vitam spectans, in specie memoratur, quæ hoc tempore maxime ad rem faciebat, relate ad *posteros* viri pii; de quibus adfirmatur, *eos fore prævalentes in terra;* ut pios non tantum, sed & eorum posteros partem in hac eorum felicitate habituros esse sciremus. *Semen* signare posteros, in specie tales, in quibus parentum imago refulgescit, & per quos nomen parentum propagatur, & ad quos eorum hæreditas devolvitur, notum est, vel ex promisso Abrahami, *in Isaaco Tibi vocabitur semen.* Cum vero viri pii *semen* dicitur præpotens futurum; eum tali posteritate gavisurum esse, tacite indicatur. Sed non imbecillem aut vilem fore, verum *potentem* & *gloriosum*, directe promittitur. Vox Hebr. גבר proprie *consolidatum* & *in solidum roboratum* esse, signat, unde ad vim victricem & potentiam dominantem, qua quis reliquis præpollet & prævalet, aliisque dominatur, transiit. Sensus itaque est, pium virum in terra habiturum esse præpotentes, & dignitate ac potestate conspicuos, posteros; quemadmodum in Abrahamo, Davide, aliisque, etiam in Mattathia & Maccabæis veritatem suam, ut notum est, habuit.

§. XII. Confirmationis, & non adpositionis, ergo additur, *generationi rectorum benedicetur.* h. e. viri pii semen in terra fore validum, ex eo firmatur, quod *benedictio* Dei sit super *rectorum generatione*, Promisso Dei & experientia teste. Verba continent thesin generalem, in promisso Divino, & ejus gubernatione, fundatam; quæ habet, *benedictam esse generationem rectorum*, ut de Abrahamo, ejusque Filiis, sæpe occurrit: & in Decalogo Ex. xx., ac in proclamatione nominis Jehova coram Mose, Ex. xxxiv. ipsis verbis adseritur: quo hic respicitur. Ceterum ubi *generatio rectorum* adpellatur, & majores, quorum est generatio, & ipsos posteros, qui generationem vel semen

conſtituunt, *rectos* eſſe debere, ſi benedictionis futuri ſint participes, indicatur. Quod & alibi inculcatur, & locis citatis. *Recti* vero adpellantur, qui modo *timentes* Dei & legis ſtudioſi, quales *rectitudine* morali, de qua mox, prædıti ſunt. *Benedictio* autem, quæ huic generationi adjudicatur, latius ſeſe extendit, & quævis alia bona, de favore Dei teſtantia, comprehendit. Quæ facilia ſunt.

§. XIII. Alter articulus ita ſonat, verſ. 3. *Abundantia & divitiæ in domo ejus; & juſtitia ejus ſtat in æternum.* Redit poeta ad felicitatem pii amplificandam, & ſemini potenti addit *abundantiam* & *divitias;* ita ut ſufficientibus non tantum ad facilem & commodam vitam degendam, ſed & maxima opum ac poſſeſſionum copia ſit domus ejus gaviſura. Prior vox הון proprie dicit *facilis*, *commodus*, *fuit*, unde ad *ubertatem* omnis copiæ, ut *vita facilis* Lat. pro opulenta, tranſiit. Altera vox עשר ſummam omnium rerum copiam, *divitiarum* nomine inſigniri ſolitam, comprehendit. Quæ vitæ *commoditas* & *opulentia* cum pietate connectitur, partim quod pietas hominem aptum reddat ad divitias recte poſſidendas & utendas, ut in ſeq. dicetur; partim quod ad bona terreſtria, in foedere Sin. promiſſa, & eæ pertineant; partim denique quod ad potentiam & ſplendorem, modo memoratum, tuendum multum faciant.

§. XIV. Poſterius membrum, *& juſtitia ejus ſtat in æternum*, difficiliores habet explicatus; ſed, ex mea ſententia, haud unum admittit. *a. Primus* ſenſus, quem huc adprime quadrare cenſuerim, ex primigenia vocis Hebr. צדקה poteſtate, qua *recto-rigidum* ſignat, eruendus, perennem & immobilem ſtatus *ſtabilitatem* comprehendit, qua ſeſe hac parte *inflexilem*, & *rigido* tenore perſtantem, nulla vi, nulla vetuſtate, ſuperabilem, præſtat. Quod ſicut apte *recto-rigidum* adpellatur, ita cum potentia & opibus recte jungitur, ne, eas ad breve tempus duraturas eſſe, ut fieri adſolet, opinaremur. Sic plane Prov. VIII: 18.

divitiæ

divitiæ & *gloria mecum* sunt, dicit sapientia, *opulentia edurans* & *justitia*, eodem sensu. *b. Secundus* est, ex usitata vocis notione, qua *justum* denotat, ut dicitur, *titulum*, seu *jus* legitimum in rem, *justo* titulo eam potentiam & opes habere pium, simul nullam de eo cum effectu movendam esse in posterum controversiam, verum jus illud ejus in hasce opes duraturum in perpetuum. *Justitia* itaque pii stare dicitur in perpetuum, quatenus justo titulo possidebit, & retinebit opes, absque ut unquam convelli & refutari possit &c. *c. Tertius* denique huic adfinis, sed alio relatus & ulterius se extendens, fert, *jus* pii ad bona foederis petenda & consequenda fore perpetuum, & durabilem ipsi horum bonorum possessionem facturum. *Justitia* pii itaque *jus* denotat, ipsi ex præstitis conditionibus foederis in ejus bona & promissa paratum. Quod *jus* non est ex opere meritorio, sed sola Dei gratia, unde promissa fluxerunt, verum in *veracitate* Dei fundatum, qua Deus promissis & dictis suis fidem præstat. Cum itaque conditiones foederis sunt observatæ, exigit veracitas Dei, ut bona repræsentet, & inde *justitia*, seu *jus* in ea, nascitur. Quo sensu habetur, Jes. LVIII: 8. *Tunc erumperet tanquam aurora lux tua, & instauratio tua cito efflorescerei: & iret coram Te justitia tua.* Sic & alibi. Hoc sensu verba fundamentum continent, cui felicitas modo descripta innititur, ut facile intelligitur. Ceterum ubi *æternum* stare ejus effectum traditur, hac vita non terminari, sed in omnem æternitatem durare, tacite insinuatur. Quæ latius non exsequor.

§. XV. Quod Jes., rationem adflicti reducum ab exilio Babylonico status durantis redditurus, & viam ad pristinam prosperitatem ac plenissimam instaurationem monstraturus, prædixit, c. LVIII: 9. *si e medio tui abstuleris jugum, porrigere digitum, & loqui vanitatem: & depromferis esurienti animam tuam, & animam adflictam saturaveris; orietur in tenebris lux tua, & caligo tua evadet meridies:* Illud ipsum,

ipſum, quo tempore Pſ. noſter compoſitus eſt, fieri jam incepiſſe, & ulterius futurum eſſe, in hac *ſecunda* Pſ. parte declarat & prænunciat poeta. Qui, poſteaquam beatitatem viri, Deum timentis, & leges ejus toto animo obſervantis, explicuiſſet, ad eorum, qui juſtitiæ & benignitatis officia erga proximum præſtant, felicitatem, partim præſentem, partim mox futuram, deſcribendam aptiſſime pergit, cum quod hæc officia cum timore Dei cohæreant, & ex eo fluant, eoque ex principio fieri debeant, ſi Deo placitura ſint; tum quod ipſæ illæ virtutes ad hominum felicitatem, & perennem proſperitatem, ſponte ſua ducant. Occurrit vero in hac parte א. propoſitio felicitatis, partim præſentis partim futuræ, cum juſtitiæ & charitatis virtutibus connexæ, verſ. 4. ב. ejus uberior explicatio, & confirmatio, verſ. 5—8. ג. Concluſio & repetitio verſ. 9.

§. XVI. א. Propoſitio ita ſonat, verſ. 4. *Exorta eſt rectis lux in tenebris: tenerrimo prædito adfectu miſericordi & juſto.* h. e. omnibus & ſingulis, animo & vita integris, qui juſtitiæ & bonitatis officia ex animo implent, adluxit in mediis calamitatibus tanta cum efficacia proſperitas, ut, quin ad ſummum culmen inſtar exorti ſolis progreſſura ſit, dubium nullum ſit. Adpellat poeta eos, quibus hoc bonum adſignat, in genere *rectos*; quos mox a *juſtitia* & *beneficentia* commendat; ut eorum characteres accuratius exhiberet. *Recti* dicuntur, quorum adfectiones & actiones ſibi non tantum reſpondent, oppoſite ad hypocriſin, alias *integrorum*, vel *rectorum* eodem nomine, & *ſincerorum*, inſigniri ſoliti, ſed & virtutibus Dei, ipſisque rerum relationibus & proportionibus, tanquam æternæ omnis perfectionis moralis regulæ & exactiſſimæ normæ, conveniunt. Quam regulam cum Deus legibus, ſive animo inpreſſis, ſive publicatis, expreſſerit; *recti* ſunt, qui ad eas animum vitamque componunt; utique eo unice tendunt, &, ut id faciant, omnes intendunt nervos.

§. XVII. *Rectis* ubi addit *tenerrimo* præditum *adfectu miſericor-*

sericordem & *justum*, nominibus singularis numeri usus; sicut *erectorum* lineas ducit, ita *singulis* illud, quod modo *rectis* in genere tribuerat, adsignat. Quæ vera est & additionis, & *numeri* mutati ratio. Sunt, qui per *gratiosum misericordem* & *justum* intelligunt ipsum Deum, sive per ellipsin præpos. ם. a justo &c. sive, *lucem* rectis exortam ipsum Deum declarari, velint. Sed 1., ne impeditiorem fieri orationem dicam, nullum adest *Dei* indicium; quod abesse non posset. 2. illæ ipsæ qualitates rectorum mox in seq. expresse memorantur. Rectius itaque per adpositionem cohærent cum *rectis*, ad eorum qualitates depingendas. Cum autem officia, quæ proximo debemus, ad *justitiam* & *beneficentiam* referri possint, quorum *illa* in eo sita sunt, ut alterius perfectionem & felicitatem ipsi relinquamus integram & salvam, eique, quod *suum* est, sive in quod dominium habet, & quod *justo titulo* possidet, tribuamus, *hæc* vero eo tendunt, ut alterius perfectionem & felicitatem augeamus, vel *tueamur*, ac *vindicemus*, ad quæ *amor*, quo alteri, quod nobis, volumus, nos obligat: utriusque generis *officia* hic repræsentat poeta; ubi rectos adpellat & *beneficos* & *justos*. Beneficum vocat *tenerrimo adfectu præditum*, & *misericordem*. Prima vox, quam *gratiosum*, *beneficum misericordem*, vertere solent, proprie *maternam pietatem* & *intimam teneritudinem* τῆς στόργης exprimit, & sedem primigeniam habet in stridulo gutturis sono, quem animalia, adfectum erga foetus suos significantia, edunt: a quo sono fictum est verbum חנן: ut sæpe notavi. Depingit itaque hominem, qui vero & flagrante amore proximi, vel studio in ipsius felicitatem, ducitur. Quod est omnium erga proximum officiorum principium & fons: quare recte præmittitur. Cum vero hic *amor* sese in primis exserere soleat, quando in misero, vel paupere, statu versatur proximus, hæc charitatis & liberalitatis qualitas in specie exprimitur, ubi *misericordia* adjungitur. Radix Hebr. רחם proprie est σπλαγχνίζεσθαι in *visceri-*

bus adfici, & de matre adhibetur, foetum molliter fovente, & tenerrime amante; unde ad opera *misericordiæ*, quibus egenis, adflictis & miserabilibus, ex intimo adfectu succurrimus, transiit, de quibus passim usurpari solet. Adjungitur denique *Justus*, qui in alterius perfectione & felicitate ipsi relinquenda, absque ut ei vel minimum noceat, aut damnum faciat, exactissimus & *recto rigidus* est. Vox proprie *recto-rigidum* signat, inde metaph. eum, qui vigorem virtutis in *dictis* & *factis* constanter & invicte retinet; radix enim æque *veracem* ac *justum* significat. Denotat itaque *constantem & perpetuam voluntatem suum cuique tribuendi*: ut JCti solent definire.

§. XVIII. De his rectis, officia beneficentiæ & justitiæ exactius implere studentibus, dicitur, *lucem ipsis exortam esse in tenebris*. h. e. pulsis malis & calamitatibus, quibus undiquaque premebantur, nec exitum reperiebant, lætam contigisse liberationem, & adluxisse omnigenam prosperitatem, civilem & sacram, privatam & publicam; quæ indies procederet, ad plenam meridiem, seu summum gradum, usque. Non dicitur *orietur*, sed *exorta* est, ut indicaretur, initia prosperitatis jam tunc fuisse conspicua, absque tamen ut ad plenum diem pervenerit, sed *ortam* tantum esset lucem, adeoque ulterius adhuc processuram: quod ipsum hic intelligitur. Non enim *lux* mox interitura, sed clarius & latius spargenda ob oculos ponitur: quod facile cernitur, & ex ipsa verbi זרח *oriri* potestate eruitur. Signat enim *sparsionem luminis cum rutilatione*. Sic Jes. LVIII: 10. *Orietur in tenebris lux tua, & caligo tua evadet meridies*. Sic Debora in cantico, Jud. V: 31. *qui Jehovam diligunt, sunt ut sol exiens*, vel *procedens in potentia sua*. Ceterum *lucem* esse prosperitatis & lætæ conditionis, *tenebras* vero calamitatis cujuscunque & tristis status, emblema, notius est, quam ut demonstrare aut illustrare opus sit. Ps. XCVII: 11. *Lux sparsa est justis, & lætitia rectis corde*. Quam apte vero hæc in statum Judæorum quadrent, quo, a Juda Macca-

Maccabæo in aliquam libertatem vindicati, ſacra inſtaurarunt, & feſtum encæniorum, ſeu *luminum*, prima vice celebrarunt, nemini non in promptu eſt.

XIX. ב. In propoſitionis *deductione α.* beatitas in genere cuivis bono & miſericordi adſignatur, verſ. 5. his verbis, *Bonum virum! qui miſeretur & mutuo dat.* h. e. felix profecto eſt eritque, quiscunque ſit, qui beneficum ſeſe & liberalem præbet indigenti & petenti. Quod modo met. per *lucis ortum*, illud nunc proprie exprimit, ubi *beatum* pronunciat virum; ſic enim potius verterim & intellexerim, quam cum aliis pro qualitate morali *bonitatis*. Hoc enim ſi voluiſſet poeta, dixiſſet *vir bonus*, ut ſtylus Hebr. fert, nec *bonitas* moralis huc apte quadrat. Vox Hebr. etiam de *felicitate* uſurpatur, ſeu *bono* phyſico, ut dicitur, nec tantum *morali:* ut Jeſ. III: 10. *dicite*, vel *celebrate juſtum, quod bonus*, ſeu felix ſit & fortunatus, Jeſ. XLIV: 17. *fuimus boni, nec malum vidimus.* Deut. XXX: 16. *poſui coram te hodie vitam & bonum, ac mortem & malum.* Ex quo locus Mich. VI: 8. explicandus eſt, *coram te poſuit* (Deus) *o homo*, מה טוב *quænam ſit felicitas* a te quærenda, & quæ via ad eam; *ecquid Jehova requirit a te?* ſc. ad bonum conſequendum. *Bonus vir* ſc. eſt, vel bene viro, o bonum virum! quemadmodum initio Pſ., *qui gratis dat*, vel *mutuo.* Relativum *qui* hic per ellipſin ſupplendum eſt; ut initio Pſ., & ſæpe alias. Qualitates iſtius viri laudabiles in *beneficentia* ponuntur; cujus duo in primis ſigna & effecta memorantur, ex quibus de reliquis judicium ferri poterat. *Prius* reſpicit ad egenos & miſeros, quibus ex tenerrimo adfectu ſponte & gratis ſuccurrit, ſive paupertatem eleemoſynis ſublevet, victum & amictum largiendo, ſive miſeros & adflictos ore & opere conſoletur, iisque opem ferat. Occurrit idem verbum, cujus modo habuimus derivatum, quod proprie tenerrimum adfectum τῆς ϛόργης continere dixi, uſu vero de liberali donorum & bonorum in pauperes collatione uſurpatur. Sic Pſ. XXXVII:

21. Prov. XIV: 21, 31. XIX: 17. & alibi. *Posterius* pro objecto habet non quidem egenos & pauperes, sic absolute dictos, sed qui nostra opera pro tempore indigent, eamque implorant, & in eo situm est, quod lubente animo, sine spe lucri, nostrorum bonorum usum fructum concedamus: quod verti solet per *mutuo dare;* non male, si vox *mutui* latius, quam JCtis solet, sumatur, & *creditum*, *commodatum*, *depositum*, *contractum innominatum*, & similia comprehendat. Verbum Hebr. לוה proprie dicit, *implicari*, *ac illigari multis spiris ac flexibus*, unde inter alia idea *mutui*, & alieni boni usus fluxit, quo quis implicatur, obligatur, & nexu alicui devincitur. Ceterum ubi *mutuo dare* legitur, illud simpliciter fieri, sine *pignore*, multo magis *foenore*, observandum est. De quo Deut. XV. ipsa lex præcepit, & Ps. XV. tanquam pietatis & bonitatis signo agitur, *pecuniam* non *usuræ causa* collocare. Quod Dominus a suis Discipulis quoque exigit Matt. V: 42. Luc. VI: 34. XI: 5. *Mutuo dare* itaque hic occurrit, tanquam laudabilis viri boni & proximi amantis *qualitas*, ut & Ps. XXXVII: 26. *omni die largitur liberaliter* & *mutuo dat:* ad quam quis stricto jure non est obligatus, nec omni tempore, & erga omnes; cum nec omnia pignora, omnes usuræ sint illicitæ, sed temporibus adflictis & periculosis, & erga eos, qui vel arctiore nobiscum necessitudine sunt colligati, vel sine suo damno notabili pignus aut foenus dare nequeunt, quibus nos facile caremus. Verbo, ubi *beneficentia*, & tenerrimus erga proximum adfectus, id sponte sua postulat. De quo hic pluribus agere non licet, aliqua dixi ad Ps. XV.

§. XX. Talis vir ubi *felix* pronunciatur, tacite quidem insinuatur, eum esse *fortunatum*, quod *liberalitatem* exercere, & *mutuo* dare, possit, quo sensu etiam Dominus dixit, *beatius esse dare quam accipere*, Act. XX: 35. & *mutuo* dare adcensetur privilegiis ac prosperitati, ut est Deut. XXVIII: 12. *mutuum dabis gentibus multis, & tu non accipies mutuum.*

Prov.

Prov. XXII: 7. ſed directe & aperte indicatur eum hoc officio probe fungentem benedictione ac favore Dei gaviſurum, & beatitatis omnigenæ conſortem futurum eſſe. Quod non ita eſt intelligendum, acſi liberalitas vel ſola, & ſeorſim conſiderata, vel ex merito operis & operantis, hanc felicitatem haberet conjunctam. Quod haud difficulter cernitur. Charitatis opera cum beatitate connectuntur ex *nexu* & *ordine*, quem Deus in conſilio & oeconomia gratiæ inter *fidem* & *opera*, eorumque fructus & conſequentia, ordinavit. Nec ſola liberalitas, licet & illa fructu non careat, ſed cum *fide* & *adfectu* conjuncta, tanquam exſtans & illuſtre ſignum & effectum, adeoque cum reliquis virtutibus connexa, hanc felicitatem adfert. Quemadmodum Matt. XXV. & alibi conſiderantur: ſic & nexus cum ſuperioribus noſtro in Pſ. manifeſte requirit. *Liberalitatis* vero expreſſa fit mentio, cum quod *charitatis* proximi, ſimul timoris Dei, ſit luculentum & præcipuum ſignum & effectum, tum quod eo tempore, de quo in hoc Pſ. agitur, eam exercendi multiplex foret occaſio, cum tempora illa Epiphanica multos in miſeriam & paupertatem conjecerant; tum denique quod Judæis, bonorum temporalium avidis, hoc officium maxime erat commendandum & inculcandum. Quod idem propterea factum eſt Jeſ. LVIII. & alibi, ſæpe in Pſ. & apud Prophetas.

§. XXI. β. *Beatitate* ſtatus in genere propoſita, & promiſſa, ejus partes in ſpecie deducit poeta; ut animi fortius moverentur. Memorat autem *duo* felicitatis ſigna & effecta, *alterum* ad *juſtificationem* in *judicio* ejusque conſequentia pertinet, *alterum* ad *ſecuritatem* ſtatus contra hoſtium inſultus ſpectat. Prius his verbis proponitur, verſ. 5, 6. *Suſtinebit cauſas ſuas in judicio; quia in æternum non dimovebitur, æternæ memoriæ erit juſtus.* Ubi *a.* ſeſe offert bonum, ſeu privilegium viri liberalis, verſ. 5. *b.* ejus confirmatio, verſ. 6. *a.* Prærogativa in eo ponitur, quod *cauſam ſuam in Judicio tuiturus ſit.* Quæ verba non æque

feliciter tractarunt Interpretes. Vulgo vertuntur, *moderabitur verba vel res ſuas in* vel *cum judicio*, h. e. ſapienter ac prudenter; & vel de verborum, vel rerum prudente diſpoſitione, qua modus in omnibus ſervatur, & exceſſus evitantur, interpretantur. Sed, præterquam quod verba non qualitatem moralem, ſed beneficium, quod liberali & miſericordi contingeret, deſcribant, ut ex nexu & ſtructura orationis patet; verba hunc ſenſum non ferunt, nec ſcopus admittit. Verbum Hebr. כלכל non denotat *moderari*, *temperare*, ſed primo *continere*, *capere*, ſicut vas liquorem aut arida *comprehendit;* dein *ſuſtentare*, *tueri*, ſeu efficere, ne contentum diffluat, aut excidat. Sic pro *ferre*, *ſuſtinere*, *in ſtatu ſuo conſervare*, ſignat. Jer. xx: 9. Zach. xi: 16. Prov. xviii: 14. *Animus viri ſuſtinet morbum ſuum.* Secunda vox, *verba ſua*, ſæpe pro *cauſa* judiciali, pro *lite*, ſeu diſputatione in judicio, uſurpatur; quemadmodum radix frequentari ſolet in *actionibus judicialibus*, notatque controverſiam judiciariam agitare, diſceptare & longius *deducere*. Pſ. l: 1. li: 6. 2 Sam. xiv: 10. proprie dicit, *ſtruere*, & *longius nectere* ac *deducere*. Tertia vox, *in judicio*, ad tribunalia & actiones judiciales manifeſte quoque ducit. Senſus itaque, quem verba ſponte ſua exhibent, eſt, virum pium & beneficum, per opera charitatis, quæ edidit, *cauſam ſuam* ita *in judicio*, ſive Divino, ſive humano, tuiturum eſſe, ut triumphet, & juſtificatus, ac encomio ornatus, diſcedat, oppoſite ad impium, qui ubi *judicium de ipſo inſtituitur*, in judicio *non ſtare* dicitur, Pſ. i: 5. cum contra piis promittatur, *omnem linguam*, *quæ contra ipſos* in *judicio ſtabit*, eſſe *condemnandam*, Jeſ. liv: 17.

§. XXII. Cum vero *judicium* ſit, vel *Divinum*, vel *humanum;* in utroque dici poteſt pius, & charitatis plenus vir, *cauſam ſuam* tueri; quatenus 1. *Deo*, juſte ſemper & æque judicanti, ſeſe adprobat, & benignum ab aliorum conſcientia judicium non poſſit non referre, modo adfec-

adfectibus non abripiantur & corrumpantur. Ex operibus charitatis, quæ præstitit, de bono & laudabili ejus statu, & animo, non poterit non favorabile judicium ferri a Deo & hominibus, ita ut, si in judicium vocetur status, vel causa, ejus vi operum charitatis absolvatur, & tanquam justus & bonus laudetur, necesse sit. 2. Nec illud tantum, sed *jure* ipsum ad bona foederis gaudere, adeoque hujus & futuræ vitæ bonis gaudere debere & gavisurum esse, secundum ipsius Dei judicium, quod nullius non conscientia adprobare debeat, indicatur. Quod ipsum supra dictum fuit, *justitiam ejus stare in æternum.* 3. Denique, ubi Deus *judicium* suum rebus humanis interpositurus sit, quod subinde singulari modo fit, & hoc ipso tempore, quo Ps. compositus est, factum fuit, & fieret; causa hujus viri, & ejus similium, triumpharet, ita ut jus in bona hujus vitæ ipsis sit divinitus adsignandum, cum hostium condemnatione & excidio. Cujus illustrissimum hoc tempore in Maccabæis, & legis studiosis, fuit specimen conspicuum. 4. Tandem, non pro brevi tempore, sed in perpetuum, etiam post mortem apud longam posteritatem, hoc privilegio gavisurum esse hominem beneficum & liberalem, significatur. Phrasis enim, *tuebitur causam in judicio*, denotat, semper & in perpetuum tuebitur, quoties judicium de ipso instituetur. Id quod sequentia verba confirmant.

§. XXIII. Subjungitur enim mox ad bonum illud confirmandum, vers. 6. *quia in æternum non dimovebitur, æternæ memoriae erit justus.* Quem modo tenerrimi adfectus virum, & egenorum adflictorumque patronum ac sustentatorem liberalem ac misericordem, adpellaverat, eum hic *justi* titulo ac encomio ornat, cum quod *justitiae* & *charitatis* virtutes sint inseparabiles, tum quod vox Hebr. *justitia* etiam eleemosynas, & liberalitates, usu suo comprehendat, ut & Gr. δικαιοσύνη, tum denique ut, eum *causam suam in judicio* tueri posse, sicut modo dixerat, indicaret.

ret. Talem virum pronunciat *non esse dimovendum in aeternum*, quin *memoriam ejus fore perpetuam.* h. e. nec, dum vivit, statu, fortunis ac spe, plane & plene esse privandum, nec post mortem posteritate felici, aut bona memoria, cariturum, sed statum ejus fore perennem, & immobilem, quicquid etiam ad eum destruendum moliantur hostes, & memoriam ejus per longam posteritatem esse propagandam, nomenque ejus celebrandum; nec illud tantum, sed & in omnem æternitatem eum felicem fore & beatum: quod, licet non directe, attamen amplitudine & emphasi phrasios una comprehensum est. Opponitur hoc promissum inproborum fortunæ fallaci, & in turpem exitum ac miserabilem exire solitæ, ut in fin. Ps. videbimus. Ceterum verba hæc pro thesi generali & notoriæ veritatis habenda sunt, quæ ad superius privilegium, vers. 5., confirmandum tendunt: ut ex nexu per particulam causalem, *quia*, patescit. Acsi diceret: pius & misericors *causam suam* in *judicio* recte & constanter tuebitur, nec causa cadet, statuque excidet, unquam; quia certissima & testatissima veritas est, *justum non esse loco movendum in aeternum* &c. Quæ thesis, de hac vita, & hujus vitæ bonis, intellecta, non est absolute, sed restricte, & relate ad Oecon. V. certaque tempora, & rationes Divinæ providentiæ &c. capienda. De quo supra dixi, & sæpe alias.

§. XXIV. Alterum felicitatis signum respicit ad *securitatis* statum, non obstantibus rumoribus tristibus, & hostium oppugnationibus; quibus confidenter in Jehova resistit pius & justus, vers. 7, 8. *Rumore a malo non timet; firmum est cor ejus, innixum Jehovae. Fultum est cor ejus, non timebit, donec intuitus fuerit hostes suos.* Hostium adventantium, aut malorum imminentium, fama præmissa ipsi non tantum nullum incutiet metum, cum cor habeat in Deo firmum, sed ne quidem præsentia eorum animum percellet, aut pavidum reddet, sed fultum habebit, donec omnis timendi ratio cessaverit, hostibus profligatis et subactis. Quod quam


quam egregie in Maccabæos quadret, ut demonstrem, opus non est. Nihil hic obscuri, aut difficilis, nisi in ultimo vers. 8. membro. Versus continent *securitatis* descriptionem, non carnalis, sed piæ & solidæ, in Deo, ejusque fiducia, fundatæ. *Prior* vero *versus* ad mala adventantia, & eorum rumores, licet veros, pertinet, quibus carnales & improbi solent concuti, & metu corripi. *Posterior* de ipsis illis malis præsentibus agit, quæ omnem spem eorum solent eludere, & eos ad desperationem adigere. Versu posteriore plus dicitur, quam priore; adeoque repetitio *cordis firmi*, & *nihil metuentis*, non est inanis & frustranea; ut facile patescit. Ultimum vero membrum, *donec viderit inimicos suos*, duo significat, hic conjungenda; *alterum* est, ne tunc quidem metuere, cum hostes viderit ingruentes, & se invadentes; contra, iis animose resistere; & sine metu ac pavore manus cum iis conserere. Quod nonnunquam hac phrasi, *videre hostes*, exprimitur. *Videre* enim in re bellica usitatum est, & *videre* se invicem dicuntur exercitus hostiles, jam jam conflicturi. Ps. XLVIII: 6. 2 Chron. XX: 22. *Alterum*, quod phrasi comprehensum esse existimem, habet, pium & justum in Deo firmum & intrepidum consistere, usque ad hostium subactionem, donec eos *viderit prostratos;* adeoque omnis metuendi ratio cessaverit. Ex quo facile elucescit, non indicari, eum postea metu esse corripiendum; *donec*, *usque quo*, sæpe non terminum & finem durationis signat, sed simpliciter rem duraturam ad illud saltem tempus, in quo difficultas esse poterat, & dubitandi causa. *Videre* vero vel *intueri* in *hostes* eam aliq. sensus amplitudinem, quæ eorum *destructionem* involvit, complectitur, ut Ps. LII: 8. LIV: 9. XCII: 12.

§. XXV. 1. Conclusio & repetitio thesios, vers. 5. propositæ, & seq. versibus deductæ & confirmatæ, ita sonat, vers. 9. *Sparsit dedit egenis, justitia ejus stat in æternum, cornu suum elevabit in gloria.* h. e. Qui liberaliter & copiose

ſe bonà opesque in egenos quaquaverſum ſpargendo contulerit; ejus profecto *juſtitia* ſtabit perenniter, & potentiam dignitatemque poſſidebit, retinebit, & oſtendet glorioſe. Cuncta ſunt ex ſuperioribus facilia. Tantum not. 1. *ſpargere* & *dare* eſſe ſparſim, profuſe & ſimpliciter, dare in uſum pauperum. Alterum enim verbum, ubi duo junguntur, ſæpe *adverbialiter* ſumitur: uti notum eſt. 2. *Juſtitia* ejus ubi *ſtare* dicitur, illud pro *felicitatis* & *retributionis* deſcriptione habendum eſt, ut ſupra vidimus & explicuimus. 3. Denique *cornu exaltari dicitur in gloria*, quum dignitas & potentia in ſublimi collocatur, & firmo talo conſiſtit, etiam in *ſemine*, ſeu poſteris, ejus; ut Pſ. LXXXIX: 18. 25. XCII: 11. Quod facile eſt.

§. XXVI. Illuſtratur poſtremo & confirmatur doctrina, hoc cantico propoſita, ex oppoſita impiorum ſorte infelice, verſ. 10. *Videbit impius, & aegerrime faciet, dentibus ſuis ſtridebit, & tabeſcet. Cupiditas impiorum peribit.* Cujus verſus duo ſunt membra: quorum *alterum* continet impiorum ſortem infelicem & miſeram, eo tempore, quo pii proſpere agerent, repræſentandam; *alterum* generalem comprehendit theſin, ad prioris illuſtrationem & confirmationem. Prius his verbis: *videbit impius, & aegerrime ipſi erit; dentibus ſuis frendet, & liquefiet.* Quibus non tantum indignatio & tabifica invidia impiorum ſignificatur, ſed ſimul miſerrima eorum conditio, cum illis adfectibus conjuncta. Verba enim *aegerrime facere* & *tabeſcere*, ad miſeriam irritantem, & conſumentem, ducunt. Sic כעס aliq. dicit *miſeriam*, quæ ægrimoniam & indignationem vehementiſſimam ciet, ut Job. VI: 2. *alterum* verbum מסס *liquefieri, tabeſcere*, ſpeciatim in eo adhibetur, qui totus exhauritur &c. Reliqua ſunt facilia.

PSALM.



PSALM. CXIII.

1. *Halleluia. Laudate servi Jehovae, laudate nomen Jehovae.*
2. *Sit nomen Jehovae benedictum ab hoc tempore in aeternum.*
3. *Ab ortu solis ad occasum ejus laudatum* sit *nomen Jehovae.*
4. *Excelsus est supra omnes gentes Jehova, supra coelos gloria ejus.*
5. *Quis* est *sicut Jehova Deus noster? qui sese mihi sublimat ad sedendum.*
6. *Qui sese mihi demittit ad videndum, in coelo & terra.*
7. *Erigens mihi ex pulvere tenuem, e chytropode sublimabit egenum.*
8. *Ut eum sedere faciat cum principibus, cum principibus populi sui.*
9. *Habitare mihi faciens enervatam domus matrem filiorum laetam.*

PROLEGOMENA.

§. I.

ARgumentum Ps. est *formula* Deum celebrandi, servis Dei præscripta, una cum adhortatione ad ea utendum, quæ cum *votum* pro laudatione Dei per omnia

 tempo-

tempora & omnia terræ loca instituenda, tum *materiam* celebrationis Dei continet, *partim* a summa & gloriosa ejus Majestate supra omnia, in coelo & terra, evecta, *partim*, ab universali Dei providentia, ad minima, quæ in terra sunt, sese porrigente, *partim* denique a singularibus ejus speciminibus & effectis, in vilissimis & adflictis elevandis, & sterilitate cum foecunditate commutanda. Posteaquam poeta servos Dei ad nomen Dei glorificandum excitasset, Deum ubique terrarum & in æternum laudandum esse optat & jubet; quando ad infinitam Dei excellentiam, singularemque Providentiam, prædicandam pergit, & duo stupenda ejus providentiæ signa extollit, *alterum*, quo abjectæ & miseræ conditionis viros mirabiliter ad summam evehit dignitatem, *alterum*, quo familiam, quæ plane exstincta, & omni spe propagationis orba, videbatur, mirifice multiplicat, & prosperrimam facit.

§. II. Canticum, ut argumentum ejus illustrem, pro hypothesi habet. 1. Nomen Jehovæ, Dei Israelis, fuisse ante hæc tempora inter Gentes obscuratum, adeo ut Idolis fuerit postpositus, & populo Dei, quippe adflicto, illusum, acsi Deum haberet nullius faciendum, aut potentia aut bonitate privatum. Quod Ps. cxv: 2. ipsis verbis adseritur: *quare dicerent gentes, ubi est Deus ipsorum?* 2. Sed hoc tempore Jehovam tanta dedisse suæ Majestatis & Divinitatis indicia per gentes divulgata, ut laudes Deo non tantum ab Israele, sed & a gentibus, si ad rem adtenderent, accinendæ sint. Quo sicut adhortatio ad Deum laudandum, ad servos Dei directa, ita in specie & directe tendit, cum quod Deus laudandus dicatur *nunc* & in æternum, tum quod per *omnia loca* id fieri debere innuatur. 3. Inter alia providentiæ Dei signa hæc duo eminuisse hoc tempore, quæ omnium oculos & animos in se vertere debeant, adflictorum & contemtorum exaltationem, ac sterilium foecunditatem mirabilem. Quod ex illis casibus, speciatim memoratis, facile elucescit.

§. III. *Occa-*

§. III. *Occasionem* cantici, quæ ex dictis sese sponte sua offert, præbuit singularis & mirabilis rerum inter Israelitas mutatio, qua Deus antea contemtus inter Gentes nunc tanquam summus coeli & terræ rector inter omnes esset celebrandus, populus Dei antea abjectus & oppressus nunc in prospera & gloriosa conditione positus, pii in specie, & legis studiosi, antea vilissimæ & miseræ sortis, nunc in summam dignitatem & auctoritatem essent elevati, & familiæ, fere eradicatæ, nunc florerent, & amplissima sobole ditatæ essent. Quæ lætissima & stupenda catastrophe ansam suppeditabat aptissimam Deum celebrandi, & omnes ad id excitare debebat. Quod ipsum Divinum nostrum poetam, quisquis fuerit, quod plane ignotum est, ad hanc oden componendam in laudes Dei animavit.

§. IV. De *Tempore*, quo canticum est factum, ex argumento, ejusque hypothesi modo in lucem protracta, judicandum est. Cum enim nihil prophetici hic occurrat, sed Deus a signis excellentiæ & effectis providentiæ nunc repræsentatis laudetur; eo tempore necesse est ode fuerit publicata, quo hæc ipsa phoenomena locum habuerunt. Quod licet Davidis & Salomonis tempore, & postea una alterave vice, conspicuum fuerit: nullum tamen per totam oeconomiam V. ostendi potest, in quod omnia ea luculentius & exactius quadrant, præter *Maccabaicum* sub Simone & Johanne Hyrcano: quod ex historia & verbi prophetici harmonia nemini non notum est. De quo in Ps. explicatione dicetur. Hoc tempore nomen Dei Israelis, antea per summam illam adflictionem Epiphanicam contemtui expositum, una cum religione Israelitica prostituta, summe fuit per stupendam populi liberationem & instaurationem glorificatum; ita ut inter ipsas gentes celebrari coeperit. De quo ex Jes. xxv: 1, 3, 6— & aliunde egregie constat. Accedit, hoc ipso tempore Israelitas quaquaversum fuisse dispersos, adeoque & eorum respectu dici potuisse, *ab ortu solis ad occasum* nomen Dei esse laudan-

laudandum. Quo respectu Jehova dicitur celebrandus *in insulis maris*, Jes. XXIV: 15. Quo etiam locus Tseph. III: 10, 11. pertinet; ne alia memorem. Hoc quoque ipso tempore duo illa providentiæ specimina sese omni sua vi exseruerunt in Maccabæis & Chasidæis, ex vilissima & adflictissima conditione ad summam gloriam elevatis, & populo supra Patres multiplicato. Quæ ipsa foecunditas, & multiplicatio, inter criteria temporum Maccabaicorum referri solet in verbo Prophetico. De quo mox. Robur denique huic hypothesi addit comparatio hujus odes cum præcedentibus & sequentibus, ejusdem etiam temporis. Ceterum, sicut præcedens canticum in initiis instaurationis per Judam Maccab., ita hoc nostrum cum jam plena esset rerum instauratio tempore Simonis, compositum est, adeoque præcedenti recte subjungitur.

§. V. *Scopus* Ps. in genere est laudatio Dei ab excellentia ejus supra omnia, nunc luculenter demonstrata, nec non a singularibus Providentiæ Dei speciminibus, in adflictis elevandis, & sterilibus benedicendis. Quod ex Ps. inscriptione *Hallelujah*, & argumento, facile elucescit. Sed in specie id videtur poeta intendisse, ut *servis* Dei *formula*, secundum quam Deo sint hoc tempore laudes canendæ, in manibus esset. Quod ex nexu vers. 1. & sequentium clarius patescet, si verbum *dicentes* suppleatur; hac ratione. *Laudate servi Jehovæ*, *laudate nomen Jehovæ*, dicentes: *sit nomen Jehovæ benedictum* &c. Sic Ps. CXV. *Celebrate Jehovam*, *quia bonus: dicat quaeso Israel* &.

§. VI. *Partes* Ps., ut ejus *analysin* tradam, duæ generales sunt. I. Exhortatio servorum Dei ad nomen Jehovæ celebrandum, vers. 1. II. *Formula* laudationis: cujus *duae* sunt partes. א. *Prior* complectitur votum pro laudatione *semper* & *ubique* facienda, vers. 2, 3. ב. *Posterior* ejus *materiam* & argumentum continet, respectu *excellentiae Dei*, *Providentiae*, & duorum singularium speciminum in *vilium* elevatione, ac *sterilium foecundatione*, vers. 4–9.

ANACRISIS.

ANACRISIS.

§. VII. Interpretes, qui mentem de hypotheſi Pſ. explicandi declararunt, vel in genere Providentiam Dei hic deſcribi & laudari volunt, vel ad Chriſtum ejusque Eccleſiam ex humili ſtatu extollendam, & per orbem multiplicandam, referunt. *Prior* ſententia ex ſupra dictis de *hypotheſi* Pſ. ſponte ſua corruit. Ea enim, quæ Pſ. præſupponit, non in omnia, ſed certa tempora, quibus Deus ſeſe ſublimem demonſtrat, & ſingularia illa edit effecta, hic memorata, conveniunt. Emphaſin etiam habet; quod Deus laudandus ſit *nunc* & in æternum, argumento, materiam laudationis, hic occurrentem, *tunc* temporis maxime fuiſſe conſpicuam. *Poſterior* ſententia in eo maxime eſt fundata, quantum intelligere potui, 1. quod *nomen Dei* ab *ortu ſolis* ad *occaſum* ſit laudandum. 2. quod *ſterilis* paritura alibi ad Eccleſiam primævam Chriſtianam adplicetur, Jeſ. LIV. Sed neutrum ſufficit: non *prius*, *cum* quod *voti* conſpectum habeant verba, & officium declarent, non quid tunc futurum eſſet, *tum*, quod ad *Iſraelitas*, ubique terrarum disperſos, æque ac ad *Gentiles*, adplicari poſſit. Addatur, ſimul indicari, quid proxime poſt futurum eſſet, Eccleſia Maccabaica in Chriſtiana conſummanda: de quo mox. Nec deſunt ſimilia loca, de Eccleſia Maccabaica eodem modo loquentia. *Poſterius* non tantum lubricum eſt, in arbitraria comparatione cum Jeſ. LIV. fundatum, ſed & haud una premitur difficultate. *a.* Quia verba ex cantico Hannæ 1 Sam. II. deſumta ſunt, ut cuique ex collatione patet. Sed ibi ad *Hannam* ex ſterili foecundam factam, non ad Eccleſiam, pertinent. *b.* Quia, per ſterilem domus intelligi *Eccleſiam*, nullo indicio liquet.

§. VIII. Sed poſterior ea ſententia non tantum ſubleſtis nititur rationibus, verum etiam longe ſolidioribus refutatur: quas verbo tantum adtingam. 1. Nullum hic occurrit ſenſus

ſus prophetici indicium, ſed Deus celebratur ab effectis providentiæ jam tunc repræſentatis: adeoque a tempore compoſiti Pſ. diſcedere fas non eſt. 2. Nec ullum hic ſeſe offert, aut *Meſſiæ*, aut *regni* ejus, criterium, nulla redemtionis aut beneficiorum Spiritualium fit mentio: Deus ab excellentia ſua ſupra omnia, & providentia univerſali ac ſingulari celebratur, nihil hic de Meſſia, aut ejus *exaltatione*; licet verba eo torqueantur ſine ratione. 3. Denique ſingularia providentiæ ſpecimina non ad ſpiritualia, ſed externa & corporalia, bona referri debent, ut ex verbis, & vero eorum ſenſu liquet. Quæ Vet. oecon. rectius, quam Novæ conveniunt, ſuntque illius propria bona: ut notum eſt.

§. IX. Ex mea itaque ſententia Pſalmus de Eccleſia Maccabaica, temporibus Simonis & Joh. Hyrcani, eſt explicandus: cum quod, eo tempore factum fuiſſe, ſupra vidimus, tum quod omnia in eam Eccleſ. & remp. exacte quadrent, tum denique, quod humilium elevatio, impiis potentibus depreſſis, & mira populi foecunditas ac multiplicatio, ſint propria ejus temporis in verbo Prophetico, & Pſ. eo pertinentibus, criteria; ſecundum quod Moſes Deut. XXX: 5. prædixit, & promiſit, populum ſc. hoc tempore *multiplicandum* eſſe *ſupra patres*. Sic Jeſ. XXVI: 15. Jer. III: 16. XXIII: 3. XXX: 16. Ez. XXXVI: Hoſ. I. Mich. II. Zach. II. Pſ. CXXVIII, CXLII. Illud notandum reſtat, Eccleſiam Maccabaicam hic, ut paſſim alias, conſiderari tanquam *Apoſtolicæ* imaginem, & per eam *complendam*, adeoque Eccleſiæ Apoſtolicæ ſenſu ſublimiore eadem convenire, & adtribui poſſe, quæ de Maccabaica litteraliter dicuntur. Quo ſenſu ad Eccleſiam Chriſtianam adplicari poteſt hoc canticum.

EXPLICATIO.

§. X. *Prior* pars adhortationem ſervorum Dei ad nomen ejus

ejus laudandum complexa, ita sonat, vers. 1. *Hallelujah. Laudate servi Jehovæ, laudate nomen Jehovae.* Sermo dirigitur ad *servos Jehovae*, non qualescunque, eo etiam titulo alias insigniri solitos, sed Jehovæ singulari ratione consecratos, quorum peculiare officium erat, sacra tractare, & Deo laudes publice canere. Injungitur enim ipsis hæc *laudatio*, & *formula* hunc in finem datur. Qui ipsi Ps. cxv, cxviii. *domus* Aaron adpellantur, & Ps. cxxxiv. *servi, qui in domo Dei stant;* quibus Ps. cxxxv. æque ac hic *laudatio Dei* præcipitur. Ex quo colligi potest, hoc canticum fuisse publico usui inter sacra destinatum. Officium memoratur, *laudare nomen Jehovae.* h. e. verum Deum Israelis, qui vim nominis Jehovæ hoc tempore singulariter præstitit, & sese hac parte gloriosum exhibuit. Pertinet nomen Jehova ad promissa Dei, Israeli facta, & veracitatis, justitiæ ac gratiæ, virtutes comprehendit. Præterea *nomen* sæpe pro *celebritate* & *gloria* sumitur. Ad elegantiam orationis facit, ejusque emphasin auget, quod verbum *laudate* ante completam sententiam repetatur, *laudate, servi Jehovae, laudate*, inquam, *nomen Jehovae.* Cujus plura exempla habuimus Ps. xcvii. & seq. Interpretes hic mirifice ludunt, dum mysteria quærunt in *nomine, Jehovae*, & verbo *laudate*, ter repetito. Sed non observarunt; Hallelu jah esse titulum Ps., non ejus partem; ut ex duobus præcedentibus manifestum est. Quid sit *laudare* Jehovam; facilius est intellectu & vulgatius, quam ut nos detinere debeat.

§. XI. Sequitur *formula* celebrandi Jehovam: cujus *prima* pars, votum pro Deo ubique & semper laudando continens, ita habet, vers. 2, 3. *Sit nomen Jehovae benedictum ab hoc tempore in aeternum: ab ortu solis ad occasum ejus laudatum nomen Jehovae*, sc. sit, ex superiore repetendum. *a.* Officium occurrit *benedictionis* & *laudationis* Dei: quæ phrases eodem tendunt, & idem, quod modo, dicunt. *Nomini* Dei *benedicere* est de eo bene & laudabiliter lo-

qui, illud laudare, celebrare & extollere. Emphasios vero & elegantiæ causa *bis* repetitur. *b.* Hoc officium in genere, nullis nominatis personis, per modum voti pronunciatur; ubi dicitur, *sit benedictum*, sit *laudatum.* Quo indicatur, & materiam adesse id faciendi, & ad id omnes esse obligatos, & maximopere velle pios & servos Dei, idque omnibus modis contendere, ut illud fiat. *c.* Durationem officii exprimunt verba, *a nunc in aeternum*, non sine ratione, *a nunc;* non acsi antea id non debuerit, sed quia hoc tempore Deus sibi hoc *nomen* singulari ratione fecerat, nomen suum glorificando, per hostium subjugationem, & populi Dei gloriosam liberationem ac instaurationem; adeoque promissorum inplementum, & virtutum suarum demonstrationem. Quod sub *Euangelio* ulterius perfectum est. *d.* Denique *universalitas* officii proponitur *ab ortu ad occasum.* h. e. per orbem habitabilem: qui hisce limitibus circumscribitur, quod ortum & occasum versus tunc maxime incoleretur, vel notus esset: uti sæpe alias: Ps. L. Jes. XLV: 6. Zach. VIII: 7. Mal. I: 14. Sed quo respicitur, ubi nomen Dei *ab ortu solis* ad *occasum* jubetur, vel vovetur, laudandum? 1. putem ad Israelitas, quaquaversum dispersos, hac mirabili populi liberatione sub Maccabæis excitandos, & cum Judæis in unam rursus societatem religionis coalescendos; qui nomen Dei ubique terrarum celebrarent. De quo singulari eventu sæpe agitur in verbo Prophetico, ex. gr. Ez. XXXVII: Mich. II: 12. Tseph. III: 10, II. Zach. VIII: 21. 2. ad *proselytos* ex gentibus, hoc tempore per varia terræ loca ubique multiplicandos; quod phœnomenon Ecclesiæ Maccabaicæ sæpe recurrit apud Prophetas, & ex historia constat. Sic Jes. XVIII, XIX, XXIII. XLV. Jer. XXIII. Zach. VIII: 22. XIV— & alibi sæpe. 3. ad ipsos *gentiles*, qui gloriam Dei Israelis cognoscere, religionem Israelis venerari, & populum Dei honorare, hoc ipso tempore inciperent. Quod tanquam liberationis ex ipso exilio Babylonico per Cyrum consequens proponitur,

ponitur, Jes. XLIV: 6. *ut cognoscant a sole oriente & occidente, nil esse praeter me: ego Jehova & nemo amplius.* Sed liberationi & instaurationi per Maccabæos sæpius adnectitur; ut Jes. XXV. ubi velum gentibus impositum respectu religionis Israeliticæ, ex adflictione Epiphanica ortum, dicitur *auferendum*, vers. 7, 8. Sed vers. 3. ipsis verbis, *propterea honorabunt Te populus validus, civitas gentium violentarum reverebuntur te.* Ubi itaque dicitur, *sit nomen Dei per orbem laudatum*, partim indicatur, materiam laudationis esse ubique per orbem divulgatam, adeoque omnibus hoc incumbere officium, partim vota & preces sanctorum eo tendere, ut hoc fiat, partim id nunc futurum esse inter Israelitas & Gentiles, postea sub *euangelio*, hac temporis periodo durante vulgando, perfectius implendum.

§. XII. Altera *formulae* laudationis Dei *pars* exhibet *materiam* celebrationis, quæ rationes simul habet moventes ad omnes excitandos. *Prima* ad Dei summam excellentiam pertinet, & ita sonat, vers. 4. *Excelsus est supra omnes Gentes Jehova; supra coelos gloria ejus.* h. e. sicut Jehova gloriosam Majestatis suæ sedem supra omnes terræ populos, supra ipsos coelos, habet elatam: ita perfectionibus aliis in primis potentia & sapientia, nec non potestate & dominio, supra quicquid in terra inter Gentes, aut in coelo inter Angelos eminet, longissime est evectus, ita ut solus sit in universo *excelsus*. Deus Israelis itaque hic proponitur tanquam qui 1. thronum Majestatis habet supra ipsos coelos sublimatum; 2. perfectionibus & virtutibus, quæ *gloriam* Dei constituunt, omnibus creaturis in coelo & terra, longissime est superior; 3. Auctoritate, potestate, imperio & dominio supra omnes terræ populos, & coelorum incolas, longissime eminet; ita etiam, ut illi Deo, tanquam supremo & potentissimo Domino ac regi, sint subjecti, & ab ejus nutu pendeant; ejus etiam respectu *nihili* faciendi: ut est Jes. XL: 15. 22. Ceterum ubi Deus ab hac *excellentia* laudatur, eam hoc tempore singulari

 modo

modo fuisse demonstratam, & in omnium oculos ingestam, indicatur. Quod in hostibus prosternendis, & Ecclesia Israelitica gloriose instauranda per Maccabæos, fuit conspicuum, eritque tempore Messiæ adhuc illustrius faciendum.

§. XIII. *Secunda* pars argumenti laudationis Dei ad *Providentiam* Dei *universalem*, quæ, Deum omnibus superiorem esse, docet, pertinet, vers. 5, 6. *Quis est, sicut Jehova, Deus noster, qui sese mihi sublimat ad sedendum: qui sese mihi demittit ad videndum, in coelo & in terra?* h. e. Nullus est in coelo aut terra cum Deo nostro ulla ratione comparandus (interrogatio enim fortissime negat, &, omnium consensu id ita esse, simul indicat:) quippe Deus noster sicut sublimissime sedet, ita demisissime videt, coelum & terram replens; coelum inhabitans, & terram oculis suis lustrans, & curans, ad minima & humillima quæque usque. Nihil hic admodum est difficile. Phrases, *sublimare ad sedendum, & humile facere ad videndum*, stylo Hebræo est sublimissime sedere, & humillime videre; & *mihi* emphatice, ut in cunctis linguis, abundat. Ultimæ voces, in *coelo* & *terra*, ad superiora referendæ, sublimissimam sedem in coelis, & humillimum intuitum in terra exprimunt. Indicatur itaque, Deum, sicut supra omnia evectum, & longissime a terra, ut videtur, remotum, prope tamen omnibus in terra adesse, ut vel minima intelligat, & curet. Quod utrumque verbo *videre* comprehensum est, uti constat: sed præterea haud obscure indicatur, Deum, licet altum & excelsum inhabitet, suprema & infinita majestate & gloria præditum, eousque sese quasi demittere, ut ad vilissima respiciat, & *humilibus* sese præstet præsentem, ad eos elevandos; ut mox subjungitur. Conf. Jes. LVII: 15. Qualem Deus sese hoc in primis tempore demonstraverat, faceretque illustriore modo in Messia, & sub Euangelio.

§. XIV. *Tertia* pars materiæ laudis duo singularia providen-

videntiæ Dei ſpecimina, hoc tempore etiam repræſentata, memorat, *alterum* in *humilibus elevandis*, *alterum* in *ſterili domo foecundanda*. *Prius* verſ. 7, 8. ita habet. *Erigens mihi ex pulvere tenuem, ex chytropode ſublimabit egenum, ut eum ſedere faciat cum principibus, cum principibus populi ſui.* 1. *Tenuis* & *pauper* deſignat hominem bonis & viribus exhauſtum, ab aliena miſericordia dependentem; qui nihil habet, quo ſe commendet, aut ſuſtentet. 2. Qui hic præterea tanquam contemtus, & in miſeram conditionem projectus, occurrit, ubi in *pulvere* & *chytropode* ſedere dicitur. *Prius* eſt abjectorum, proſtratorum, & lugentium; *poſterius* eſt viliſſimorum, & ſervilium. Vox Hebr. per *ſtercus*, vel *ſterquilinium*, verti ſolet, ſine ullo fundamento. Vox Hebr. אשפת ſignat *lapides focarios*, forma triangulari diſpoſitos, quibus *olla* imponitur, alias *tripodas* & *chytropodas* dictos: unde ad ſervilis conditionis homines translata eſt, quia tales ad culinam admovebantur, ubi atri & excocti reddebantur tanquam carbones: de quo alibi *a* expoſui. Expingit itaque viliſſimam, ſervilem & miſeram, conditionem. 3. Mutatio ſtatus non tantum liberationem ex illo ſtatu comprehendit, ſed ſimul elevationem in dignitatem, poteſtatem & opulentiam. Quod hic exprimitur, ubi Deus eum *erigere*, & *elevare*, dicitur, ut *ſedeat cum principibus*, & quidem *populi ſui.* Principes, vi vocis Hebr., ſunt, qui, poteſtate & dignitate illuſtres, ſimul in lautiſſima fortuna conſtituti ſunt, & uberrimum fontem beneficentiæ poſſident, ex quo quævis bona ad ſubditos manare poſſunt. Proprietas vocis eſt in *fluendo*, & *exuberando*, quum aliquid ſucci plenum præ ubertate ſponte fluit: unde ad *munificos*, *liberales* & dein *principes*, qui ἐυεργέται audiunt, factus eſt tranſitus. *Sedere* cum principibus ſignat ſtabilem & honoratum habere in medio populi locum, inſtar *Principis*; vel & *principem* eſſe & agere, poteſtate ac opulentia præditum, ſeſeque talem in

 bonum

a Ad Pſ. LXVIII: 14.

bonum populi exhibere. Sed non sine ratione additur, *cum principibus populi Dei;* quo significatur, 1. populum Dei, æque ac alios populos liberos, suos habere rectores, ex ipso desumtos, ab aliis independentes: adeoque remp. esse liberam, & suis legibus regi. 2. hanc dignitatem in viros, antea viles & abjectos, nunc fuisse collatam; qui in medio populi Dei hoc honore gauderent. 3. eos hanc dignitatem recte tuituros, & sese vere *munificos* ac liberales, bonosque Principes, præstituros. Quæ omnia in Maccabæis fuerunt, uti notum est, conspicua: deinde in Apostolis spirituale acceperunt implementum.

§. XV. Posterius singulare Divinæ Providentiæ specimen, vers. 9, ita sonat: *habitare mihi faciens enervatam domus, matrem filiorum lætam.* 1. *Enervata domus*, sic enim rectius, quam *sterilis domus*, vertitur, non est simpliciter *sterilis*, omni sobole orba, sed & cui omnis spes familiæ est incisa & exstincta, sive per naturalem sterilitatem, sive per singularia temporum & domus infortunia. Radix teritur in *nervo* pedis succiso, & inde ad *sterilitatem*, q. d. *enervationem*, transiit. Singularis phrasis est, *enervata domus*, quæ familiam pene exstinctam denotat, sine spe eam instaurandi & propagandi. *Domus* enim *familiam* signat, ut & alibi. Ex. I: 21. Ps. LXVIII: 7. Ruth. IV. &c. 2. Hanc Deus dicitur *habitare facere*, ubi ei *domum* facit, ut est, Ex. I: 21. id est, amplam ac lautam concedit familiam, eamque læte & prospere degentem, nec non stabilem & diuturnam in longam posteritatem. Sic Ps. LXVIII: 7, Deus *solitarios domum* habitare facere traditur: ubi vid. dicta. 3. Additur, explicationis ergo, *matrem lætam filiorum*, ut de mascula prole, in qua domus fulcitur & ædificatur, cogitaremus, nec qualemcunque sobolem masculam, sed prosperam & stabilem intelligeremus, quæ *laetitiae* materiam præbere potest *matri*, vel parentibus: in quo nihil est difficilis.

§. XVI. Sensus & scopus versus uno verbo est evolvendus.

dus. Verba singulare providentiæ & bonitatis Dei specimina comprehendunt, in muliere sterili foecundanda, domoque per eam facienda, situm, multis exemplis in populo Israelitico comprobatum: ut ex Sara, Rebecca, Rachele, uxore Manoæ, Hanna, aliisque, nemini non notum est. *Scopus* vero est, benedictionem Dei in populo multiplicando celebrare; quæ tanta foret, & tam singularis, ut sese ad ipsas *steriles* extenderet; quæ in populo numerum amplius non facerent. Quemadmodum Deus populo promisit, *sterilem & infoecundam* inter Israelitas non fore, Deut. VII: 14. & *utero* esse a Deo benedicendum Deut. XXVIII. Nec dubium est, quin singularia *sterilium*, quæ Dei benedictione foecundæ factæ sunt, exempla hoc ipso tempore fuerint plura. Nec enim *una* intelligenda est, sed plures hoc bono mactatæ; licet in sing. num. loquatur poeta. Quæ omnia in *multiplicationem* populi, hoc tempore magnam futuram, ultimo tendunt.



PSALM.



PSALM. CXIV.

1. *Halleluia. Cum Israel egrederetur ex Aegypto; domus Jacobi e populo barbaro.*
2. *Factus est Juda sanctitas ejus, Israel dominationes ejus.*
3. *Mare illud vidit & refugit, Jordanes iste retrorsum se vertit.*
4. *Montes subsilierunt sicut arietes, & colles sicut agniculi.*
5. *Quid tibi, mare! fuit, quod refugeris? Jordanes! quod retrocesseris?*
6. *Montes! quod subsilieritis? colles! sicut agniculi.*
7. *A conspectu Domini contremisce terra, a conspectu Dei Jacobi.*
8. *Qui rupem in stagnum aquarum, silicem in fontem sibi aquarum, convertit.*

PROLEGOMENA.

§. I.

ARgumentum elegantissimi hujus cantici est læta & gloriabunda commemoratio privilegii Israelis, tempore exitus ex Aegypto in eum collati, quo sanctum Dei dominium & regnum factus est, miraculosis signis in rerum naturæ commotione confirmati & publice demonstrati; eo scopo facta, ut omnes intelligerent, præcipue Gentiles

tiles, quid huic Domino, qui ſeſe tunc non tantum tam glorioſe in medio Iſraelis præſentem exhibuerat, ſed & nunc ſimile quid præſtiterat, partim deberent, partim præberent; quam duri & inepti etiam ad hoc eſſent, cum Deus ille petras & ſilices in fontes aquarum mutet. Poeta primo ſingularem Iſraelis prærogativam, jam olim tempore egreſſus ex Aegypto ipſi conceſſam, qua peculiaris Dei populus factus eſt, in cujus medio ipſe tanquam potentiſſimus rex habitaret, & coleretur, celebrat. Deinde ſigna hujus privilegii, & ſingularis ad Deum relationis, producit certa & publica, quæ mare rubrum, Jordanes, & montes ac colles ad occurſum hujus populi commoti, & ei tranſitum miraculoſe præbentes, exhibuerunt; cujus mirabilis commotionis negat aliam dari poſſe rationem & cauſam, ac quod Iſrael eſſet *ſanctus Dei*, & ejus *dominium*. Quando ſermonem ad *terram* vertit, cui tremorem inſtar parturientis coram hoc Domino imperat, illudque futurum eſſe, non obſtante duritie & ineptitudine terræ ad hoc faciendum, indicat, argumento a ſumma hujus Domini potentia ducto, qua *petram* olim & *ſilicem in fontem aquarum* mutavit.

§. II. Quod argumentum ut clariore luce donetur: 1. obſervandum eſt, *Iſraelem* hic in ſcenam produci, tanquam peculiarem Dei populum, ipſi ſacrum, & ipſius curæ ac dominio ſubjectum, a quo colatur, & in cujus medio ſeſe potentiſſimum præſtet Dominum. 2. Hanc ſummam prærogativam jam olim, & ſtatim ac libertati redditus & in populum formatus eſt, in eum fuiſſe collatam, multisque publicis ſignis & miraculis in mari, Jordane & montibus, fuiſſe teſtificatam & confirmatam. Commotio enim naturæ rerum, in Iſraelis gratiam olim facta, inſtar teſtis hic citatur, ad hanc ejus prærogativam demonſtrandam, & in omnium oculos ingerendam. 3. Tacite ſimul indicatur, hanc eandem Iſraelis ad Deum relationem adhucdum ſubſiſtere non tantum, ſed & haud abſimilibus ſignis denuo

H fuiſſe

fuisse comprobatam, in mirabili & nova populi a servitute & tyrannide liberatione, Aegyptiacæ haud male respondente. Quam hypothesin *a. ratio* commemorationis liberationis Aegyptiacæ, & electionis Israelis in regnum Dei sanctum, olim factæ inter multa signa & miracula, exhibet: quippe quæ alio scopo censeri nequit facta, quam ut eam prærogativam adhuc durare, & simili modo fuisse renovatam, indicaretur. *b.* Officium *tremendi* coram Jehova, *terrae* in genere imperatum, hoc ipso superstructum est fundamento: cum illud ex ea Israelis prærogativa eruatur: quæ per consequens supersit, necesse est. *c.* Eandem denique relationem Israelis ad Deum, adhuc durantem, & singulari modo denuo adsertam, hic indicari, sequens canticum, ab hoc nostro male divulsum, de quo suo loco, clare evincit. 4. Et illud, postremo, ad Ps. intellectum notandum superest, officium timoris et reverentiæ, quod *terrae* hic injungitur, sicut *opportunum*, ita *effectu* non cariturum esse; adeoque *tempus* adesse, quo gentes hoc facere debeant, & inciperent. Præterquam enim quod officii admonitio, sapienter facta, de opportunitate testetur, ratio movens, a rupis & silicis mutatione petita, plures hoc officio defuncturos esse, evincit; ut mox clarius patebit.

§. III. *Occasionem*, ex solo argumento eruendam, suppeditasse videtur *nova* quædam & singularis plane Israelis redemtio a potestate et servitute hostilis alicujus populi, inter multa potentiæ et bonitatis Dei erga Israelem signa mirabiliter facta, quæ sicut Aegyptiacæ redemtionis, cui respondebat, memoriam renovare poterat, et de Israelis prærogativa, olim ipsi concessa, nunc confirmata, testabatur, ita ansam Gentibus Jehovam reverendi et metuendi præbere poterat, et præbitura erat aptissimam. Quæ læta rerum mutatio, et felix temporis conditio, piis et sanctis non poterat non in memoriam revocare antiquam illam redemtionem, omnium sequentium liberationum funda-

men-

mentum & imaginem; præterea ſpem facere converſionis Gentilium, cum hac mirabili rerum converſione conjungendæ. Robur accedit huic hypotheſi ex Pſ. ſequente, cum hoc noſtro conjungendo; quo felix Iſraelis conditio, quæ idololatriam proſtituit, & veritatem religionis Iſraeliticæ adſeruit, vivis coloribus depingitur.

§. IV. *Temporis* compoſiti Pſ., de quo ex argumento & nexu cum præcedentibus & ſequentibus Pſalmis, qui omnes ejusdem ſunt tenoris, judicium ferendum eſt, duo occurrunt, in hoc Pſ. criteria: *unum*, Iſraeli hoc tempore mirabilem contigiſſe liberationem Aegyptiacæ haud abſimilem, quæ ſingulari ejus prærogativæ præ reliquis populis, qua ſanctum Dei regnum eſt, luculentum præbebat teſtimonium: *alterum*, Deum Iſraelis ab hoc tempore inter Gentes eſſe timendum; & ejus fidem ac religionem per terram eſſe propagandam. Qui characteres, ſeſe ex Pſ. ſponte ſua offerentes, nos manifeſte ad tempus Maccabaicum, poſt remp. in libertatem adſertam, ſub Simone & Joh. Hyrcano, Ethnarchis, ducant. De quo ad ſuperiorem Pſ. dixi, & dicam amplius ad ſequentem, noſtri adpendicem: qui hypotheſin de hoc *tempore* compoſiti Pſ. egregie confirmat.

§. V. *Scopus* in genere eſt, Deum a ſingulari beneficio redemtionis Iſraelis, cum multis Divinæ potentiæ & bonitatis ſignis miraculoſis conjuncto, publice *laudare*: eſt enim & hoc canticum *Hallelu-jah*, licet eam inſcriptionem in codicibus Hebræo-Maſorethicis non ferat; niſi quis voces illas in fin. Pſ. præcedentis loco eſſe motas, & noſtro præmittendas, mecum velit. Quod LXX. Interpretum autoritate confirmari poſſet, nec non quod ſuperior Pſ. ceteroquin *bis*, in principio & fine, haberet *Allelu-jah*, noſter vero ne *ſemel* quidem. Facile quoque per connexam ſcripturam, olim uſitatam, fieri potuit, ut vox *Halleluia* ſuperiore cantico adhæſerit, ſicut in Pſ. CIV. quoque exemplum habuimus, & recurret Pſ. CXV, CXVI, CXVII & aliis. *Specialis* vero ſco-

pus eſt, populum ex præſente liberatione in memoriam & celebrationem antiquæ & originalis Aegyptiacæ ducere; tanquam præſentis fundamenti & exemplaris; ſimul ei ſpem facere propagationis veri Dei notitiæ & reverentiæ per terram inter Gentes, hinc oriturae, & ab hoc tempore futuræ. Quo illa admonitio, *contremiſce terra*, nec non ratio movens a *petra* mutata, haud obſcure tendit.

§. VI. *Partes* Pſ. tres ſunt. I. *Prima* continet *theſin:* quæ habet, *Israelem* tempore exitus ex Aegypto fuiſſe ſanctum Dei populum, & ejus dominium factum, verſ. 1, 2. II. *Secunda* theſios demonſtrationem comprehendit ex teſtimonio marium & montium; quorum mirabilis commotionis nulla alia fuit, aut dari poteſt ratio, verſ. 3—6. III. *Tertia* complectitur ejus conſequens reſpectu terræ, vel gentium, quibus timor Dei Israelis injungitur, & a quibus etiam præſtabitur, verſ. 7, 8.

A N A C R I S I S.

§. VII. Quod ad *hypotheſin* Pſ. exponendi adtinet: beneficium redemtionis Aegyptiacæ, & electionis in populum Dei, inter multa miracula, Israeli olim conceſſum, primis 6. verſibus celebrari, inter omnes convenit: ſed circa *ſcopum* hujus commemorationis, & ultimorum duorum verſuum ſenſum, ſecum diſſentiunt. Communiter & hi verſus ad eandem liberationem referuntur, & totus Pſ. in laudes & memoriam iſtius redemtionis ſimpliciter cenſetur compoſitus, ut ejus memoria continuo recens eſſet in Israele. Sed Cl. Coccejus & ejus adſeclæ ultimos verſus de glorioſiore adventu Meſſiæ ad regnum gratiæ erigendum interpretantur, & redemtionem Aegyptiacam cum miraculoſis circumſtantiis hic partim tanquam Spiritualis imaginem repræſentari, partim eo ſcopo, ut adventus Israelis ad Cananæam occupandam cum hoc Chriſti comparatus, longe

longe inferior declararetur, & extenuaretur. Quod ex interrogatione & apostrophe ad maria & montes, vers. 5, 6. colligitur, acsi sensus esset, *nullam causam* fuisse cur *mare fugeret* &c. ad Israelis adventum; si non Messiæ regnum cum majoribus signis adveniat.

§. VIII. Quæ posterior hypothesis *a.* in apostrophe, vel interrogatione, explicanda rem acu non tetigit; cum illa eo manifeste tendat, ut, quod modo de natura rerum in signum regni Dei in medio Israelis commota dictum fuerat, confirmaretur; hoc sensu: *quid Tibi fuit mare, quod aufugeres?* id est, quid aliud, ac quod modo dixi? quia Deus huic populo adfuit præsens. Quod mox clarius faciam. *β.* In ultimis vero duobus versibus, & scopo memoratæ redemtionis Aegyptiacæ aliquid veri habet, quatenus mystice & remote ad regnum Messiæ adplicari possint, sed primo & directo sensu ad redemtionem Epiphanicam, ejusque consequens, reverentiam Dei Israelis inter Gentes propagandam, omnino respiciunt: cum nullum adsit Messiæ criterium, & de timore Dei Israelis, qui populum illum exserta manu sibi vindicaverat, manifeste agatur. Quæ vero supra de *occasione tempore* & *scopo* Ps. in medium protuli, nos a temporibus illis Maccabaicis discedere vetant. Est quoque criterium illorum temporum in verbo Prophetico, metum & timorem Dei Israelis Gentibus esse indendum. De quo mox.

EXPLICATIO.

§. IX. Propositio thesios, quæ *prima* Ps. pars est, prærogativam Israelis tanquam peculiaris populi Dei, tempore exitus ex Aegypto ei concessam, complexa, ita sonat, vers. 1, 2. *Cum Israel egrederetur ex Aegypto, domus Jacobi e populo barbaro: factus est Juda sanctitas ejus, Israel dominationes ejus:* id est. Quo tempore Israelitæ, Jacobi

 posteri,

posteri, Aegyptum deseruerunt, & a societate peregrini & duri populi liberati ac separati sunt; mox facti & declarati sunt *peculiaris* Dei *populus*, cum ipsi consecratus & subjectus, tum sanctitatis & dominantis ejus potestatis illustris imago & repræsentatio. Eximium Israelis privilegium in eo ponitur, quod *sanctitas* & *dominationes Dei* fuerit. Quibus nominibus hæc duo significantur, ut opinor, 1. consecratio & subjectio Deo, tanquam domino & regi. 2. sanctitatis et dominii Dei expressio et repræsentatio. *Sanctitas* enim et *dominatio* Dei utrumque comprehendit, ubi de hominibus usurpatur. *Sanctitas* Dei adpellatur populus, qui partim ei sacratus est, reliquorum populorum societate exemtus, et peculiari relatione ad Deum præditus, qui ejus est *peculium*, ipsi est dicatus et devotus, partim ejus *sanctitatis* et gloriæ varia præfert signa, in legibus, religione, regimine et moribus. Sic et *dominatio* ejus audit, quod partim ejus solius imperio sit subjectus, et ad ejus obsequium obligatus, reliquorum omnium dominio ereptus, partim *dominantis* ejus vis & potestatis indicia & effecta præbet. Quæ non sunt difficilia. Singulare est, quod nomen Dei non exprimatur, sed relativum *ejus* tantum occurrat, sive ad subjectum in mente loquentis, sive ad inscriptionem cantici, *hallelu-jah*, *laudate Deum*, quod verius, respiciat, sive nomen Dei ex sequentibus supplendum relinquatur. Sed ad elegantiam sermonis facit, quod *Juda* & *Israel* separentur, *illi sanctitas*, *huic dominatio* adtribuatur; licet Judæ & Israeli utrumque competat, & adscribendum sit. In quo nullam aliam emphasin quæro, cum in Ps. nihil sit hujusmodi orationis divisionibus vulgatius: nisi forte quis ad nomina *Judæ* & *Israelis* adlusum velit.

§. X. Hac prærogativa ornatus fuit hic populus, simul qua talis demonstratus, tempore exitus ex Aegypto. Quod significatur, ubi dicitur, *cum egrederetur* —— —— *factus est Juda* &c. Factus & manifestatus: utrumque enim verbo,

verbo, *factus est*, latet involutum, & veritatem tunc temporis habuit: uti notum est. Memoratur vero *exitus Israelis* ex Aegypto, partim tanquam singulare Dei beneficium, quo populum aliorum dominio ereptum sibi adseruit, & suum esse publice declaravit, partim tanquam requisitum antecedens, quod ante in populo esse debebat, quam *sanctus* Dei populus & dominium esse & fieri posset. Quamdiu Aegyptiis permixtus & subjectus erat, ad hoc privilegium ineptus erat: ut facile patet. Sed simul insinuatur, populum virtute privilegii sui accurate abstinere, & sibi solicite cavere, ab omni commercio cum Aegyptiis & alienigenis, nec ritus & mores eorum imitari, debere.

§. XI. Nihil hic difficile nisi in titulo, quem *barbarum* vertere solent, quo populus iste insignitur. Vox לעז Chald. & Syris pro peregrina & exotica lingua in usu est, Rabbini *Græcum* sermonem in specie ea voce insigni re solent. Radix vero apud Arab. significat, *per ambages circumduxit, flexit & torsit aliquid*, tum proprie in viis & flexibus labyrintheis, tum improprie in mente & sermone multimodis implicito & intricato: ex quo tandem sermonis *barbari* fluxit notio. Potest itaque verti, vel e *barbaro*, vel *ambagioso* populo. *Priore* sensu ad *linguam* Aegyptiacam, Israelitis *peregrinam*, directe respicitur, sed ad gentis & religionis, aliorumque rituum & morum, *peregrinitatem*, respectu Israelis, extendi simul poterit. *Posteriore* sensu Aegyptii *ambagiosi* populi epitheto insignirentur, cum quod ænigmatibus suis et hieroglyphico sermone famosi fuerint, tum quod variis artibus Israelitas circumvenerint, eosque in malorum labyrinthum inextricabilem ducere conati sint. *Prius* quid huc faciat, cum nec Aegyptiis proprium sit, nec emphasin habere videatur, difficulter cernitur, maxime cum Linguæ, & moribus, Aegyptiorum satis adsueti essent Israelitæ in Aegypto. Accedit, nusquam alibi hoc epitheto ornari Aegyptios respectu Israelitarum; licet eo referri soleat Ps. LXXXI: 6. sed male; de quo ibi egimus.

Posterius

Posterius vero in Aegyptios recte quadrat; et proprium eorum characterem ducit, uti notum est. Sed quo scopo hic locum acceperit, et quo tendat, faciles non habet explicatus, nisi ad idololatriam et superstitionem eorum prostituendam, et beneficium liberationis Israelitarum extollendum, quis referendum velit. Quo etiam spectare censetur, quod Jes. XVIII. Aegyptii dicantur, *gens præcepti* et *præcepti*, quatenus innumeris onusta et districta est præceptis et ritibus religionis et superstitionis. In hisce licet acquiescere possem, addam tamen, vocem Hebr. לעז, punctis paulum mutatis, legi et haberi posse pro composita ex voce עז vel עוז, *robore*, *duritate*, et præf. ל, quod haud infrequenter *genitivum* notat, post nomen, vel absolutum, vel constructum. Quando populum *validum* et *durum* signaret; quod solenne est populi epitheton in Script., in Aegyptios quoque recte quadrat, et huc egregie faceret; uti facile constat. Radix vero עוז ab originali *torti*, *intorti*, potestate traducitur non tantum ad *robur* invictum, sed et *duritiem* ac *asperitatem* a. Concinit forte עם נועז *populus fortis* et durus, Jes. XXXIII: 19. et Deut. XXVII: 50. populus עז פנים *durus*, *asper facie*, et Dan. VIII. 23. ubi vid. dicta.

§. XII. Thesis proposita ipsius naturæ rerum testimonio confirmatur, quæ secunda Ps. pars est, vers. 3—6. Quod α. simpliciter profertur, vers. 3, 4. β. per apostrophen ad ipsa illa corpora urgetur, vers. 5, 6. α. Prius vers. 3, 4. ita sonat. *Mare illud vidit & refugit; Jordanes ille retrorsum se vertit; Montes subsilierunt, sicut arietes, & colles sicut agniculi.* Miracula in mari rubro, Jordane, monteque Sinai cum collibus suis, tempore exitus Israelitarum, nec non moræ in deserto, et ingressus in Cananæam patrata, quibus mare fissum est, aquis locum cedentibus, aquæ Jordanis in superiore parte cohibitæ, accumulatæ, et ad principium suum redire coactæ sunt, mons *Sinai*

a Vid. ad Ps. XVIII: 18.

Sinai valde intremuit totus, Ex. xix. hic describi nemo non videt. Nec est in oratione aut re aliquid obscuri. Tantum notari velim, hasce terræ partes hic in testimonium electi Israelis in sanctum Dei regnum adduci, eoque pertinere, quod *mare* dicatur *vidisse* et *refugisse;* quod ipsum ad *Jordanem* et *montes* est adplicandum. *Vidisse* vero ubi dicuntur, re visa non memorata, Divinam majestatem in medio populi Israelis præsentem, in signum Israelis populi Dei sancti facti, ex superioribus repetendam, & mente intelligendam esse, non est in obscuro. *Viderunt* hoc quatenus commotione sua extraordinaria hoc senserunt, & ea ratione testati sunt.

§. XIII. β. Hanc enim solam tam insoliti motus fuisse causam & rationem, poeta, apostrophe ad eas partes facta, his verbis ulterius adstruit, vers. 5, 6. *Quid Tibi, mare! fuit, quod refugeris? Jordanes! quod retrocesseris? montes! quod subsilieritis sicut arietes? colles! sicut agniculi?* Repetitio fit elegantiæ & emphasios ergo; & apostrophe eodem tendit, qua creaturas illas tanquam animatas per personæ fictionem adloquitur; rationem ab ipsis repetens, quare tantam subierint mutationem. Interpretes in scopo & sensu interrogationis explicando minus recte passim versati sunt. De quo hic agere non licet. Crucem fixisse videtur, quod nullum memoretur responsum ad interrogationem factum. Sed responso locus non erat, quia ratio alia tantæ commotionis nec erat, nec dari poterat, ac quæ modo memorata erat, ad quam ulterius adfirmandam hæc collineat interrogatio. *Quid Tibi fuit, mare, quod refugeris?* idem itaque est ac, *quid Tibi aliud*, ac quod dixi, fuit? quæ interrogatio involvit negationem, & responderi ad eam debuisset, *nihil aliud*, ac quod *viderim* Deum potentissimum huic populo præsentem. Responsum vero reticetur, quia nihil aliud proferri poterat, adeoque ipso silentio in men-

tem interrogantis descendebat, natura rerum commota.

§. XIV. Ex thesi proposita & confirmata admonitionem ad terram directam, ut coram hoc Domino & Deo Israelis contremiscat, derivat poeta, vers. 7, 8. *A conspectu Domini contremisce, terra! a conspectu Dei Jacobi: qui rupem in stagnum aquarum, silicem in fontem sibi aquarum convertit.* Verba, in quibus exponendis & ad subjectam materiam adplicandis, Interpretes hæserunt, continent adhortationem poetæ ad terram sui & sequentis temporis directam, ut parturientis instar tremiscat, & Jehovæ gloriam det, ex superioribus deductam: adeoque, quod hic reticetur, & supplendum relinquitur, pro hypothesi habet, eandem Israelis ad Deum relationem adhuc durare, imo haud absimili modo fuisse per Majestatis Dei nova signa hoc tempore renovatam & confirmatam. Sensus ergo est: Israel cum olim fuerit sanctus Dei populus & regnum factus, ipsa natura rerum commotione sua adtestante, ipsaque ea relatio adhuc eadem sit, & denuo renovata; a te idem nunc exigo, *terra*, quod ad hæc signa olim Cananæis contigit, ut timore & tremore corripiaris, & huic Domino ac Deo te submittas; quod ipsum Te facturam esse, quam dura etiam sis & inepta, confido, cum Deus & Dominus Israelis sit potentissimus & optimus, qui in gratiam populi sui ipsam rupem & silicem in stagnum & fontem aquarum convertit.

§. XV. Verba continent 1. *adhortationem* cum auctoritate conjunctam, qua simul præcipitur, simul futurum prædicitur, acsi dictum fuisset; *tremisce terra*, quod Tibi faciendum incumbit, & etiam fiet. 2. Directa est adhortatio ad *terram*, cui hic tremor imperatur, quæ orbem habitabilem in genere, vel insignem ejus partem, comprehendit; & pro incolis terræ sumitur; ut facile pa-

tet.

tet. Adluditur quidem ad veteres Cananæos, timore olim ad famam miraculorum, in gratiam Israelis patratorum, correptos, ut Ex. xv: 14. &c. fuit a Moſe prædictum, & factum eſt Joſ. II & IV. Sed hic ulterius ſeſe ad *gentiles* in genere extendit, cum *terra* abſolute occurrat, & Deus generali titulo *Domini* inſigniatur: 3. Imperatur vero terræ *timor* & *tremor coram Domino*, & *Deo Israelis*. *Dominus* adpellatur reſpectu *terræ*, cujus eſt verus, unicus & ſupremus, Dominus, & cui *terra* omnem debet ſubjectionem; ſed additur *Deus Israelis* ut, eundem eſſe Dominum terræ, inculcaretur, qui eſt *Deus* Israelis. *Timor* vero & *tremor* hic omnem reverentiam, metum & ſubjectionem, comprehendit, Deo Israelis tanquam ſupremo Creatori, rectori & judici terræ, præſtandam. Quo ſimul comprehenditur confeſſio religionis Israelitica, tanquam unice vera in mundo. Injungitur itaque terræ, *a.* ut, Deum Israelis metuens, ab ejus populo oppugnando abſtineat, eique cedat. *b.* reverentiam erga hunc Dominum, & religionem Israeliticam, verbis ac factis omnimodis demonſtret. *c.* denique ſeſe ipſi in fide & timore adjungat, & religioni ei nomen det.

§. XVI. 4. Hæc adhortatio ſicut e ſuperiore prærogativa Israelis ducta eſt, ejusque continuationem & renovationem, hoc tempore factam, pro hypotheſi habet, ut modo obſervavi; ita nova ratione urgetur & confirmatur, ab infinita Dei potentia & bonitate, in gratiam Israelis olim demonſtrata, qua *rupem* & *ſilicem in ſtagnum & fontem aquarum* convertit, repetita. Additur enim mox, *Deum rupem in ſtagnum & ſilicem in fontem*, vel *rivum ſibi aquarum convertiſſe*. In quo nihil eſt obſcuri; de voce חלמיש dixi ad Deut. XXXII: 13. Ad miraculum in Deſerto Arabiæ, quo Deus *aquas* populo ſubminiſtravit ex rupe & petra, hic reſpici, manifeſtum et

ab omnibus observatum est. Tantum quæritur, quid sibi nova hæc instantia velit, & quo tendat: non simpliciter, ut opinor, ad potentiam & bonitatem Dei erga Israelem, adeoque ejus præsentiam apud populum, novo hoc specimine, olim in deserto præbito, ulterius demonstrandam, sed in primis ut læta & mirabilis status incolarum terræ respectu Ecclesiæ & populi Dei mutatio in melius, qua terra revereretur & submisse coleret Deum Jacobi, ob oculos poneretur, ejusque mutationis ratio redderetur, a potentia & bonitate Dei petita, qua, ut olim, sic & nunc, sed spirituali sensu, rupem & silicem in scaturiginem & rivum aquarum convertit. Dixerat, terram metu & timore Dei Israelis esse adficiendam, quod ne cui mirum & incredibile accidat, cum terra sit dura & inflexilis, in populum Dei admodum hostilis; miraculum *rupis in rivum aquarum mutatæ*, olim in deserto factum, in memoriam revocat, ut doceat, Deum & posse, & velle, animos hominum, a se alienos, flectere, & adeo immutare, ut Deum Israelis revereantur, & Ecclesiæ Dei quasvis commoditates & consolationes adferant; ipsi etiam ad Deum conversi Spiritus & gratiæ fructus ferant; aquam Spiritualem abunde emittentes. Quo sensu hoc emblema & alibi in verbo Prophetico sumitur, ut Jes. XLI: 18. Imo eodem scopo, quo hic, de reducibus ab exilio Babylonico dicitur, Deum *aquas e rupe iis effluere fecisse*, & *fidisse rupem*, & *fluxisse aquas*, partim quod Cyri & Persarum animos in eorum favorem flexerit, & iis omnia necessaria contra omnem exspectationem subministraverit, partim quod *gentiles* suo tempore adjungeret Ecclesiæ suæ, qui *dona* & *bona* sua cum ea communicarent, &c.

§. XVII. Quæ cuncta implementum habuerunt, primum & anticipatum in Ecclesia *Maccabaica*, dein plenius in *Apostolica*. Criterium temporis Maccabaici in

verbo

verbo Prophetico eſt, Deum Iſraelis tum temporis, una cum religione Iſraelitica, a Gentibus reverenter haberi, & coli, ita etiam ut ingens Proſelytorum numerus ipſi adjungatur. De quo ſæpe diſſerui, & diſſeram amplius ad Pſ. ſequentes.





PSALM. CXV.

1. *Non nobis, Jehova, non nobis, sed nomini tuo da gloriam super benignitate tua, super veritate tua.*
2. *Quare dicerent gentes, ubi quæso Deus ipsorum est?*
3. *Etenim Deus noster in coelo est, & quicquid vult facit.*
4. *Idola ipsorum argentum & aurum, opus manuum hominis sunt.*
5. *Os ipsis est, nec loquuntur, oculi ipsis, nec vident.*
6. *Aures ipsis, nec audiunt, nasus ipsis, nec odorantur.*
7. *Manus ipsis, nec palpant, pedes ipsis, nec incedunt, non mussitant gutture suo.*
8. *Instar eorum erunt,* vel *sint, fabricatores eorum, quicunque in iis fiduciam ponunt.*
9. *Israel! confide Jehovæ, auxilium eorum & clypeus eorum Ipse.*
10. *Domus Aaronis! confidite Jehovæ; auxilium eorum & clypeus eorum Ipse.*
11. *Timentes Jehovæ! confidite Jehovæ, auxilium eorum & clypeus eorum Ipse.*
12. *Jehova recordatus est nostri, benedicet, benedicet, domui Israelis, benedicet domui Aaronis.*
13. *Benedicet timentibus Jehovæ, parvis cum magnis.*
14. *Addet Jehova vobis, vobis & filiis vestris.*
15. *Benedicti vos Jehovæ, qui fecit coelum & terram.*
16. *Coeli, coeli Jehovæ sunt: terram dedit filiis Adami.*

17. *Mor-*

17. *Mortui non laudabunt Jah, nec ulli in silentium descendentes.*
18. *Et nos benedicemus Jah a nunc & in æternum.*

PROLEGOMENA.

§. I.

Argumentum cantici est, partim *oratio* ad Deum nomine populi totius facta, qua supplices petunt, ut liberationis, sibi cum tot tantisque majestatis & bonitatis Divinæ signis concessæ, gloria non sibi, absit! sed soli Deo cedat, sive ut Deus efficiat, cum prosperitatem augendo & firmando, tum sui notitiam per orbem propagando, ut gentibus omnis non tantum eripiatur occasio & prætextus Deo Israelis, ejusque religioni, insultandi, quod modo & sæpe alias fecerant, sed & Deum Israelis revereri & glorificare, idololatria missa, discant & incipiant; ratione movente cum ab immani discrimine Jehovæ & idolorum, quod hic egregie depingitur, tum a circumstantiis temporum, quibus idola erant prostituta, & nomen Jehovæ celebre redditum, petita: partim *adhortatio* ad omnis ordinis Israelitas, in populum, Aaronidas, & timentes Jehovæ, distinctos, directa, ut fiduciam in Deo, quem auxilium & clypeum suum experti erant, solo collocent, uti faciebant, in superiore beneficio liberationis, quo Deus *recordatus erat populi*, nec non in promissorum benedictionis & multiplicationis supra Patres, populo factorum, implemento, nunc repræsentando, fundata; partim denique *votum* pro Israelis prosperitate, cum certo *proposito* Deum in vita glorificandi conjunctum.

§. II. Israel hoc in cantico 1. occurrit in tres classes, vel ordines, distinctus, in populum, domum Aaronis, & prose-

proselytos, *timentium Jehovæ* titulo insigniri solitos. verf. 9—11. nulla mentione Regum aut aliorum rectorum facta; argumento, summam rerum hoc tempore penes *Aaronidas*, seu Pontifices & sacerdotes, fuisse. 2. Idem ille populus hic repræsentatur ab omni idololatria alienissimus, & ardente simul veræ religionis & gloriæ Dei studio ductus. Cujus varia, eaque præclara, hic exstant indicia, cum in petitione pro Dei gloria, ejusque ratione movente a vanitate Idolorum, tum in exsecratione idololatrarum, verf. 8. tum in eo, quod Deo, clypeo suo, fidere, & Deo benedicturi, dicantur, verf. 9, 18. 3. In scenam præterea prodit, tanquam mirabili liberatione a gravi calamitate, quæ religionem videretur destructura, mactatus, & in libertatem plenissimam recens adsertus. Quam hypothesin cum privam habeam, in ea illustranda & firmanda aliquid operæ collocandum est.

§. III. Communis fert opinio, Israelem hoc tempore graviter fuisse adflictum, & ad incitas fere redactum, in formula illa, *quare dicerent Gentes, ubi quæso Deus ipsorum?* ad liberationem impetrandam adhiberi solita, unice fere fundata. Verum enim vero *a.* nulla in toto cantico fit vel minima adflicti status, aut imminentis periculi, mentio; nullæ pro liberatione preces, quæ hic abesse non potuissent. *b.* Adhortatio ad Deo fidendum ea ratione est instituta, ut, Deum sese jam tunc populo præstitisse *clypeum* & *auxiliatorem*, elucescat. Sensus enim est, Israelem in Deo plane acquiescere debere, quem patronum & liberatorem erat expertus. *c.* Quo etiam tendit, quod populus dicatur Deo *benedictus*, verf. 15., & Psalmus proposito *Deo benedicendi* concludatur, verf. 18. ex quo patet, populum in eo fuisse statu, in quo multiplicem habebat Deum laudandi materiam. *d.* Quid? quod verf. 12. Deus *populi* diserte dicatur *recordatus* in præt., *Jehova nostri fuit memor*, dicunt Israelitæ, *& benedicet Israeli.* Quod, *oblivioni*, quæ solita in adflictione phrasis est, oppositum,

tum, liberationem jam factam manifeste indicat. · e. Denique, ubi orant, ut *non sibi sed Deo laudi cedat super benignitate ejus*, sese benignitatis illius effecta sensisse, satis clare indicant. Tantum volunt, non sibi, sed Deo laudem liberationis factæ esse tribuendam. Formula vero illa, *quare dicerent Gentes* &c. licet alias ad liberationem a Deo impetrandam adhibeatur, hic eo tantum tendit, ut Deus permoveatur ad nominis sui laudem, per gloriosam populi liberationem acquisitam, inter Gentes disseminandam, ut Deo Israelis ejusque religioni insultare, quod modo ante gloriosam liberationem fecerant, desinant. De quo mox clarius dicam.

§. IV. 4. Denique, ad argumenti verum conspectum pertinet observasse, Israelem, licet liberatum a potestate hostium, nondum in eo statu fuisse confirmatum, nec liberi ac prosperi sui status effecta consecutum, quæ secundum promissa Dei cum eo cohærebant; attamen ea jam adluxisse tempora, quibus ea beneficia, benedictionem & multiplicationem supra Patres puta, proxime videret repræsentata, & in se collata. Illud præterquam quod petitio, *da gloriam nomini tuo*, involvat, ut mox patebit, promissum de *benedictione* Dei super populo futura, & *multiplicatione* mox secutura, directe continet, vers. 12. & seq.

§. V. De *occasione* & *tempore* Ps. antequam agam, & ut, quæ de argumenti vero conspectu dixi, ulterius confirmem, hunc Ps. cum superiore ita esse connexum, notari velim, ut unum cum eo canticum faciat: licet nunc in textu Hebr. Masoreth. duo & divisa sint cantica. Quæ hypothesis sicut Græcorum non tantum Interpretum, sed & antiquorum codicum Hebræorum, teste Eusebio, & Kimchio, qualem codicem in Bibl. Leid. etiam exstare testatur Coccejus, auctoritate sese commendat; ita partim ex *Hallelujah*, semel tantum in his duobus canticis occurrente, partim ex argumenti vicinitate robur acquirit. Tantum

enim abest, ut, quod Interpretes putant, qui inde rationem pro dividendis hisce canticis petunt, diversi argumenmenti, ut prorsus ejusdem sint. Nostrum utique canticum Israelem in eodem liberationis Maccabaicæ, quæ antiquæ liberationi Aegyptiacæ respondet, statu positum repræsentat; & eodem tendit, quo præcedens, ut timoris Jehovæ per orbem inter Gentes propagatio mox futura adnuncietur, & Israel ad Deo fidendum & benedicendum excitetur. Nexus canticorum sponte sua sese quoque ex dictis offert. Cum beneficium liberationis Aegyptiacæ celebrasset poeta, illudque nunc fuisse simili beneficio renovatum & confirmatum indicasset; *terræ* seu Gentibus imperat *timorem* Jehovæ. Quando nostro Pf. sese ad Deum precibus suis vertit, ut Deus rem ita dirigat, ut nomini ejus laus inter Gentes detur, cum idololatriæ abdicatione. Quo facto, Israelem ad fiduciam in Deo collocandam adhortatur, & de reliquis bonis promissis, nunc implendis, certiorem facit.

§. VI. Occasionem itaque Pf., æque ac superioris, præbuit læta temporum mutatio, qua populus ante oppressus nunc gloriose erat liberatus & vindicatus, simul in spem prosperrimæ conditionis, liberationem secuturæ, ductus; quæ religionis per orbem propagationem, benedictionem & multiplicationem supra Patres, comprehendit. Est itaque noster Pf. continuatio superioris, adeoque eadem *occasione*, *tempore* & *scopo*, compositus. *Temporis* Maccabaici criteria sese hic pandunt clarissima, modo in *argumenti* illustratione producta. Hoc enim tempore, 1. Rectores populi fuerunt *Pontifices*, & ex domo Aaronis. 2. proselyti partem Ecclesiæ constituerunt, qui *timentes* Jehovæ vocantur. 3. Israel maxime abhorruit ab Idololatria. 4. Gentibus omnis prætextus Jehovam Deum Israelis contumeliose tractandi ademtus, & occasio eum celebrandi data, religio quoque Judaica inter populos propagata & celebrata est. Quod Jes. xxv. & sæpe alibi apud Prophetas præ-

prædictum est. 5. Israel denique singulari mactatus est benedictione, & valde multiplicatus, secundum promissum & prædictionem Mosis Deut. xxx.

§. VII. De scopo Ps. tribus, ut ajunt, verbis absolvere potero. Nemini enim, qui dicta ad animum revocat, obscurum esse potest, eo nostrum tendere canticum, ut, 1. quod de terra timore Jehovæ replenda in superiore Ps. dixerat, *precibus* populi esse promovendum inculcaretur, formula eum in finem ipsi præscripta. 2. Populus de *fiducia* in Deo, clypeo & adjutore suo, ponenda admoneretur, tantis favoris & potentiæ Dei signis nunc erectus & corroboratus. 3. In spem implementi reliquorum promissorum Israeli factorum adduceretur. 4. ad Deo benedicendum, & laudes canendas, quarum multiplicem nactus erat materiam, excitaretur.

§. VIII. *Partes* Ps., ut analysin ejus tradam, quatuor sunt. I. *Prima* continet preces pro gloria Deo inter gentes, ob vindicatam Ecclesiam & religionem, danda; ratione movente a vanitate Idolorum, nunc demonstrata, addita, vers. 1—8. II. *Secunda* est adhortatio populi omnis ordinis ad Jehovæ fidendum, qui sese clypeum & adjutorem demonstraverat, vers. 9—11. III. *Tertia* promissa de populo benedicendo & multiplicando, nunc implenda, exhibet, vers. 12--15. IV. *Quarta* denique propositum Deum laudandi, a populo sumtum & præstandum, declarat. vers. 16--18.

ANACRISIS.

§. IX. Interpretes circa hypothesin Ps. exponendi in duas generales partes scinduntur. Alii intra Ecclesiæ Judaicæ limites sese continent, quæ vulgatior est sententia; alii, sed pauciores, de Ecclesia Christiana hic cogitant. *Prioris* generis hic mirifice ludunt, nec habent fere, in

quo

quo pedem figant. ' Alii ad Israelem juxta mare rubrum Ex. xiv. adplicant, alii ad socios Danielis in fornace ardente, alii ad Mordochæum & Estherem, alii ad Davidem in periculis a gentibus Idololatricis versantem, alii ad *Josaphatum*, 2 Chron. xx. Mirum est, de *Hizkia* eos non potius cogitasse; cum ab Assyrio premeretur. Ita tamen novissime instituit D. Kesslerus *a*. Sed haec omnia sunt lubrica & vaga; & plures alii sunt casus, qui in censum venire possent. Argumentum Ps. si recte percepissent, & criteria temporis si ad animum revocassent, minus fluctuassent. Sed haec passim negligi solent, & hinc tanta in Ps. interpretandis saepe oritur confusio. *Posterioris* generis Interpretes, vel in genere ad vanitatem omnis religionis, Christo regnum adepto, praeter Christianae, manifestatam referunt, vel in specie de ultima persecutione Diocletianea, & laeta Ecclesiae facie eam secuta, interpretantur. Sed nulla ratio est a vetere Ecclesia Judaica oculos avertendi, nullum Messiae, ejusque regni & Ecclesiae, criterium; contra adest Israeliticae character in domo Aaronis, populi distributione in *Israelem*, *domum Aaronis* & *timentes Jehovæ*, seu proselytos, & in promisso *multiplicationis* &c.

§. X. Quæ, & quorum similia, criteria ex argumento Ps. supra educta, nos dubitare non sinunt, quin referendum sit hoc canticum ad Ecclesiam Maccabaicam, recenter ab Epiphanica adflictione liberatam, & in possessionem bonorum, huic Ecclesiæ sæpe in verbo Prophetico promissorum, immittendam. Quod totius verbi Prophetici & Ps. multorum consensu, nec non ex historia Maccabaica, extra dubium censeri debet positum. Secundum quam hypothesin instituam Ps. interpretationem.

a In Symbol. litter. Ikenii t. III.

EXPLICATIO.

EXPLICATIO.

§. XI. *Prima* Pſ. pars comprehendit א. preces pro Dei, & non Israelis, gloria in orbe propaganda, verſ. 1. ב. earum inſtantiam & rationem moventem, verſ. 2--8. א. Preces ita ſonant, verſ. 1. *Non nobis*, *Jehova*, *non nobis*, *ſed nomini Tuo da gloriam ſuper benignitate tua*, *ſuper veritate tua*, h. e. Officium timoris & reverentiæ Jehovæ, quod *terræ* injunxi, ut a populis præſtetur & impleatur, ad Te nos vertimus, Jehova! qui petram in rivos aquarum mutaſti olim, & ineptos ac duros flectere & mollire potes; oramusque ſupplices, ut inſignis liberationis nobis conceſſæ, quæ de tua *benignitate & veritate* teſtatur, gloria non nobis, quod abſit, ſed Tibi ſoli etiam a terræ populis tribuatur, adeoque efficias, ut gentes, in rectam hujus rei notitiam ductæ, per eam moveantur ad Te colendum, tanquam ſolum verum Deum, & religionem tuam, in medio noſtrum ſtabilitam, honorandam. Cohærent hæc verba cum proxime præcedentibus, ut ſupra dixi, & in paraphraſi modo expreſſi. Continent vero preces totius populi Israelitici, cujus perſonam hic induit poeta, numero pl. uſus, ad *Jehovam* directas, tanquam Deum Israelis, *gratiæ* & *veracitatis* virtutibus illuſtrem. Qui genuinus eſt nominis *Jehova* ſignificatus & uſus; quem hic omnino præfert. Eſt enim proprium Dei Israelis nomen, quo a Gentium Diis diſtinguitur; & origine ſua ac uſu virtutes, modo memoratas, comprehendit. Quare recte ſubjungitur, *ſuper gratia tua*, *ſuper veritate tua*. De quo mox. Preces ipſæ eo collineant, ut mirabilis rerum inſtaurationis per Maccabæos fama inter terræ incolas & Gentes ſparſa, non Israelitarum & heroum ipſorum, verum Dei, ejusque gratiæ & veritatis, *gloriam* producat & promoveat, adeoque gentes ad Jehovam timendum, quod ſupra *terræ* præceperat, permoveantur.

§. XII. Cum absolute & simpliciter petunt, ut *nomini Jehovæ gloria* detur, non *sibi*, materia & ratione glorificationis non expressa; ad superiora sese referre indicant. Ex quo elucescit, liberationem a gravi servitute, antiquae ab Aegyptiaca similem, nunc in populum collatam, & in superiore cantico celebratam, tanquam materiam & rationem *laudationis* Dei esse intelligendam. Cujus indicium etiam in eo est, quod *laudem* & *gloriam* a se removent, *non nobis, non nobis, sed nomini tuo*, dicentes. Quod indicio est, tale quid ipsis accidisse, in quo efficiendo & ipsi partes habuerint, cujus laudes adeoque ipsis ab imperitis & mundanis hominibus adtribui possent. Quale fuit opus *liberationis* populi ab oppressione Epiphanica, & instaurationis Reip. per *Maccabæos*. *Gloriam* itaque non sibi sed Deo dandam ubi petunt, liberationem gloriosam, non sui sed Dei causa efficiendam, in oculis non habent, ut vulgo sumitur, sed liberationis jam factæ *gloriam* Deo, non sibi, cedere volunt. *Gloria* vero *datur* Jehovæ, cum 1. ipse pro causa & autore istius eventus agnoscitur, 2. suprema ejus majestas, in eo opere elucescens, ipsi adtribuitur; ipseque 3. pro summo Numine, optimo & potentissimo Deo, habetur ac celebratur. 4. religio denique, ab ipso Israeli præscripta, tanquam vera, & supremo Numine digna, agnoscitur, & exercetur. Hæc qui præstat, Jehovæ *gloriam* dat. Quæ phrasis omnem cultum Divinum comprehendit, ut Ps. XXIX. *Date Jehovæ gloriam nominis ejus, adorate Jehovam in decore sanctitatis.* Jes. XLVIII: 11. *gloriam meam alteri non dabo.* XLII: 8. *Ego sum Jehova, hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo nec laudem meam sculptilibus.* Emphasi non caret *nominis* Jehovæ expressa mentio: indicatur enim, Deum sese *celebrem* præstitisse & gloriosum, quod *nominis* notione sæpe exprimitur, præterea vim nominis *Jehovæ* in specie exseruisse, sese *benignum*, uberrima vena benefaciendi præditum,

tum, & *veracem* in promissis implendis, demonstrando. Quo ultimæ voces, mox exponendæ, tendunt.

§. XIII. Hanc *nominis* sui gloriam ubi petunt ut Deus ipse sibi *det;* se Dei glorificationem non tam inter Israelitas quam *Gentiles* intendere, haud obscure significant, cum quod ipsi, qui id petunt, ad id jam essent parati, ut Deo gloriam dent, uti in fine Ps. testificantur, *& nos benedicemus Jah* &c. tum quod a Deo supplicantes, ut ipse *sibi det* eam gloriam, rem non nisi divina potentia efficiendam esse indicent. In animo itaque habent *Gentiles*, inter quos volunt, ut Deus *glorificationem nominis sui* producat, opposite ad *contumeliam*, quam in Deum Israelis, ejusque populum & religionem, soliti fuerunt facere; de quo mox agitur. Supplicant itaque, ut Deus efficiat, & in posterum curet, ut Gentiles intelligant & agnoscant, illudque opere patefaciant, liberationem & instaurationem reip. Israeliticæ esse, non hominum, sed *Dei* opus, illumque Deum summa esse præditum Majestate & potentia, dignum, qui honoretur & colatur. Ad quod cum opus sit liberationis populi confirmatione & amplificatione, simul religionis Israeliticæ per orbem propagatione; illud ipsum simul intendi, manifestum est. Precantur, ut verbo dicam, id ipsum, quod Deus, sese Ecclesiæ Maccabaicæ facturum esse, promisit Jes. xxv: 7, 8. *Et absorbebit in monte hoc speciem operimenti, operientis omnes populos, & velamen impositum omnibus gentibus* &c. Sic ib. vers. 3. *Propterea glorificabunt te populus fortis; civitas gentium violentarum timebunt te.*

§ XIV. Ultima verba reddi possunt, vel *propter benignitatem, propter veritatem tuam*, vel *super ea.* Priore modo sensus erit, benignitatis & veritatis Dei virtutes Deum ad gloriam sui nominis inter Gentes manifestandam impellere debere; quia *bonus* est erga omnes, & de gentibus notitia ac fide veri Dei imbuendis *promissa* dedit, in quibus implendis *veracitas* elucescit. Præterea cum illustris hicce

eventus

eventus arcte cum Ecclesiæ Maccabaicæ stabilitate & prosperitate, nec non benedictione supra Patres, cohæreat, eamque una intendant precatores; *bonitas* & *veritas* Dei & hoc respectu eum excitare debent. Sed verti etiam possunt, *super benignitate & veritate tua;* quando materiam & rationem glorificationis Dei comprehendent: quia Deus eas virtutes nunc luculenter demonstraverat & illustraverat; nomen ejus celebrari ab omnibus justum erat &c. In hanc mentem reddi quoque possent verba, *da nomini tuo gloriam*, gloriam *summi bonitatis tuæ*, *summi veracitatis tuæ.* Particula enim על *super* aliquando *nominascit*, & more nominis flectitur, ac sumitur pro *summo*, *supremo;* quando vox *gloria* erit ex præced. repetenda: quod nihil habet insoliti. In quo illustrando & confirmando nunc versari non licet.

§. XV. ב. Has preces pro glorificatione Dei inter Gentes urgent mox ab indecentia & indignitate oppositi, quo Deo & populo Dei illudere solebant, dicentes, *ubi est Deus ipsorum* &c. Quam rei indignitatem, *α.* proponunt, vers. 2. *β.* amplificant, vers. 3--8. *α.* Propositio fit hisce verbis vers. 2. *Quare dicerent Gentes, ubi quæso Deus ipsorum est?* h. e. Fac Jehova, ut gloria nominis tui per felicem & firmum reip. nostræ statum innotescat Gentibus, & ab iis agnoscatur; ut, quod sæpe ante, & nunc etiam in summa adflictione nostra, fecerunt, nomini Tuo, & nobis populo tuo, insultare desinant: quid enim hac insultatione est indignius? Cum preces hac *ratione* urgeant, sese gloriam nominis Dei *Gentibus* manifestandam modo intendisse clare significant. Præsupponunt præterea, Gentilibus hoc in more fuisse, ut sarcastica hac interrogatione Israelem, in Dei & cultus ipsius contumeliam, petant tempore adflictionis & calamitatum; quemadmodum proxime adhuc sub persecutione Epiphanica fecerant. Quod ne amplius fiat, maximopere optant; cum sit detestanda & non ferenda calumnia; sicut interrogationis formula indi-

indicat, *quare dicerent?* h. e. absurdum & indecorum est, ut hoc faciant. A quo cum gentes absterreri, vel abstrahi nequeant, nisi *gloria* nominis Dei innotescat Gentibus: quam apte hinc petatur instantia, facile elucescit. Duo potissimum requirebantur ad contumeliosum & improbum hoc dictum inter Gentes abolendum, *alterum*, ut reip. & Ecclesiæ instaurationem, non casu & humana virtute, sed Divina ope fuisse factam intelligant Gentes, *alterum*, ut *durabilis* sit læta illa populi Judæi conditio, & magis magisque perficiatur. Hac ratione sicut cum pudore confiteri debeant Gentes, sese tempore adflictionis male insultasse Deo Judæorum, & religioni ejus; ita in posterum ab eo abstinerent, nec occasio iterum id faciendi ipsis suppeteret. Quæ duo cum superiore versu supplicassent, instantia hæc apte quadrat.

§. XVI. Ceterum sarcastici dicti, per interrogationem, fortiter negantem, propositi, sensus est, ut facile patet, Jehovam, Deum Israelis, vel non existere, esse non ens, fictum aliquod imaginarium Numen, ut Ps. XIV. *stultus dicit in corde, Deus non est*, vel populum aut non curare, aut liberare non posse; adeoque Gentium Diis longe inferiorem, nulloque cultu dignum. Quo dicto insultare solebant Israeli, tempore gravis adflictionis, & calamitatis, ab hostibus illatæ, quæ cum populi destructione erat, vel videbatur, conjuncta: ea nixi hypothesi, populi statum felicem, vel infelicem, de Numinis, quod colit, qualitate & potentia testari; quæ communis fuit Gentium opinio. Hæc indecentissima & Deo vero injuriosa insultatio, qua tempore adflictionis Epiphanicæ petitus erat Israel, ut plenissime cessaret, opus erat, ut instauratio, ope Divina facta, manifesta fieret inter gentes, & ipsa illa durabilem habeat effectum. Quo hic omnino collineat instantia superiorum precum, ut dixi.

§. XVII. β. Indecentiam & indignitatem dicti calumniosi, quam oratio, *quare dicerent?* involvit, explicatius

tradunt, & in lucem proferunt clariorem, ut instantia precum, inde desumta, fortior fiat, oppositione Jehovæ & Idolorum facta, & immenso eorum discrimine vivis coloribus depicto, quod hoc ipso tempore publice erat demonstratum in Israelis liberatione, & idololatriæ prostitutione & destructione, per Maccabæos. Ubi *a.* quis, qualisve, Deus suus sit declarant, vers. 3. *b.* quid sint idola, describunt, vers. 4--7. *c.* idolorum cultum & cultores itaque esse exsecratione dignos, concludunt, vers. 8. *a.* Confessio, quam edunt, ita sonat, vers. 3. *Etenim Deus noster in coelo est, & quicquid vult facit.* h. e. Quid de Deo nostro dici potest injuriosius, quam ipsum aut non esse, aut non posse? quid minus ferendum? cum utique Deus noster sit supremum Numen coeleste, liberrime agens, & omnipotens; sicut hoc ipso tempore, ut sæpe antea, luculenter sese demonstravit, nomen populumque suum vindicando: Deum suum non tantum talem esse, qualem hic describunt, sed & talem sese præstitisse declarant. Adtribuunt Deo suo supremam Majestatem, *ubi in coelo* esse dicunt, summam *libertatem*, & *potestatem*, qua nemini obnoxius est, aut rationem debet, denique *omnipotentiam*, ubi adserunt, *Deum facere quod vult.* Quæ veri Dei & supremi Numinis sunt criteria. Sed simul innuunt, *calamitates* populi de Dei imbecillitate non testari, cum in populo adfligendo Ipse pro supremo suo jure agat; semper juste ac sapienter, sed ita, ut *τὸ velle* Dei nobis satis esse debeat.

§. XVIII. *b.* Cum hoc tanto Deo comparantur *idola*, Gentium Numina, quæ præter externam formam corpoream, ab hominibus fabricatam, nihil habent: ut eleganter & fusius deducitur, vers. 4--7. *Idola ipsorum* (populorum) *argentum* & *aurum*, *opus manuum hominis. Os ipsis* est, *nec loquuntur; oculi ipsis*, *nec vident; aures ipsis*, *nec audiunt; nasus ipsis*, *nec odorantur; manus ipsorum* (vel ipsis) *nec palpant; pedes ipsis*, *nec incedunt; non mussitant*

guttu-

gutture suo. h. e. Tanto indignius est, Deo nostro insultari a Gentibus, acsi esset Diis earum inferior; quod Dii ipsarum sint pura puta idola, quæ præter humanam formam, ex pretioso metallo ab hominibus ipsis fabrefactam, nihil vitæ, sensus, scientiæ aut potentiæ, habent; muta & inanimata simulacra; sæpe antea, & nunc etiam prostituta, & vanitatis ac falsitatis convicta. Respicit poeta ad cultum Idolorum in simulacris & imaginibus, ubique Gentium receptis. Adpellat *idola*, seu statuas & imagines artificiose constructas. Eum enim significatum habet vox Hebr. a rad. עצב, quæ *stringere*, inde inter alia, *nervis & tendinibus artificiose colligare*, de corpore humano Job. x: 8. & sic *artificiose fabricare*, denotat. Quod verbum eo aptius est, quia ad *corporis* humani formam erant fabricata idola; magna etiam arte & opera; unde *opera manuum hominum* mox vocantur; opposite ad *homines ipsos*, qui sunt *opera manuum Dei.* Additur, esse *aurum & argentum;* sive solidum, sive eo obducta. Quæ vulgatissima idolorum erat materia. Addit poeta, *idola* quidem *formam* hominis habere, & membra similia, sed sine *sensu & usu;* muta itaque & vita cassa simulacra. Quod per partes eleganter exsequitur. In quo nihil est obscuri; nisi in ultimo membro, vers. 7. *non mussitant gutture.* Quod quid sibi velit & quare reliquis subjiciatur, difficiles habere videtur explicatus. Mihi alterutrum videtur statuendum, vel 1. de *halitu* per guttur ducto esse intelligendum, ut sensus sit, ne ullum vel minimum adesse vitæ aut sensus indicium; non tantum non loqui &c. sed ne quidem *respirare;* quando verti debent, *nec spiritum ducunt gutture suo.* Quod ex propria verbi הגה potestate, in *pulsu*, & *impetu concitatiore* sita, illustrari, & ex Ps. xc: 9. confirmari posset: vel 2. de *mussitatione*, & tenui loquela, exili *sono & murmure*, qualem *dæmonibus*, per simulacra loquentibus, tribuere solent [a], cogitandum esse, de quo Jes. VIII: 10. *consulite Engastrimythos*, & *Divi-*

[a] Vid. Bochart. Hieroz. p. I. l. III. c. 2.

Divinos, qui pipiunt, & spiritum altum ducendo mussitant, triste *& acutum loquuntur.*

§. XIX. Pericopa comprehendi recriminationem, seu potius retorsionem calumniæ, Deo vero factæ, in falsa Gentium Numina, tanquam in quæ rectius & ex vero conveniat, ea non esse, vel nihil posse, non in Deum Israelis, *qui in coelo est*, & *quicquid vult facit;* nemini non manifestum est. Sed sitne *justa* & exacta, an adfectuosa & exaggerata retorsio, quæritur. Ratio dubitandi est, quod simulacra non ipsa Numina, sed ab iis *obsideri*, & eorum esse *repræsentamina*, crediderint. Respondeo, ex vulgata non tantum opinione ipsa simulacra pro Diis fuisse habita & culta, ad quam magis quam peritiorum paucorum sententiam in cultu eo refutando respici solet; sed secundum alteram & saniorem opinionem recte sese habere hanc retorsionem, cum quod simulacrorum unio cum Spiritibus, & eorum ad Deos relatio, sit figmentum, adeoque præter nuda simulacra nihil sit reliqui, tum quod ipsa illa Numina, quorum censentur imagines, vel ficta sint, & non entia, vel corporea tantum, omni vita & ratione carentia, ut corpora coelestia &c. vel denique nostrarum rerum inspectores & curatores, scientia nostri & potentia nobis succurrendi præditi, non magis, quam ipsa simulacra, ut sunt mortui, & defunctorum Spiritus. In cultu itaque simulacrorum nihil superest, quam muta, & vita cassa, imago, quæ humanam præfert formam; sed de membrorum & sensuum humanorum *usu* nihil habet. Retorsio itaque justa est, & idolorum descriptio vera; quam Prophetæ sæpe alibi eodem modo instituerunt; uti Jes. XL. &c. & sæpe alibi. Sed quo scopo facta est retorsio? 1. ut summa indignitas & indecentia insultationis Gentilium elucescat, cum tantum sit Jehovæ & idolorum discrimen. 2. ut, Idola hoc tempore fuisse prostituta, & muta ac insensilia tantum esse simulacra demonstratum, cum per eorum in Cananæa per Maccabæos destructionem, tum per convictio-

victionem a Judæis inter Gentes dispersis institutam, insinuaretur, & ex eo preces pro gloriæ Dei manifestatione inter Gentes magis urgerentur. Idolis ita traductis & ludibrio expositis, ferendum amplius non erat, ut Deo Israelis illuderetur, vel eorum honor & cultus amplius vigeret. 3. Gentiles, & qualescunque alii terræ incolæ, ab Idolis absterrerentur, utique officii admonerentur Jehovam colendi, & idololatriæ nuncium mittendi. Imperaverant terræ *metum* & *reverentiam Jehovæ*, Ps. CXIV: 7. quod quam justum & necessarium sit, hic ex Jehovæ & idolorum comparatione adstruunt.

§. XX Quo directe tendit interminatio, vel summi mali cum idololatria connexi denunciatio, vers. 8. *Instar eorum erunt*, vel sint, *fabricatores eorum*, *quicunque in iis fiduciam reponunt. Fabricatores* non intelliguntur quicunque, & simpliciter qua tales, verum qui eo animo & scopo faciunt, vel faciendum curant, ut Deorum loco sint. Quod Jes. XLIV: 17. *in Deum facere* dicitur. Quare mox explicationis gratia additur, *quicunque iis fidit*. Quod Jes. l. c. est, *libera me*, *quia Deus meus Tu*. Sunt itaque simul *cultores* idolorum; qui *simulacra* sua fecerunt, ut vers. 4. habetur. In rem Martialis *a*.

Qui fingit sacros auro vel marmore vultus,
Non facit ille Deos; qui rogat, ille facit.

De illis adfirmatur, eos *esse* vel *fore* instar ipsorum idolorum. Potest enim illud *erunt* utroque modo sumi, vel pro *sunt*, sive esse solent, sicut modo habuimus in idolorum descriptione, *os ipsis & non loquentur*, sc. nec loquuntur, nec loquentur: sic & hic *erunt* pro sunt, eruntque semper; vel de futuro malo ac judicio, ipsis infligendo, capi, ut *imprecationis*, vel *prædictionis* instar sit. *Priore* sensu, fabricatores idolorum nihilo sapientiores aut

a Lib. VIII. epigr. 24.

præstantiores ipsis simulacris, vita omni & sensu cassis, repræsentarentur; quatenus hoc opere sese demonstarint omni *ratione* destitutos, & simulacra potius hominum, quam homines ratione præditos, de quibus dici possit, *oculos habent nec vident*, *aures nec audiunt* &c. brutos itaque & stupidos. Ita de idolorum fabricatoribus & cultoribus Jes. l. c. *non cognoscunt*, *non intelligunt*, *obliti sunt*, *ne videant oculi ipsorum*, *ne sapiat cor ipsorum*. Quo sensu verba ad ulteriorem idololatriæ prostitutionem facerent, cum factores idolorum, quam ingeniosi etiam & artificiosi, ipsis suis simulacris sint, rationis & sapientiæ respectu, similes: præterea sicut idola longissime a vera Divini Numinis imagine distant, & nihil minus quam Dii sunt, licet pro iis habeantur: ita fabri & adoratores eorum haud minus ab homine ejusque fini dissident, & reliquias *imaginis* Dei in se plane destruunt.

§. XXI. Posteriore modo verba intellecta duplicem fundunt sensum, *alterum*, quo *fiant*, vel *fient*, sit pro esse demonstrentur, patefiant & publice innotescant, *idolis* similes, seu mente & ratione orbi. Quod alias *confundi* & *pudore adfici* dicitur, ut Jes. XLIV: 11. de iis habetur. *Alter* sensus est, quo eadem sors formatoribus idolorum, quæ idolis ipsis, adsignatur; adeo ut, sicut idola nec sibi, nec aliis, auxilio esse possunt, quin justo Dei judicio sunt destruenda, in eandem conditionem sint redigendi cultores eorum, una cum operibus manuum suarum perituri; nisi resipiscant, & ab eorum cultu ac communione discedant. Quod subintelligendum esse, facile patescit. *Fieri* instar idolorum dici queunt homines, qui in illum recidunt statum, quo *a.* nec nocere nec prodesse possunt aliis, non magis quam idola. *b.* sibi non possunt opem præbere. *c.* Deo, & hominibus sanæ rationis, sunt odio & contemtui. *d.* denique e medio tolluntur, & mala morte mulctantur; quando *idolis* vere fiunt similes, vita cassi, & membrorum omnium usu orbi.

§. XXII. II. Cum

§. XXII. II. Cum itaque Jehova, Deus Israelis, sit verus Deus, idola vero nihili, eorumque cultores haud meliores; Israel vero Jehovam sæpe ante & nunc proxime potentissimum & præsentissimum Numen expertus esset, magisque experiretur: populum quam aptissime ad fiduciam in Jehova solo collocandam, quicquid Gentiles, & idolorum cultores etiam irriderent, adhortatur, vers. 9..11. quæ *secunda* Ps. pars est, his verbis. *Israel confide Jehovæ; auxilium eorum & clypeus eorum Ipse. Domus Aaron fidite Jehovæ; auxilium eorum & clypeus eorum ipse. Timentes Jehovæ confidite Jehovæ, auxilium eorum & clypeus eorum Ipse.* Singulare est, & ante omnia observandum, Israelem hic in tres classes, vel ordines, dispesci, *Israelem, domum Aaronis*, & *timentes Jehovæ:* cujus distinctionis alia nequit dari ratio aptior, ac quod præter *populum*, *Israelis* nomine insignitum, sola *domus Aaronis*, seu ordo sacerdotalis, ea phrasi intelligendus, eminuerit, & distinctum constituerit ordinem. Ex quo colligendum est, summam potestatis & imperii hoc tempore fuisse penes *sacerdotes.* Fieri ceteroquin non potuisset, quin *Rectorum* peculiaris facta fuisset mentio. Illi vero nec *Israelis*, nec *domus* Aaronis nomine comprehendi possunt, si seorsim locum tenuerint in populo. Convenit vero illud diserte in tempora, quæ instaurationem ab exilio Babylonico secuta sunt, in primis Maccabaica; uti nemini non notum est. Sed quare *timentes Jehovæ* distincte memorantur? num, ut Israelis & domus Aaronis *qualitas*, quæ ad veram & Deo gratam fiduciam requiritur, simpliciter exprimeretur? an ut distinctus hominum ordo in medio Israelis indicaretur? alterutrum enim statuendum videtur. *Prius* locum tenere nequit, cum quod *timentes* Jehovæ distincte memorentur, nec semel sed bis eodem in orationis tenore, uti vers. 13. tum quod Israeli & domui Aaronis adjungantur, adeoque, sicut illi, ita & hi distinctam classem constituant, necesse est. Quod mox ex Ps. CXVIII. ulterius confirmabitur. Accedit,

cedit, hoc nomine notos fuisse in Israele conversos ex Gentilibus, qui, idololatrico cultu abdicato, solum *Jehovam* pro summo Numine, & objecto adorationis & cultus habebant, licet alias Judaicæ Ecclesiæ non incorporati. Quales alio nomine adpellati sunt *Proselyti.* Eorum vero fuisse hoc proprium epitheton, ex historia Apostolica dubio caret. Sic Cornelius *pius* vocatur, & *timens Deum* Act. x: 1. nec non Lydia c. xvi: 14. *timentes* quoque *Deum* a *viris Israelitis* distinguuntur, c. xiii: 16. qui *timentes*, vel *religiosi* Græci adpellantur, c. xvii: 4, 17. Eo autem nomine veniunt, quod, licet Gentiles origine, Deum Israelis unice colerent, sola Numinis ejus reverentia ducti: quare non simpliciter *Dei*, sed *Jehovæ* timentes adpellantur. Hi cum *idololatriæ* renunciaverant; merebantur hic in specie memorari, ubi, idolorum cultu & cultoribus refutatis, *fiducia* Jehovæ imperatur ejus cultoribus.

§. XXIII. Exhortatur omnes istos ordines poeta ad *fiduciam* in Jehova collocandam; timoris Jehovæ necessarium adjunctum, vel consequens. Licet enim *proselyti*, eo titulo tantum insigniantur, *timorem* Jehovæ iis non esse proprium, sed omnibus adesse, præsupponitur. De Proselytis tantum expresse dicitur, quia de reliquis id per se sequebatur, cum *Jehova* esset Israelis & Aaronidarum *Deus;* quem cum proselyti adoptassent, hinc & ipsi *timentes Jehovæ* fuerunt dicti. Prærequirit *fiducia*, cum agnitionem Dei, & fidem in eum, tanquam qui possit & velit nostra desideria & defectus implere, tum adfectum erga Ipsum, quo quis in ejus communionem, tanquam summum bonum, fertur supra omnia, & ad ipsius voluntatem in omnibus præstandam pronus est & paratus. Ipsa vero *fiducia* est, qua res meas Deo committo curandas, mediorum, quæ adhibeo, & laborum, successum ab ipso, ejusque favore & benedictione, unice exspecto, promissorum complementum mihi sine fluctuatione ab ipso promitto; in periculis & discriminibus me in ipso corroboro, & spe libe-

berationis, vel beati eventus lacto & erigo. Verbo, *fiducia* Christiana est *mentis adfectio, alte infixa, qua, anxietate & metu seposito, quis sese tranquille & submisse Dei curæ in Christo committit, sub certa spe cum vitæ æternæ, ordine, a Deo constituto, consequendæ, tum directionis Paternæ, promissis & bonitati ejus congruæ.*

§. XXIV. Ad hanc *fiduciam* cum poeta Israelem & timentes Jehovæ adhortatur, sive ut negligentiam & torporem iis excutiat, sive ut currentibus quasi calcaria addat, sicut, eos in solo Jehova, & modo debito, fiduciam collocare, vult, ita clare indicat, *a.* eos hoc posse facere, cum sint populus Dei, & ejus timentes. *b. debere* facere, cum sit officium ipsis incumbens, *c.* multis rationibus, ab utili & jucundo, etiam temporis circumstantiis, desumendis, ad id excitari. Quas generali hac phrasi, *auxilium & clypeus ipsorum ipse*, comprehendit. *Auxilium* eorum adpellat Deum, quod sit Deus ipsorum *omnisufficiens*, qui eos omni copia bonorum donare possit & velit. Primitiva enim radicis עזר potestas est, *copiose fluxit, abundavit*, & frequentatur in *ubere animalis largiter fluente. Clypeus* vero vocatur, quatenus eorum protector sit & defensor paratissimus & potentissimus: qui mala ingruentia avertere & hostium insultus reprimere potest, & vult. Quæ quam efficaces sint rationes ad *fiduciam* producendam, quam solida sint ad eam fundandam fundamenta, nemini non patet. Ceterum ad orationis structuram facit, notasse subitum a secunda ad tertiam personam transitum: cum enim, sermone ad eos converso, dixisset secunda persona, *confidite*, mox de iis in tertia pergit, *auxilium eorum ipse est.* Quæ personarum mutatio rara non est in stylo Orientis, nec emphasi elegantiave caret: sive sit pro *ipsorum vestrum*, sive, sese recte eos ad hanc fiduciam incitare publice exponere velle, significet: acsi haberetur, *fidite Jehovæ;* quod recte possunt & debent, cum sit *auxilium eorum* &c. Nec em-

M phasi

phasi caret pronomen אוה *ipse* pro est; *Ipse* tam bonus, tam potens, tantus Deus &c.

§. XXV. III. Adhortationi ad fiduciam in Jehova apte subjungitur promissi *benedictionis* & *multiplicationis* implementum nunc præstandum, vers. 12--15. quæ *tertia* Ps. pars est, his verbis. *Jehova recordatus est nostri, benedicet, benedicet domui Israelis; benedicet domui Aaronis: benedicet timentibus Jehovæ; parvis cum magnis. Addet Jehova vobis, vobis & filiis vestris. Benedicti vos Jehovæ, qui fecit coelum & terram.* h. e. Sicut Jehova sese vobis præstitit auxilium & clypeum; ita præstabit in posterum: nostri enim memor fuit in rep. & Ecclesia instauranda, & reliqua promissa, cum hac instauratione connexa, implebit, benedicendo universo populo, & omnibus ejus classibus, simul eum mirifice augendo & multiplicando in longam posteritatem: adeo ut populus sit, adpellarique possit, *benedictus Jehovæ creatori.* Quod ut fiat, meorum quoque votorum summa est. Poeta א. *beneficium* modo in populum collatum memorat, tanquam fundamentum, vel antecedens, sequentium; ubi dicit: *Jehova recordatus est nostri*, h. e. Cum per gravissimas calamitates, in quas incidere nos sivit, nostri videatur oblitus, vel curam reip. & Ecclesiæ abjecisse; nunc luculenter ipso facto, nos liberando & in pristinum statum gloriose restituendo, sese eundem erga nos animum & adfectum, quem olim, habere, demonstravit. Phrasis pro hypothesi habet adflictionem populi, quæ externam *oblivionis*, vel abjectæ curæ, populi speciem præferebat; dicitque, Deum curæ & amoris populi publica & luculenta dedisse specimina. Cum vero in præt. loquatur, *recordatus est*, illud beneficium jam tunc in populum fuisse collatum, quod probe notandum est, indicat. In phrasi nihil esse difficilis.

§. XXVI. ב. Recordationi adjungit, tanquam ejus consequens, *benedictionem*, mox & in sequentibus præstandam, verbis fut. temporis usus. Quam in genere proponit,

nit, & ad omnes populi classes & ordines extendit, vers. 12, 13. *benedicet*, dicit, *benedicet domui Israelis*, *benedicet domui Aaronis*. &c. Benedictionis nomine quævis beneficia, corporalia & Spiritualia, tanquam favoris Dei signa & effecta, quæ civitatem & Ecclesiam reddunt felicem & prosperam, promissis foederis Sinaitici comprehensa, intelligi, nemini non manifestum est. Cum vero in genere dixisset, nulla persona nominata, *benedicet;* tempus benedicendi advenisse, & benedictionem fore copiosam ac universalem, indicans; mox eam ad quosvis hominum ordines extendit & adplicat, populo Israelis, domo Aaronis & timentibus Jehovæ expresse nominatis; de quibus classibus supra dixi. Ubi vero *parvos cum magnis* subjungit, qualiscunque ætatis & loci per singulas illas classes intelligit: nec enim ad *timentes* tantum Jehovæ, sed reliquos quoque ordines, hæc verba referenda sunt.

§. XXVII. β. *Benedictione* in genere memorata; notabilem ejus partem in specie expresse signat, vers. 14. *Addet Jehova vobis* &c. Quibus verbis, non benedictionis continuatio ac cumulatio, per nova beneficia veteribus continuo addita; sed personarum & seminis propagatio ac multiplicatio speciatim repræsentatur. Sicut ex ipsa phrasi, & usu Script. Gen. xxx: 24. Deut. I: 11. 2 Sam. xxiv: 3. & alibi, elucescit. Quod ipsum bonum, Israeli sæpe promissum, in primis post exilium Babylonicum præstandum, ut Moses prædixit Deut. xxx: 5. Ecclesia Maccabaica impletum vidit: uti aliunde notum est. Ubi vero additur, *vobis & filiis vestris*, longa & identidem augenda posteritas significatur. Interpretes in hoc versu exponendo minus feliciter versati sunt.

§. XXVIII. γ. Concludit hanc prædictionem voto pro benedictione populi, quo fidem & spem suam exprimit simul, simul officii populum admonet, ut sese tanto beneficio digne gerat, vers 15. *benedicti vos Jehovæ*, *qui fecit coelum & terram*. h. e. sitis, eritisque, & digne vivite.

Adprecatur populo hanc benedictionem, & gratulatur ſimul, adeoque vota & ſpes ſuas in lucem profert, de implemento promiſſæ benedictionis perſuaſus; quia *Jehova* eſt Deus verax, idemque *creator coeli & terræ*, adeoque potentiſſimus. Ex quo ratio ſponte ſua ſeſe offert, quare *Creatoris* epitheton addiderit. Verum non hoc tantum, ſed ſimul quales ſeſe habere & gerere debeant, ut benedictioni Divinæ reſpondeant, ob oculos ponit, ubi eos *benedictos Jehovæ creatori* adpellat. Cum enim tantum ſit Numen, a quo profluxit benedictio, Deus ſupremus, coeli & terræ factor & poſſeſſor, noſtri non indigus, qui homines ad ſui gloriam fecit, *benedicti Jehovæ* gratos ſeſe præbeant, & creatori gloriam dent, oportet.

§. XXIX. IV. Quod ipſum officium mox clarius proponit, una cum propoſiti ſui & piorum teſtificatione, verſ. 16--18. quæ *quarta* Pſ. pars eſt; his verbis. *Coeli, coeli Jehovæ ſunt, Terram dedit filiis Adami. Mortui non laudabunt Jah; nec ulli in ſilentium deſcendentes. Et nos benedicemus Jah, a nunc & in æternum.* h. e. De officio benedictorum Jehovæ, eorumque ad illud obligatione, facile conſtat ex ſcopo Dei in coelo & terra creandis, ut coelum ſit Majeſtatis divinæ ſedes, terra vero inhabitaretur ab hominibus ratione & vita præditis, adeoque ſolis ad Deum celebrandum aptis inter viva & animata, & eo deſtinatis; cum mortui, & in regione ſilentum poſiti, ad id inepti ſint. In quo officio præſtando præibimus nos, & exemplum præbebimus aliis quibuscunque terræ incolis. Occurrit *a*. fundamentum officii, Deo debiti, in ſcopo creationis ſitum, verſ. 16. Quæ verba duplici ratione verti & exponi poſſunt. *Altera* eſt, ut voces *coeli*, & *terra* abſolute capiantur, pro, *quod adtinet ad coelum & terram;* ſicut jam obſervavit Gejerus: *altera* vero ellipſin vocis שמי ante שמים admittit, & hunc conſtituit ſenſum, *coeli, & coeli coelorum ſunt Jehovæ: terram vero dedit filiis Adami.* Plene reperitur hæc phraſis Deut. X: 14. I Reg. VIII: 27. Neh.

IX: 6.

IX: 6. & alibi. Coeli itaque erunt *adſpectabiles* coeli, & *coeli coelorum*, quicquid ultra eſt, & tertium ac ſupremum coelum. Quod vero ad rem ipſam adtinet; ſenſus non eſt, Deum ſibi ſolum coelum reſervaſſe, & terram hominibus in propriam poſſeſſionem dediſſe, omni jure in eam, omni ejus cura & directione depoſita; nec etiam, Deum ſibi ſoli coelum ſumſiſſe, terra hominibus relicta, ita ut nemini ad coelum ſit poſt mortem aditus. Utrumque illud a ratione alienum eſt, & Script. adverſatur; cum ſcopo & nexu etiam non conſiſtit. *Coelum* & *terra* hic relate ad hanc vitam, ad periodum hujus magni ſeculi & ævi, tantum conſiderantur; de futuro ſeculo nihil definitur. Quod ex ſeq. facile pateſcit. Hujus itaque *ævi* reſpectu, Deus ſibi conſervavit *coelum*, quatenus ſedem Majeſtatis non in terra, ſed *coelo* collocavit, & tanquam *coeleſte*, non *terreſtre* Numen cenſeri voluit, cui propterea nullæ imagines in terra aptari debent. Præterea *coelum* eſt Jehovæ, quatenus ipſe ſolus eſt ſublimis & excelſus, Dominus & rex univerſi; ſupra terræ incolas infinite evectus, & eorum ſupremus rector ac arbiter. *Terram* vero *dedit hominibus*, tanquam Dei reſpectu *ſubditis*, ſed, relate ad alias creaturas terreſtres, *dominis*, ad terram inhabitandam, colendam, eaque fruendum, & Deum ſupremum Dominum ſuum glorificandum.

§. XXX. Significatur itaque 1. homines quidem in terra eſſe collocatos, tanquam rerum & creaturarum terreſtrium dominos & poſſeſſores, quorum uſibus res omnes in terra inſerviant, & ad quas qua homines *jus* habeant aliquod legitimum: attamen 2. Deo, qui in coelis eſt, longe inferiores, non tantum, ſed & ejus *ſubditos*; qui 3. *muneris* loco terræ poſſeſſionem habent, tanquam uſufructuarii, qui Deo, proprio Domino, rationem debent uſus rerum terreſtrium; 4. nec hoc tantum, ſed & Deum, tanquam largitorem ſuum & Dominum, agnoſcere, colere, & celebrare, debent, per omne hujus vitæ tempus. Quod

ſequentia confirmant: ut mox videbimus. Eodem tendit, & eundem præbet intellectum, quod Jeſ. XLV: 18. habetur; cum noſtro loco conferendum.

§. XXXI. β. Urgetur officium ex vitæ hujus tempore, unice ad illud apto, verſ. 17. *mortui non laudabunt Jah; nec ulli in ſilentium deſcendentes.* Senſus eſt, cum morte ceſſare officium Dei laudandi, homini in terra datum; cum vivus, & non mortuus, ad id ſit tantum aptus. Quod non abſolute, ſed reſtricte, & ad officium hominis in hac vita inter homines relatē, intelligendum eſt: ut ex nexu & ſcopo orationis facile intelligitur. De quo plura dixi ad Pſ. VI: 6. Scopus eſt, *partim* omnes per terram homines excitare ad Deum in vita laudandum, ad quod facti ſunt, & propter quod terra ipſis a Deo data eſt, *partim* confirmare promiſſi implementum de populi Dei, ſeu Eccleſiæ veræ, propagatione ac multiplicatione; cum fieri nequeat, ut Deus ſemen ſanctum in terra interire ſinat; quia non *mortui* ſed *vivi* Deum laudare debent; ad quod homines in terra poſuit.

§. XXXII. γ. Denique concludit canticum cum propoſiti ſui de Deo benedicendo teſtificatione, verſ. 18. *Et nos benedicemus Jah, a nunc & in ſeculum.* Quicquid alii fecerint, officio defuncturi nec ne; utique nos, qui verum Dei populum conſtituimus, in eo opere erimus per omnem vitam; erit quoque Eccleſia per omnia ſecula. Poteſt enim ad populum Dei in genere referri, quod hic in prima perſona de ſe dicit, ſuo & aliorum piorum nomine, poeta; adeoque ad omnia tempora usque ad finem mundi extendi.



PSALM. CXVI.

1. *Halleluia. Diligo, quia Jehova vocem meam audivit, ſtridulos meos ſonos.*
2. *Quia inclinavit aurem ſuam ad me. Etenim in diebus meis clamare ſolebam.*
3. *Adcumularunt me dolores,* vel *vortices, mortis, & anguſtiæ inferorum pervaſerunt me, anguſtiam & moerorem cruciantem inveniam.*
4. *Nomenque Jehovæ inclamare ſolebam: quæſo, Jehova, eripe animam meam.*
5. *Tenerrimo præditus adfectu Jehova, & juſtus, & Deus noſter miſericors.*
6. *Servator ſimplicium Jehova: adtenuatus ſum, & mihi ſalutem præſtitit.*
7. *Redi anima mea ad recubationem tuam, quia Jehova adcumulavit bona ſuper te.*
8. *Quia eruiſti animam meam morte, oculos meos lacrymis, & pedem meum inpulſu.*
9. *Ambulabo coram Jehova in terris viventium.*
10. *Firmum feci* greſſum, *quia locutus ſum, ego adflictus ſum valde.*
11. *Ego dixi in mea incoxatione,* ſeu *trepida discurſatione, omnis homo mendax* eſt.
12. *Quid rependam Jehovæ? omnes beneficentiæ ejus adcumulationes* ſunt *ſuper me.*

13. *Ca-*

13. *Calicem salutum tollam, in nomine Jehovæ proclamabo.*
14. *Vota mea Jehovæ solvam, coram nunc omni populo ejus.*
15. *Grave est in oculis Jehovæ mortem versus pro piis suis.*
16. *Quæso Jehova! quia ego servus tuus, ego servus tuus, filius ancillæ tuæ, solvisti vincula mea.*
17. *Tibi offeram sacrificium laudis, & in nomine Jehovæ proclamabo.*
18. *Vota mea Jehovæ solvam coram nunc omni populo ejus.*
19. *In atriis domus Jehovæ, in medio tui, Hierosolyma!*

PROLEGOMENA.

§. I.

PRæclari hujus Cantici argumentum est, gratissimi, & ad Deum publice colendum ac celebrandum paratissimi, animi solennis testificatio, ab illustri aliquo viro, *servi* Dei titulo insigni, suo & sociorum nomine, facta propter singularem ac gloriosam a gravissimis calamitatibus, ac præsentissimis mortis violentæ discriminibus multiplicibus, liberationem, Deo soli, & non hominibus, adtribuendam; eamque secutam lætam & prosperam sui & populi universi conditionem. Cum servus Dei, qui hic in scenam producitur, dixisset, se amoris Dei esse plenissimum ob quiritationes & preces suas exauditas, statum suum adflictum, preces tunc fusas, liberationem acceptam, & felicem inde ortam conditionem, depingit, seseque ad vota tunc facta præstanda, & nomen Dei publice, solenni loco & tempore Hierosolymis, celebrandum, profitetur esse paratum.

§. II. Ad pleniorem argumenti deductionem facit, notasse, 1. Personam hic ob oculos sisti non vulgarem, sed hono-

honoratiorem, & Dei ac religionis ſtudioſiſſimam; ſicut ex toto Pſ., in ſpecie *ſervi* Jehovæ titulo, & *piorum ejus* epitheto, verſ. 15, 16. manifeſtum eſt. 2. *Statum* ejus fuiſſe antea adflictiſſimum & deſperatum; nunc vero lætum eſſe & proſperum. Adflictio deſcribitur graviſſima, quæ cum ſummis anguſtiis non tantum, ſed & violentæ mortis certiſſimo periculo erat conjuncta: in quam religionis & pietatis cauſa inciderat, adeo ut ad mortem fuerit quæſitus ab hoſtibus religionis, quod ei firmiter adhæreret: ut ex verſ. 15, 16. colligi poteſt. Status erat præterea, ſi ad humanam opem reſpicias, deſperatus, uti innuit, ubi *omnem hominem mendacem*, verſ. 11. a ſe in ſumma ſua trepidatione & incoxatione, fuiſſe dictum declarat. *Præſens* vero conditio, in quam per ſingularem Dei gratiam erat adſertus, repræſentatur admodum ſecura & proſpera, quæ ab omni malo, & metu, immunis, ſummam animi acquieſcentiam adferebat, & ſingularem gratitudinis demonſtrationem exigebat. Quod cuique, Pſ. relegenti, in oculos incurrit, & verſ. 7 & 8. clare ſignificatur. 3. Utrumque hunc ſtatum ipſi non fuiſſe & eſſe privum, ſed cum multis aliis, eodem religionis & pietatis ſtudio ductis, imo cunctis piis & religioſis, communem, adeo ut generalis fuerit religionis cauſa perſecutio, & liberatio quoque ac læta inſtauratio univerſalis. Quo directe tendit, quod *grave dicatur in oculis Domini mortem verſus, pro piis ſuis*, verſ. 15. quorum verborum ſenſus eſt, Dominum non pati, pios ſuos, & religionis ſtudioſos, prædam mortis rapi ad inferos. De læta rerum cataſtrophe etiam teſtatur, quod *coram toto populo, in medio Hieroſolymæ*, vota ſua ſolvere velit, Deus quoque tanquam *ſimplicium ſervator* celebretur, verſ. 6.

§. III. Hæc qui ad animum retulerit, in hypotheſin noſtram de *occaſione* & *tempore* hujus Pſ., iisdem ac ſuperiorum, quin deſcendat, vix dubitaverim. Interpretes, qui mentem hac de re explicuerunt, de tempore Davidis ſive

N ſub

ſub Sauli, ſive Abſolomi, dominio, paſſim cogitant. Sed, præterquam quod Davidis nomen in fronte non gerat, nec ullum ejus criterium præferat Pſ., *a.* in illa tempora non quadrat perſecutio *religionis* & *pietatis* cauſa; quem conſpectum modo in lucem protraxi. *b.* a Sauli temporibus nimis abhorret, quod vota ſoluturus dicatur in *atriis domus Jebovæ*, *in medio Hieroſolymæ;* ut facile cernitur; quod nec in omne tempus Davidis exacte convenit, ſi *Templum*, quod probabile eſt, & phraſis *atriorum domus Jebovæ* Hieroſolymis requirit, intelligendum ſit. *c. Vinculorum* mentio, verſ. 16. ſi proprie ſit capienda, nos a Davide diſcedere jubet. Nec ſanius eſt eorum judicium, qui ad *reduces* ab exilio Babylonico Pſ. referunt; cum nec Babylonica calamitas hic cenſeri poſſit deſcripta, quæ nec religionis cauſa facta eſt, nec in piis tantum ad necem quærendis ſita fuit, nec etiam læta & proſpera conditio, hic depicta, ullo modo in eos conveniat. Reducum enim ſtatus manſit *ſervilis*, tenuis, triſtis & dubius; longe ab hujus perſonæ ſtatu verſ. 7—9. alienus. Auſim itaque adfirmare, nullum per univerſam Oeconomiam Veterem exſtitiſſe tempus, cui duplicis hujus viri ſtatus lineæ reſpondeant, præter *Maccabaicum;* in quod omnia criteria exacte conveniunt; præcipue ſub *Simone* Ethnarcha. De quo nemo, hiſtoriæ peritus, dubitare poterit.

§. IV. Adflictio Epiphanica fuit graviſſima, & cum multiplici mortis violentæ periculo conjuncta, nec alia quam religionis cauſa inſtituta; quam legis & religionis ſtudioſi, *Chaſidæi* dicti, qui titulus verſ. 15. occurrit, in primis ſubire debuerunt. Fuerunt etiam tunc ab omni humano auxilio deſtituti, uti verſ. 11. indicatur, & hac parte res eorum deſperatæ. Quam glorioſe & miraculoſe fuerint liberati, & in lætiſſimam conditonem adſerti, ſub Simone & J. Hyrcano, nemini non ex Hiſt. Maccabaica conſtat. Videtur autem haud improbabile, *occaſione* feſti, in memoriam liberationis inſtituti, quale fuit *encæniorum*, vel

vel *luminum*, hoc canticum esse compositum, eo forte scopo, ut in eo publice caneretur. Utique quod *vota* sua solenniter soluturus dicatur in medio populi, & *calicem* salutum sumturus; nos ad publicum lætitiæ & conviviorum tempus ducere videtur.

§. V. *Scopus* Ps., cujus *autor* est in obscuro, ex dictis sponte sua sese offerens, est, formulam Dei pro summo in populum collato beneficio publice laudandi & celebrandi in manus dare fidelibus, ad exemplum illustris viri in rep. & Ecclesia nomine *servi* Dei eminentis, qui hic introducitur loquens; ut viam præeat, & aliis exemplum imitandum præbeat. Quæ enim huic servo Dei, vero Chasidæo, in ore dantur: ipsi priva non fuerunt, sed cum aliis, Chasidæorum quoque titulo insigniri solitis, communia: uti modo notavi. Quo etiam inscriptio psalmi *Halleluia* pertinet. Hæc enim vox, superiori Ps. subnexa, ad hunc omnino pertinet; uti supra quoque observavimus: in fine vero hujus Ps. occurrens ad sequentem est referenda: confirmant LXX Interpretes.

§. VI. Partes Ps., ut generalem ejus tradam analysin, duæ sunt majores, *propositio* & ejus *deductio*. I. Propositio occurrit, vers. 1. & priore membro, vers. 2*di*. *Diligo, quia Jehova audivit vocem meam, stridulos meos sonos; quia inclinavit ad me aurem suam.* II. In propositionis deductione, א. sese offert argumentum & ratio *dilectionis* Dei, seu exauditionis Dei fusior explicatio respectu status, *primo* adflicti præteriti, *dein* læti & prosperi præsentis; a Dei gratia unice repetendi; vers. 2. in med. ad vers. 11. ב. *Dilectionis* sequitur fusior descriptio, quæ vota solvenda, sacrificia offerenda, & Dei celebrationem solenniter instituendam, complectitur; vers. 12—19.

ANACRISIS.

§. VII. Hypotheſios Pſ. exponendi investigatione ſuperſedere licet; cum ex ſuperioribus ſatis eluceſcat, Pſ. ad ipſa illa tempora Maccabaica, quæ deſinivi, adplicandum, & ſecundum eam normam explicandum eſſe. Certiſſimus enim eſt Pſ. interpretandorum canon, eos ad ipſas illas perſonas, quæ compoſuerunt, vel ad ipſa tempora, quibus facti ſunt, quæque anſam præbuerunt, adplicandos eſſe, ſi nihil obſtet, aut aliarum perſonarum, aliorumque temporum, criteria adſint. Hunc qui migrat canonem, in Pſ. explicandis pro arbitrio verſatur. Continemus itaque nos intra Eccleſiæ Maccabaicæ limites, in quam omnia egregie conſpirant; ſuoque lubentes relinquimus loco illorum opiniones, qui ad Eccleſiam Chriſtianam, ſive ex diverſis anguſtiis per varias periodos liberatam, ſive ex Papiſmo per Reformationem vindicatam, oculos vertunt. In quibus refutandis eſſe non lubet.

EXPLICATIO.

§. VIII. Propoſitio Pſ., quæ beneficium a Deo acceptum, animumque gratitudinis & amoris pleniſſimum, comprehendit, ita ſonat: verſ. 1, 2. *Diligo: quia audivit Jehova vocem meam, ſtridulos meos ſonos; quia inclinavit aurem ſuam ad me.* h. e. Querelas & ſupplicationes meas, in ſumma & deſperata mea adflictione ex intimo adfectu fuſas, cum Jehova benigne, & cum favoris ſui demonſtratione, exaudierit, triſtemque meum ſtatum cum lætiſſimo commutaverit: tanti beneficii ſenſu tam vivide adfectus ſum, ut, amantis inſtar, tenerrimos amoris motus, & effluvia, perſentiſcam, & totus in amore ſim, Dei celebrandi & colendi, omniumque flagrantis charitatis officiorum

rum erga Deum & homines explendorum, ſtudio ardente latus. Verba & *beneficium* a Deo collatum, & animi *adfectum* inde ortum conin en.

§. IX. Beneficium in querularum precum exauditione, ex favore a Deo facta, ponitur. *Audivit Jehova*, dicit, *vocem meam*, *ſtridulos meos ſonos:* id eſt, vocem meam querulam & ſupplicatoriam, ex intimis visceribus erumpentem. Vox Hebr., quam *ſtridulos ſonos* reddidi, ad originalem ejus poteſtatem, qua animantium ſtridulos ſonos, cum adfectum erga pullos ſignificant, denotat, uti ſæpe alias obſervavi, reſpiciens, *argutiores* hoc loco expingit *&* *flebiles* ex intimo gutture editos ſonos, quales ſunt *quiritantium* & opem implorantium; adeoque ob oculos ponit, cum adflictum hujus perſonæ & miſerabilem ſtatum, qui ſtridulas & querulas ciet voces, tum ſupplicationes ejus, quibus Deum ad miſericordiam flectere conatus fuit, cum quiritationibus ex intimo pectore conjunctas. Adjungitur hæc ſtridula & ſupplex imploratio *voci*, *vocem meam* & *ſtridulos meos ſonos* dicit, explicationis ergo, ut de voce querula & ſupplicatoria cogitaretur. Quod alias in ſtatu conſtructo dicitur, *vox ſtridoris*, ut Pſ. XXVIII: 2. & alibi, hic quoque locum habere poteſt, ſi קול *vox* repetatur, ut plene ſit; audivit *vocem meam*, vocem *ſtridorum meorum*. Haſce ſuas voces Deum non ſimpliciter *audiviſſe*, ubi dicit, ſed ſimul *aurem ad ſe inclinaſſe*, eum *aure inclinata audiviſſe*, ſignificat; hac enim ratione membra diviſa ſecum ſunt conſtruenda. *Aure vero inclinata* audire eſt ſtudioſe, adcurate, & ex intimo adfectu cum ſuccurrendi propoſito, audire: metaphora ab homine petita, qui ex intimo adfectu *unam* aliquo inclinat aurem, ut accurate percipiat, cum propoſito *vocem* illam faciendi.

§. X. Significat itaque ſe *a.* ex ſumma ſua adflictione fuiſſe liberatum; imo *b.* in lætiſſimam & proſperrimam adſertum conditionem; ita ut preces & deſideria ſua plene dici poſſint impleta. *c.* ſingularem hanc rerum cataſtro-

phen *Deo* unice esse acceptam ferendam, nec non *d.* pro singulari *beneficio* Dei, quod de adfectu Dei & favore erga se testabatur, esse habendam; adeoque *e.* aptam natam esse ad flagrantem in se adfectum erga Deum accendendum. Quemadmodum ipse quoque expertus erat, &, dum hunc Ps. composuit, vel cecinit, reapse sentiebat; adeo ut se continere non possit, quin mox & quasi ex abrupto in *amoris* expressionem erumpat, dicens: *diligo*, *quia audivit Jehova* &c.

§. XI. Animadversionem meretur, quod non dicat, *diligo Jehovam*, sed absolute *diligo*: quod longe majore pollet emphasi, uti a Coccejo & aliis recte est notatum. Significat enim non actum tantum, sed adfectum & statum amoris, nec qualiscunque, sed ardentis, & universalis; ita ut *amo* idem sit, ac amore flagro, plenus sum amore, &, eo veluti absorptus, totus amor, & in amore. Quæ amplissimi sensus phrasis est. Complectitur enim lætitiam, acquiescentiam, intimum favoris Dei sensum, gloriationem, flagransque studium Deum celebrandi, & colendi, omniaque officia, Deo & proximo debita, ardenter & accurate præstandi: licet enim objectum amoris non adpellet, in *Deum* tamen tendere, ex seq. facile patet. Dei itaque respectu, qui tot ac tanta favoris sui signa & effecta dederat, declarat, se *amare* & amoris esse plenum, quatenus eum intimo adfectu complectitur, in eo & favore ejus unice delectatur & gloriatur, & ejus gratia ad ejus gloriam se omnia paratum esse facere.

§. XI. In propositionis deductione. ℵ. status sui felicissimam mutationem describit, vers. 2-11. Cujus sequentes sunt partes. *α. Prima* status miseri & calamitosi lineas ducit, & querelas ac preces tunc fusas exponit, vers. 2-4. *Etenim in diebus meis clamare solebam; adcumularunt me dolores mortis; & angustiæ inferorum pervaserunt me: Angustiam & moerorem cruciantem inveniam. Nomenque Jehovæ inclamare solebam; quæso Jehova, eripe animam meam.*

h. e.

h. e. Quanto ſim mactatus beneficio, quamque juſtam amoris habeam rationem, facile conſtabit, ſi in memoriam præteritæ adflictionis, querelarum & precum mearum, rediero. Etenim *in diebus meis*, quibus mala in me ingruerunt, in hasce querelas continuo erumpebam. *Dolores mortis*, & *anguſtiæ inferorum*, ſeu violentæ mortis præſentiſſimus metus, & multiplices cruciatus, me undarum & fluctuum inſtar invaſerunt, & ad naſum usque pertigerunt, adeo ut tantum quod abſorbendus videar. Sed querelis non contentus, nec desperationi traditus; me ad Jehovam, unicum meum refugium, contuli, & nomen ejus hac continuo ingeminata voce inclamavi: *quæſo*, *Jehova*, *eripe animam meam*, a morte & adflictione me liberando, & in tutam ac proſperam conditionem educendo; ut, adflictione ceſſante, Tibi ſecundum præſcriptum legis tuæ ſervire liceat.

§. XII. In ſtatu adflicto deſcribendo *querulas* primo voces in genere, dein *preces* in ſpecie memorat. Querelas ſeſe tunc emiſiſſe, his verbis indicat, *in diebus meis clamabo*, h. e. clamare & quiritari ſolebam. Quam poteſtatem fut. temporis forma frequenter habet: ſe itaque clamaſſe & identidem ſæpiusque feciſſe, adeoque graviſſimum & diuturnum fuiſſe malum, indicat. Phraſis vero, *in diebus meis*, ad adflictionis tempus omnino nos ducit, ut ſint pro *diebus adflictionis meæ;* quæ plena phraſis eſt. Job. xxx: 16. Sic *dies*, & *dies ejus*, pro tempore calamitatis & infortunii haud infrequenter. Pſ. xxxvii: 13. cxix: 84. cxxxvii: 7. Obadj. 12. & ſæpe alibi. Nexus orationis hunc ſenſum omnino requirit. Dixerat, Jehovam *audiviſſe vocem*, quando mox ſubjungit, *ſe clamaſſe;* utique ad vocem reſpiciens, quam Jehova audierat. Deinde *adflictionem* depingit, verba, quæ clamoribus ſuis protulit, exhibens, &, ſeſe *Jehovam inclamaſſe*, denique addit. Quæ ſermonis cohærentia alios ac querulos clamores tempore calamitatum non admittit.

§. XIII Ar-

§. XIII. Argumentum querelarum, seu verba clamoris, his verbis effert, vers. 2. *adcumularunt me dolores mortis, & angustiæ inferorum pervaserunt me: angustiam & cruciatum inveniam.* Priora duo membra, secum conjungenda, manifestissimum mortis violentæ periculum, in quo versabatur, repræsentant; postremum vero membrum, sese, quo effugere possit, nusquam invenisse, sed ubique miseriam & angustiam eandem reperisse, indicat. *Dolores mortis* & *augustiæ inferorum* eandem rem exprimunt; mortis sc. violentæ præsentissimum discrimen. *Mors* & *inferi* cum mortem, tum statum mortis, depingunt. *Inferi* enim ex vocis Hebr. potestate statum animæ, a corpore sejunctæ, signant: *dolores* & *angustiæ* ubi adduntur, non mortem tantum, mox secuturam, sed violentam & probrosam, quæ animum cruciare, & tristitia replere, ac varios dolores adferre, possit & soleat, intelligi, indicatur; opposite ad placidam & naturalem mortem, cum somno comparari solitam. Hi *dolores adcumulati*, & hæ *angustiæ pervadere*, ubi dicuntur, ad aquas & fluctus inundaturos respicitur. Prius verbum אפף exposui ad Ps. XVIII: 5. Metaphora est, satis usitata & facilis, ab aquis adcumulatis, & ad eam altitudinem elevatis, ut nasum fere æquaverint, adeoque mox suffocaturæ sint. Quæ violentæ mortis, seu malorum ad eam tendentium, viva est imago. Quem eundem intellectum fundit verbum מצא *invenire*, in phrasi, *angustiæ inferorum me invenerunt*: sumitur enim aliquando in malum, & in specie de *aquis penetrantibus*, secundum propriam potestatem, qua *intime penetravit* signat, & *pervasit*. Sic egregie Ps. XXXII: 6. *Propter hoc ardenter te orabit omnis pius: tempore inveniendi, tantum ad inundationem, aquarum multarum; ad ipsum non adtingent.* Sic enim vertenda & construenda sunt ea verba; uti ibi observavi.

§. XIV. Addit, verbo fut. temp. usus, *angustiam & cruciatum inveniam.* h. e. quocunque me verterim, ubique

que eandem miseriam, easdem mortis angustias, offendam, adeoque nusquam refugium, nusquam solatium & exitum, reperiam. Transfert sese in tempus præteritæ calamitatis, & querulas suas voces, tunc emissas, recitat; quibus cum præsens mortis periculum, tum desperationem exitus, repræsentabat. Acsi haberetur: dixi tunc temporis querulus & lamentans, actum est de me; aquæ ad summum pertigerunt, & nusquam reperire potero refugium; ubique moerorem & angustias offensurus, quo me vertero. Indicat apud se non tantum, sed ubique easdem grassari calamitates. Phrasis, *inveniam angustiam*, est elliptica, & plene dicit, *quocunque me vertero inveniam; ubique inveniam:* quod ex verbo *invenire* facile sese offert.

§. XV. Quo in statu positum ad Jehovam precibus sese confugisse declarat, vers. 4. *Et nomen Jehovæ invocabo: quæso, Jehova, eripe animam meam! Nomen*, vel *in nomine Jehovae invocare*, majore pollet emphasi, quam *invocare Jehovam*: significat enim, auxilium & opem Dei *in nomine Jehovae*, eo *nomine* adpellato, & ad illud provocando, implorare; ita ut ratio, quæ Deum ad succurrendum moveat, ab ipso illo nomine petatur. Est enim nomen Dei Iraelis memoriale, quo sese ad promissa populo facta implenda obstrinxit, & *veritatem* ac *gratiam* suam obsignavit. Inclamasse se hæc in verba dicit: *quaeso, Jehova, eripe animam meam*, non ut post mortem sit salva, sed ne morte abripiatur, adeoque ipse morti violentæ & intempestivæ non succumbat. Quod ex phrasi, & seq. oratione clarum est. Nec hoc solum, sed a metu & solicitudine liberationem, adeoque adflictionis grassantis plenam abolitionem, simul implorat; ne *angustiam & moerorem* amplius *inveniat:* uti modo conquestus fuerat. Ceterum hanc in formam ubi se supplicasse testatur; se *querelis* & *clamoribus* non fuisse contentum, sed *fidei*, *spei* & *pietatis*, quoque signa in mediis adflictionibus dedisse, Divinum & non humanum auxilium implorando, significat.

§. XVI. β. *Secunda* pars precum & querelarum exauditionem, ac liberationem, & in latum ac copiosum campum eductionem, complectitur, verf. 5, 6. *tenerrimo adfectu praeditus Jehova & justus, & Deus noster misericors: servator simplicium Jehova; adtenuatus sum, & mihi salutem præstitit.* h. e. Querelas cievi, & in nomine Jehovæ inclamavi, malis & angustiis lethalibus pressus; nec frustra; inveni enim Jehovam, qualis vere est, seseque nobis promisit, tenerrime erga suos adfectum, & justum miserorum vindicem, Deum nostrum foederatum, misericordem. Qui, sicut hominum, nec sapientia vel astutia pollentium, nec viribus aut firmitate præditorum, hominum simplicium, & laxatorum a cura & disciplina, servatorem & custodem sese præbere solet, præbuitque hoc tempore; ita mihi, omnibus viribus exhausto & opibus, & a morte proximo, liberationem & salutem amplissimam concessit. Describit Deum a virtutibus *bonitatis* & *justitiæ*, relationibusque ad populum Israelis; seseque Deum cum aliis simplicibus & miseris fuisse expertum declarat. Virtutes sunt *bonitatis* & *justitiæ*, quas Jehovæ adtribuit, ubi eum tenerrimo *adfectu* præditum, quæ vis est vocis חנן, ut supra & sæpe alias notavi, & *justum* adpellat; ad nominis *Jehovae* significationem una respiciens. Addit mox relationes Dei peculiares ad Israelem, eum *Deum nostrum misericordem* vocando. Quæ omnia eo tendunt, ut, Deum sese talem nunc præstitisse, in *miseris* succurrendis ex gratia, & *injuste* ab hostibus oppressis vindicandis, patefaceret. *Misericordem* & tenerrime erga suos adfectum sese in miseris liberandis, & *justum* in hostibus puniendis, & injustitia ulciscenda, simul verum *Israelis Deum*, demonstraverat.

§. XVII. Has virtutes & relationes Deus illustraverat in *simplicibus servandis*, & *adtenuato* hocce servo Dei eripiendo. Quod vers. 6. declarat, Deum *custodem simplicium*, & *sui adtenuati eductorem* adpellando. *Simplices* adpellat quales-

qualescunque alios, qui a calliditate & pravis artibus mala, religionis causa imminentia, avertendi & vitandi, alieni, & sinceræ religionis confessioni unice dediti, simul a disciplina & tutela laxati, instar ovium dissipatarum & sine pastore oberrantium, in perniciem facile ruebant, hostium insidiis & persecutionibus expositi. Quam sensus amplitudinem habet vox Hebr. פתאים; cujus origo est in *dilatando* & *laxando*; unde *simplicitatis* & *fatuitatis*, quæ facilis est ad errandum & decipiendum, fluxit significatio *a*. In specie videtur vox frequentata in animantibus, ut *ovibus* & *avibus*, ad illiciendum & inescandum facilibus *b*. Hos simplices, & deceptu faciles, in medio Israelis, homines sinceros & fraudis imperitos, dicit a Deo fuisse *custoditos*, ne defecerint, aut in ruinam præcipitaverint, nec pollicitationibus nec minis a vera religione & pietate abducti, nec etiam per hostes oppressi; sed sub Dei pastoris tutela tuti, & ab eo liberati ac conservati. Quibus se mox adjungit, ubi addit, *adtenuatus sum, & mihi servatorem praestitit*. Se quoque viribus & opibus exhaustum, & a morte ac exitio proximum, nec nisi a singulari Dei gratia & per ejus potentiam consecutum fuisse *salutem*, seu liberationem, & in amplissimum salutis & abundantiæ campum eductionem, gratus agnoscit, & palam prædicat. Quæ nihil habent difficilis. Ceterum sese adjungit *simplicibus*, cum, ut indicaret, in eodem periculo sese, licet servum Dei & forte majore prudentia & fortitudine præditum, fuisse versatum, nec magis sine Deo sese, ac reliquos, expedire potuisse, tum ut sinceritatem, & ea parte simplicitatem cordis sui, ab omnibus artibus malis abhorrentis, simul manifestaret.

§. XVIII. γ. *Tertia* pars præsentem statum felicem, ex ea liberatione secutum, ob oculos ponit, vers. 7—9. *Redi anima mea ad recubationem tuam; quia Jehova accumulavit*

a Vid. Cl. Kuypers ad Ali p. 150. *b* Schultens ad Job. XXXI: 9.

lavit super Te. Quia eruisti animam meam morte; oculos meos lacrymis & pedem meum impulsu. Ambulabo coram Jehova in terris viventium. h. e. Nec a morte & calamitate me tantum liberavit Jehova; verum in latissimum & liberum salutis campum etiam eduxit; ita ut, omnium desideriorum compos factus, dicere possim animæ, ut recumbat, & secure ac læte requiescat, instar gregis bene potæ in herbidis pascuis; utique me morti non tantum eripuisti Jehova, sed ab omni malo & periculo, nulla lacrymarum usquam terrarum relicta materia, nullo lapsus periculo superstite; adeo ut nunc tuto & læte in terra, pacifica & prospera, degere, & cultu tuo defungi liceat. 1. Inspirat animæ suæ *quietam* & summam acquiescentiam, ratione a beneficentia Dei præstita petita, vers. 7. Quæ ad animam apostrophe eleganter & emphatice significat, statum suum esse pacatum, tutum, & felicem, desideriis expletis, & omni adfectu tristi sedato; opposite ad multiplex vitæ discrimen, angustias & adflictiones varias præcedentes. De voce מנוחה egi ad Ps. XXIII. Rationem derivat ab *accumulatis* Dei beneficiis, in se collatis; quæ vis est verbi גמל, in *cumulando* & *molliter fovendo* sita; unde ad ingentem bonorum & donorum cumulum, ex favore Dei ortum, transiit: uti alibi etiam observavi.

§. XIX. 2. Explicat & illustrat hunc suum felicem statum, ex singulari Dei benevolentia ortum, *a. negative;* vers. 8. respectu status miseri præcedentis, a quo erat liberatus. Cujus tres memorat articulos, periculum mortis, miseriarum ubique sese offerentium conspectum, qui *lacrymas* concitabat, & vacillantem ac continuis periculis obnoxium statum. Indicat itaque, sese non tantum a morte esse liberatum, sed & ab omni periculo, & malo, ita ut in firma nunc sit conditione positus, imo vero sese nusquam reperire tristandi & lacrymandi rationem; omnibus rebus per terram Cananæam pacatis & prosperis. *b* positive, vers. 9. *ambulabo coram Jehova in terra viventum.* h. e. Terra

Terra Cananæa, ab omni infeſtatione & oppreſſione libera, oppoſite ad præteritum terræ ſtatum, *mortuorum* quam *viventium* terræ ſimiliorem; præterea *terra viventium* audit, quod vera Ecclesia & religio in ea exerceatur; ſicut homines, ratione præditos, decet. In hac terra ubi, ſe *ambulaturum* eſſe, dicit, ſeſe pacate & tranquille in ea verſaturum, & in Deo colendo ac celebrando futurum eſſe, & ſpondet, & ſibi promittit. Id quod phraſis, *coram Deo ambulare* denotat.

§. XX. δ. *Quarta* pars *animi fiduciam* & *firmitatem* in ſumma adflictione, & cauſa ſua ad ſpeciem deſperata, complectitur, verſ. 10, 11. *firmum greſſum feci, quia locutus ſum: ego adflictus ſum valde; ego dixi in mea incoxatione; omnis homo mendax.* h. e. Contigit mihi ſecundum fidem & ſpem meam; quam in mediis adflictionibus reſervavi, & per quam me Deo ita adprobavi, ut me expediverit omnibus malis, & in tuto ac optato ſtatu collocaverit. Licet enim vehementer fuerim adflictus, & tantum quod oppreſſus, de omni etiam ope hominum deſperaverim, *omnem hominem* hac parte *mendacem* adpellando, a quo nihil mihi promiſerim auxilii, nihil exſpectaverim; attamen animo non deſpondi ſed in Deo adeo firmavi, ut hunc ipſum ſtatum felicem ſpe præceperim; cujus fidei & ſpei ſignum dedi in aperta & intrepida mea confeſſione, & ſermonibus aliis ad me alioſque ſocios animandos & conſolandos. Exprimit itaque his verbis *fiduciam* ſuam, externis ſignis demonſtratam, quam in mediis calamitatibus habuit; ut partim doceret, querelas ſuas non fuiſſe aut deſperabundas, aut Deo injurioſas, & a pietatis ſtatu alienas, partim ſeſe eas animi adfectiones tunc habuiſſe & ſpiraſſe demonſtraret, quas Deus in illis requirit, quos eripere, & bonis ſuis cumulare ſolet. Ex quo nexus & ſcopus horum verborum eluceſcit.

§. XXI. In verbis & phraſibus parum ſeſe offert, quod noſtram curam requirit. 1. Verba, *firmum greſſum poſui*,

(sc. in Deo, & apud animum meum; quæ propria est verbi האמין potestas, ut sæpe alias notavi, sive quod idem est, *fiduciam* & *spem* in Deo habui, & animum meum in eo firmavi:) *quia loquar*, significant, sese fiduciæ suæ indicia *loquendo* dedisse. *Loquar* est pro *locutus fui* cum certo proposito *loquendi* in posterum; quo forma fut. tendit; *quia locutus sum* hic tanquam indicium fidei occurrit; ex quo de fiducia ejus publice constare potuit. Idem itaque est ac, fidei dedi illustria & publica signa, dum *locutus sum*. Quam eandem significationem fundit, si, quod potest, vertatur, *propterea locutus sum*, quia sc. *credidi ideo locutus sum*: sicut Gr. versio habet, ab Ap. adoptata, 2 Cor. IV: 13. Ceterum *loqui* hic est fidem suam libere, palam, & intrepide, eloqui, & eam publice *defendere*: ut ex verbo præced., *credidi*, quocum cohæret, manifestum est. Ad *fidei* vero & *eloquii* commendationem facit, quod in summis periculis, & opis humanæ desperatione, talis fuerit, sesque talem gesserit. Quare mox statum illum adflictum denuo expingit.

§. XXII. 2. Dicit vero se, non tantum valde fuisse *adflictum*, ut hostium placitis responsurus videretur, sed & omni ope hominum caruisse, & humano quoque auxilio renunciasse. Verbum ענה non qualemcunque, sed gravem, & violentam adflictionem continet, quæ oppressum & subactum ad vota & placita hostium opprimentium *respondere* cogit. Posterius membrum, verf. 11. non significat imprudenter & festinanter a se fuisse *dictum*, ut multi acceperunt; sed in summa sua calamitate, & præsentissimo suo discrimine, proprie *incoxatione* sua, quæ propria est vocis חפז potestas, de quo dixi ad Ps. XXXI: 23. & alibi. *Omnem* vero *hominem* ubi *mendacem* dixit, ad infidelitatem in dictis præstandis non tam respicit, quam ad vanitatem & fallaciam opis, ab ipsis exspectandæ. Sic Ps. CVIII: 13. *vanitas est*, vel *mendacium*, *salus hominis*. Sic verbum כזב usurpatur Jes. LVIII: 11. Job. XL: 33. & alibi. Sed non hoc

hoc tantum insinuatum vult, sese tunc omnem opem hominum abjecisse, verum etiam in Deum unice recubuisse, de humano quidem, at non divino auxilio desperasse: quod ex superioribus satis manifestum est.

§. XXIII. ב. Transit nunc ad *dilectionis* suæ statum & habitum uberius deducendum; vers. 12—19. Quæ altera *deductionis* pars est. In qua *α*. in genere profitetur, sibi summam incumbere obligationem, Deo pro tot tantisque beneficiis debitam vers. 12. *Quid rependam Jehovæ? omnes adcumulationes ejus super me.* h. e. beneficentiæ Jehovæ in tantum cumulum super me aggestæ sunt, mihique incumbunt rependendæ, ut qua ratione id digne faciam, & debitum meum exsolvam, vix reperiam. Interrogatio, *quid rependam?* ad beneficia Dei extollenda, & summam gratitudinem, sibi incumbentem, describendam pertinet, simul se ad omnia Dei causa facienda esse inclinatum, sed quicquid faciat, majora semper manere beneficia, quam ut iis responderi possit, significat. Quid vero sit *Deo rependere*, nemini non constat. De phrasi, *beneficentiæ ejus sunt super me*, pro, mihi incumbunt retribuendæ, *debiti* instar, egerunt etiam abunde Interpretes. Sed observari meretur, vocem תגמולוהי hic *beneficentias* exprimere in *acervum* & magnum *cumulum* aggestas; secundum veram & originalem verbi גמל potestatem, de qua ad vers. 7. dixi. Cui recte adjungitur עלי *super me*, ut *accumulatio* super ipso, ad ipsum ad gratitudinem excitandum, exprimatur.

§ XXIV. *β*. Propositum suum de animi sui gratitudine omni modo explicanda & demonstranda exponit per duos articulos. Quorum *a*. prior, vers. 13-15. ita sonat. *Calicem salutum tollam, in nomine Jehovæ proclamabo; vota mea Jehovae solvam coram nunc toto populo: grave est in oculis Domini; mortem versus pro piis*, seu *Chasidaeis, suis* h. e. Summa prosperitate, mihi a Deo pro portione benigne concessa, utar, & ejus continuo solenniter

cum

cum gratiarum actione recordabor; proclamabo quoque publice in nomine Jehovæ, & ad ejus laudes, ut vota mea ipsi facta publice coram toto populo solvam; Jehovæ nimis pretiosam esse & gravem piorum suorum mortem violentam, quam ut eam permittere possit, cujus in me & multis aliis luculenta nunc dedit specimina. Declarat 1. *se calicem salutum sumturum*, & *nomen Jehovae*, *vel in eo*, *proclamaturum*, quod idem est, ac se, calice eo sublato, hoc facturum. *Calix salutum*, vel dicit portionem salutum sibi adsignatam, vel signum ejus memoriale, cum adlusione ad calicem vini eucharisticum, in conviviis usitatum in memoriam liberationis grato animo acceptæ. De quo vid. Gejerus & alii. *Sumere* vel *tollere* calicem est non solum, salutem concessam sibi adplicare, & ea uti, sed & externo signo memoriali celebrare. Addit, & *nomen Jehovae*, vel *in eo*, *proclamabo*, ut significet, in laudes Jehovæ se hoc facturum, *nomen* ejus publice celebrando, vel in nomine ejus & ad ejus gloriam proclamando, se Jehovæ acceptum ferre, quod hac salute fruatur, & Jehovam esse suorum piorum servatorem; ut mox patebit.

§. XXV. 2. Interserit quasi per parenthesin, se hac solennitate defuncturum esse secundum *vota*, antea facta, nunc publice solvenda, vers. 14. *Vota mea Jehovae solvam*, *coram nunc omni populo ejus*. h. e. in publicis & solennibus populi Dei congregationibus, ut in festis, & aliis convocationibus populi. Verba eo, quo dixi, tendere videntur, ut quasi per parenthesin significet, se calicem sumturum cum nominis Dei proclamatione secundum vota sua, ante facta, nunc implenda, nec in angulo & clam, sed publice & solenniter, præsente populo. Nihil hic difficile. Vocula נא vel est simpliciter expletiva, & ad elegantiam sermonis facit, vel vim habet *adhortantis* & *excitantis*, sed se ipsum; *coram nunc* est *coram*, *age*, *toti populo*. Sed נגדה non construi debet cum *populo*, verum *Deo*, ut sit *coram ipso*, præsente toto populo: vid. Ps. CXXXVIII: 1. 3. Inserta

ta hac declaratione, materiam proclamationis, & rationem solennitatis, qua calicem sumeret, subjungit, vers. 14. *Grave est in oculis Jehovae, mortem versus, pro piis suis.* h. e. in laudes Jehovæ publice profitebor, & exclamabo, simul memoriam ejus solenniter celebrabo, summi hanc momenti veritatem, Jehovam suos Chasidæos non pati ad mortem violentam ab hostibus rapi, sed eos a morte vindicare & liberare. Verba, ut dixi, continent illud, quod in nomine Dei proclamaturus esset, & in cujus signum *calicem salutum* tolleret. Quando oratio recte cohæret, & scopus verborum quoque elucescit. Respicitur ad præteritas adflictiones, quibus ipse & pii reliqui, Chasidæi dicti, ob pietatis & religionis studium ad violentam necem rapiebantur ab hostibus & persecutoribus; quibus per singularem Dei potentiam erepti erant. Ex quo nunc publice constare pronunciat, rem gravem & non ferendam esse Deo, pios coram oculis suis ad mortem ea ratione trahi. Ad phrases not. 1. יקר hic notare, *grave* esse & ponderosum: quæ propria est vocis significatio, unde ad *pretiositatem* transiit, sicut כבר. Sensus est, quem jam observavit Cl. Schultens *a*, Deum non pro re levi & vili habere, sed summi momenti, ac pretii ingentis, pios ignominiosæ morti subjici; adeoque eam ad animum revocare, nec, ut fiat, sinere. Vid. Ps. LXXII: 14. 1 Sam. XXVI: 21. 2 Reg. I: 13, 14. 2. Vocem המותה vertendam esse, *mortem versus*; ה enim motum ad locum signat. Declarat ea vox, quid Deo tam grave sit, & momentosum; pios sc. *ad mortem rapi.* 3. Ultima vox *pro piis suis*, vel *propter eos*, denotat, Deo piorum suorum causa illud grave esse, *mortem versus.*

§. XXVI. *b.* Propositum gratitudinem demonstrandi semel explicuisse non contentus; in eo repetendo & uberius tradendo pergit, cum ut amoris adfectui, quo totus erat occupatus, vers. 1., indulgeat, tum ut illud magis adstr-


P

a Ad Prov. I: 13.

adfirmaret, & obligationem ſuam extolleret. Repetit vero non ſimpliciter, ſed cum aliqua variatione, verſ. 16.-19. *Quæſo Jehova! quia ego ſervus tuus, ego ſervus tuus, filius ancillae tuae, ſolviſti vincula mea. Tibi offeram ſacrificium laudis, & in nomine Jehovæ proclamabo. Vota mea Jehovae ſolvam coram nunc omni populo ejus; in atriis domus Jehovae, in medio tui, Hieroſolyma!* h. e. Favoris Dei & beneficii accepti tam vivido ſum adfectus ſenſu, ut grati animi teſtificationem publice faciendam non poſſim quin iterum offeram. *Quaeſo*, Domine, hanc mihi gratiam facias, ut, cum Tu me Tibi ſervum publice adſerueris, & vindicaveris, *vincula* mea, quibus ad mortem eram adſtrictus, ſolvendo, ſacrificia laudis Tibi publice offeram, & nomen Tuum celebrem, in domo Tua, Hieroſolymis; eaque ratione vota mea publice coram toto populo præſtem. Audientiam quaſi facit, & poteſtatem gratitudinem ſuam demonſtrandi ſibi a Deo ſupplicat concedi, ubi dicit, *quaeſo Jehova*. Quod pietatis & reverentiæ erga Deum ſignum eſt, ſimul animi ardorem in hoc officium patefacit. Retinenda itaque eſt uſitata voculæ אנא ſignificatio, quæ *obſecrantis* eſt. Deinde *beneficium* præmittit, & rationem ſeſe ad gratitudinem moventem & excitantem tradit, verſ. 16. *quia ego ſervus tuus* &c. acſi diceret. Quæſo Domine, liceat mihi publice profiteri, quantopere ſim Tibi obligatus, *ſum enim ſervus tuus, filius ancillae tuae, quem Tu vinculis eripuiſti:* adeoque publice ſervum tuum adſeruiſti & declaraſti. *Servum ſe* Dei eſſe bis pronunciat, cum adſeverandi, tum explicandi ergo: ſenſus enim eſſe poteſt, *ſervus tuus ſum*, & *ſervus tuus* publice a Te *declaratus ſum*. Non ſine emphaſi addit, *filius ancillae tuae*, ut, ſeſe natum, & non recens acquiſitum ſervum, ſignificaret. Servus erat a majoribus ſuis, & vi nativitatis, etiam ad id natus & educatus, ut Deo inſerviret. *Servum* vero ubi ſe adpellat, non vilem, ſed honoratiorem, ad magna & præclara opera adhibitum, intelligit; quemadmodum David

vid *servus* Dei adpellatur. Ultimæ voces, *solvisti vincula*, eodem tendunt, ut beneficium liberationis, in servum Jehovæ collatum, ob oculos poneretur, sive de *vinculis* proprie dictis intelligatur, sive de mortis periculo & gravi oppressione. Utrumque conjungendum est, uti etiam Ps. CII: 21. & alibi. Intelligi per ellipsin, vel ex præcedenti repeti debet vocula כי *quia*, ut sit, quia *solvisti vincula mea*, quod ex nexu & dictis facile patet.

§. XXVII. *Modum*, quo animi gratitudinem explicare volebat, sequentia verba declarant; in quibus nihil est difficilis. Tantum not., hic quid plus occurrere quam vers. 13. Quod enim antea in genere dixerat, se *calicem salutum* sumturum, convivia læta in honorem Dei & liberationis memoriam acturum, illud hic extendit ad *sacrificia* laudis in *Templo*. Quo ipso felix & pacatus Hierosolymæ status, & sacrorum in Templo continuum exercitium, repræsentatur.





PSALM. CXVII.

1. *Halleluia. Concelebrate Jehovam omnes gentes, plausu publico magnificate eum omnes nationes.*
2. *Exuberavit super nobis gratia ejus, & veritas Jehovae in æternum est.*

PROLEGOMENA.

§. I.

Argumentum breviſſimi quidem, ſed ſenſus & utilitatis pleniſſimi, cantici eſt, ut facile adparet, adhortatio omnium per orbem populorum, Gentium æque ac Judæorum, ad Jehovam, verum Deum, ſuper ſumma ejus benignitate & veritate, omnibus manifeſtata & facta, dignis laudibus & gratiarum actionibus celebrandum & extollendum. Poeta primum omnes, & *gentes*, & *nationes*, excitat ad Jehovam, Deum Iſraelis, laudandum; deinde materiam laudationis, vel ſummam verborum, ab ipſis proferendorum, exhibet, & ipſis in ore dat. Verſ. enim *2dus* non tam rationem moventem, quam materiam laudationis, & verba ab ipſis, in Deo celebrando, pronuncianda, comprehendit, ſecus ac Interpretibus viſum fuit, qui Gentes ad Jehovam laudibus extollendum accendi autumant, propterea quod gratiam & veritatem ſuam effuderat in eos, qui adhortationem faciunt, ſive in ſe collata beneficia a Gentibus eſſe agnoſcenda velint, ſive Gentes ſibi adjungant, & gratiam Dei omnibus eſſe communem ſigni-

significent, ut *super nobis* sit, & *vobis*, quos exhortamur, & nobis, in unum corpus, vel Ecclesiam, coadunatis. Quod posterius licet sit verius, & cum re ipsa conjunctius, structura tamen orationis & phrasis minus admittit, quia nulla ratio foret, quare *super nobis* potius, quam *super vobis*, ut debebant, dixerint. *Rationem* ad Deum laudandum moventem si verba contineant, verba alium non admittunt sensum, ac beneficium, Judæis concessum, Gentes simul exstimulare debere ad Deum celebrandum. Quod alia ratione explicari nequit, nisi beneficium ad Gentes quoque pertinens intelligatur: cujus tamen clarum, & directum, non foret in Ps. indicium: quod abesse non possit. Rectius itaque *materiam* & *verba* laudationis vers. 2. comprehendi statuimus; quibus Gentes & nationes dicerent, *exundat super nobis gratia ejus* &c. Quod facilius fiet, & clarius, si ellipsis verbi *dicere* admittatur; hac ratione. Laudate *Jehovam omnes Gentes* & *nationes*, dicendo, vel in hanc formulam, *exundat super nobis gratia ejus*, & *veritas Jehovae in æternum*; plane ut Ps. CXVIII: 2--. *dicat nunc Israel*, *quia in aeternum benignitas ejus*, h. e. dicat & canat in hæc verba, *in aeternum benignitas ejus* &c. De quo mox iterum monebo.

§. II. Ad verum argumenti conspectum facit, 1. Judæos non tantum, sed & *gentes*, easque præcipue, excitari ad Deum celebrandum, per totum terrarum orbem. Quod ex voce גוים *gentes*, & phrasi, *omnes gentes*, manifestum, & vulgatum est. 2. *benignitatem* Dei, non qualemcunque, & quocunque modo, sed singularem & summo gradu, *Gentibus* esse manifestatam & concessam, ita ut dicere possint, *gratia Dei super nobis exuberat*. Ex quo elucescit, non generalia, quæ omnibus per generalem Dei providentiam contingunt, sed specialia, quæ de singulari Dei gratia & favore erga peccatores testantur, intelligi bona. 3. Benignitatem in Gentes collatam indigitari, quam Deus olim promiserat, adeoque quæ *veritati*, seu *veracitati* Dei te-

ſtimonium præbebat. Quam emphaſin habet alterum, ſeu poſterius, membrum verſ. 2*di;* ut mox videbimus. 4. *Gentes* denique & *Judaeos*, antea diviſos populos, nunc in unum coalitos, omni diſcrimine ſublato, conſiderari. *Gentes* enim & *nationes* æqualiter excitantur; & conjunguntur, & communi voce introducuntur prima perſona dicentes, *benignitas Dei ſuper nobis* &c.

§. III. Argumentum Pſ. licet breviſſimum & generale ſit, *temporis* tamen notam haud obſcuram, quo compoſitus fuit, ob oculos ponit. Cum enim gentes, tanquam ad communionem gratiæ Dei una cum Judæis admiſſæ, ad ejus laudes canendas excitentur, cantico exhortatorio toti populo Israelitico in ore dato, vel hæc gratia Gentibus jam contigerit, vel ejus quædam ſingularia ſpecimina prænuncia fuerint tunc conſpicua, neceſſe eſt. *Prius* quidem cum argumento foret conjunctius, ut facile cernitur; ſed a rei veritate alienum; quia, durante œconomia Vetere, ante Meſſiam, tale quid locum non habuit: ut ex criteriis ſupra expoſitis nemini non patet. *Poſterius* itaque admittendum eſt; absque quo eſſet, nulla ratio aut adhortationis gentium, aut materiæ laudationis, aut cantici exhortatorii cum populo communicati, dari poſſet. Nec tamen exiſtimandum eſt, temporis opportuni, aut occaſionis, nulla habita ratione, poetam ſacrum, quisquis fuerit, quod plane ignotum, in ejusmodi argumentum irrupiſſe, & populo quid canendum ſubminiſtraſſe, cujus nulla ratio erat, anſa nulla.

§. IV. Varia quidem fuerunt ſub œconomia V. tempora, quæ aliquam occaſionem talem adhortationem in formam publici cantici redigendi præbere potuerunt; nullum tamen fuit *Maccabaico* tempore ad id adcommodatius; cum quod ipſo illo tempore hæc gratia contingeret Gentibus, adeoque ſalutaris hæc ſcena jam jam eſſet aperienda, tum quod Gentes majore, quam unquam antea, numero ad notitiam non tantum, ſed & vel reverentiam, vel communionem

nionem religionis veræ, inter Judæos ſtabilitæ, adductæ; tum denique quod Eccleſia Maccabaica multis modis cum Chriſti œconomia connexa ſit, tanquam ſuo fundamento, ſcopo & complemento. De quo hic non eſt locus pluribus diſſerendi. Hæc temporis qualitas, a ſancto aliquo viro ad animum revocata, aptiſſimam ſuppeditavit anſam cantici exhortatorii ad Gentes componendi. Quæ hypotheſis non tantum ex verbi Prophetici conſueto more, quo tempora Maccabaica & Meſſiæ conjunguntur, & permiſcentur, confirmatur, ſed & ex nexu hujus cantici cum præcedentibus & ſeq. extra dubium collocatur.

§. V. *Scopus* Pſ. eſt, ut haud difficulter cernitur, populum Chaſidæorum, 1. in contemplationem & ſpem lætiſſimi temporis, quo gratia Dei ſeſe maxime exſereret, & quaquaverſum porrigeret, ducere, & in ea ſpe corroborare. Cum enim gentes ſolenniter & publice hujus officii admoneantur, & populo carmen exhortatorium detur canendum: eventum illum certo futurum, nec adeo longe eſſe remotum, clare ſignificatur. 2. Officium quoque inculcare veris Iſraelitis Gentes inſtruendi vera religione, & eas ad magnum hunc eventum præparandi. De quo canticum ab Iſraelitis canendum eos tacite admonuit. Dum enim canendo dicebant, *laudate Gentes Jehovam* &c. ſuum eſſe, eas ad id excitare, haud difficulter intelligere poterant. 3. Summam piarum meditationum, & religioſi exercitii in precibus & cantibus ſacris populo Iſraelitico exhibere. Argumentum enim cantici hic ſummatim tantum, non in omni extenſione ſua, proponitur. Cujus indicium eſt in ſolenni illa formula, *quia exundat, & in æternum eſt benignitas ejus*, ſive pro initio, ſive ſumma laudationis publicæ habeatur. Quemadmodum ex Pſ. ſeq., & aliis colligere licet. ex. gr. CVI: 1. CVII: 1. CXXXVI. 2 Chron. V: 13. 1 Chron. XVI: 41. 2 Chron. VII: 36. Jer. XXXIII: 11. XX: 21. Formula, à quocunque etiam profecta, frequente in uſu fuit, cujus indicia in hiſtoria Maccabaica quoque exſtant.

§. VI. Par-

§. VI. Partes Pſ. duæ ſunt: quarum *altera* adhortationem ad Gentes & nationes continet, ut Jehovam, Deum Israelis, debitis laudibus & gratiarum actionibus proſequantur, verſ. 1. *altera* materiam laudationis, & ſummam verborum, ab ipſis proferendorum, tradit verſ. 2.

ANACRISIS.

§. VII. Etſi Interpretes de vocatione Gentium ſub Meſſia hic agi communiter, ne Judæis quidem exceptis, ſtatuant; nonnulli tamen ſenſum primum, quo Dei laudatio ſuper beneficentia, Gentibus etiam per omnia tempora præſtita, præcipitur, excludendum non eſſe autumant. Sed criteria, ſupra ex argumento in lucem protracta, nos ad vocationem religioſam & euangelicam Gentium directe ducunt; nec ullum ſenſui, ad Gentes omni tempore pertinenti, locum relinquunt; ut facile videre eſt. Confirmat quoque Paulus, qui Rom. xv: 11. Pſ. noſtrum eo directe refert. Sed non deſunt, qui de vocatione Gentium, ultimis Oecon. N. temporibus facienda, cogitant; hypotheſi de fatis N. T., in hisce Pſ. Halleluiaticis ordine digeſtis, unice fere nixi. Quod enim univerſalem phraſin, *omnes gentes*, urgeant, & *gentes* præmitti dicant; nimis leve eſt, quam ut in cenſum venire debeat. Adhortatio enim ad Jehovam laudandum eodem ſenſu ſemper fuit *univerſalis*, quo Euangelii adnunciatio *omni creaturæ* facienda; & *gentes* præmiſſæ non magis initium ab iis eſſe faciendum evincunt, quam eas primas in regno Chriſti oppugnando partes habituras, quia primo loco memorantur Pſ. II: 1. Præmittuntur, quia ad Gentes proprie pertinet oratio exhortatoria, & *Judaei* ſubjunguntur, ut eorum exemplo Gentes excitentur, ſi per *nationes* intelligendi ſint Judæi. De quo mox. Hypotheſis vero de fatis N. T., in hisce Pſ. obviis, eſt plane precaria & falſa; ut ex ſuperioribus

ribus ſatis conſtat. Obſtat præterea huic hypotheſi, *a.* quod adhortatio tunc cenſeri debeat impleri cœpiſſe, quando *vocatio Gentium* incepit; cum adhortatio nulli tempori adligetur. *b.* Quod Ap. Rom. xv. Pſ. noſtrum directe ad ſua tempora adplicet. Noſtra itaque habet hypotheſis, poetæ illa in genere tempora fuiſſe ob oculos verſata, quibus gratia Dei ad Gentes æque ac Judæos ſeſe porrigeret; genteſque ubique terrarum ad communionem Dei & eorundem bonorum gratiæ invitarentur. Quod per Apoſtolos incepit, & deinceps continuatum eſt; durabitque, donec plenitudo *Gentium intraverit*, & *totus Iſrael ſalvetur.*

EXPLICATIO.

§. VIII. *Prior* Pſ. pars, adhortationem gentium & nationum ad Jehovam glorificandum complexa, ita ſonat verſ. 1. *Concelebrate Jehovam omnes Gentes; plauſu publico magnificate eum omnes nationes.* h. e. Vos, gentes & nationes, ubicunque terrarum, & cujuscunque generis, ſicut materiam & rationem habetis Jehovam, Deum Iſraelis, tanquam benevolum & veracem, dignis excipiendi & celebrandi laudibus; ita hoc officio, vobis æque ac nobis incumbente, toto animo, & omnibus lætitiæ ac honoris ſignis, publico plauſu, & magnifica oratione, defungimini. Sermo ad *Gentes*, & *nationes*, dirigitur; ſive populi, a fœdere Dei cum Iſraele alieni, ſoli intelligantur, ſive *Judæi* ſub *nationum* titulo comprehendantur, & Gentes ac Judæi pariter excitentur: quod non adeo liquidum eſt; utique Interpretes diviſit. Sunt, qui Gentiles & Judæos, *illos* nomine *Gentium*, *hos nationum*, intelligunt; quæ opinio ſeſe vix tueri poteſt. 1. Quia *duo* hæc nomina conjuncta non niſi de *iisdem* capi, & emphaſios tantum vel elegantiæ cauſa copulari

 ſolent,

solent, ut ex Gen. XXV: 16. liquet. 2. Quia de *gentilibus* usurpari solent; ut Jes. XLI: 1. XLIX: 1. LV: 4. LX: 2. & alibi passim. 3. Quia phrasis, *omnes nationes*, de una natione Judaica vel Israelitica cogitare vetat. 4. Denique, quia oratio exhortatoria, per modum cantici, *Judæis* in ore datur, adeoque ad alios populos terræ directa censeri debet. Nec tamen intercedo, quominus Judæorum natio, quaquaversum dispersa, generali *nationum* titulo includatur; quemadmodum Ps. II: 1. coll. Act. IV: 27. fit. Nomen quoque *nationis* Hebr., אמה, in Israelitas, ex una stirpe prognatos, & ad unam originem matremve *tendentes*, quæ vis vocis est, recte quadrat. *Gentes* itaque & *nationes* junguntur, ut de quibuscunque & qualibuscunque orbis populis cogitaremus sive diversæ, sive unius sint stirpis, sive a fœdere Dei plane alienis, sive ad illud aliqua ratione pertinentibus, sive plane *barbaris*, sive *moratioribus*; in priores vox גוי, in posteriores vox אמה rectius convenit: גוי enim etiam signat *erroneum*, & de *colluvie* populorum aliquando usurpatur.

§. IX. Hi omnes populi excitantur ad Jehovam *laudandum* & *publico plausu concelebrandum*; verbis exquisitis & emphaticis. Prius, הלל, a *splendoris* potestate, quam in origine habet, ad laudationem & *concelebrationem* transiit, qua splendor alicujus agnoscitur, & in publicam profertur ac fulgidam lucem. Habet itaque *splendidam*, & gloriosis virtutibus ac operibus illustrem, personam pro objecto, & cuncta comprehendit signa & media, quibus splendor ille in publicam profertur ab aliis lucem, sive verba sint, sive facta, quibus id efficitur. Lætam ergo & gloriabundam denotat splendidæ personæ agnitionem, & concelebrationem publicam. Alterum verbum שבח, quod proprie signat *mulcere*, molli & leni, vel *plaudente* manu contrectare, inter alia significat, ansa inde ducta, *plausu*, *omnique verborum honore*, *magnificavit*; adeoque honorifi-

honorificentissimam, & cum publico plausu conjunctam *laudationem* comprehendit *a*.

§. X. Oratio vero adhortatoria, qua omnes Gentes & Nationes ad Jehovam magnificandum & concelebrandum excitantur, significat, 1. materiam ipsis & rationem suppetere multiplicem hoc faciendi, cum tot tantisque a Deo Israelis sint adfectæ beneficiis; quæ mox emphatice exprimuntur. 2. Officium hoc ipsis incumbere, ad quod multis nominibus sunt obligatæ; cum Deus & velit & debeat ab iis æque ac Judæis glorificari. Eo enim opera & beneficia Dei tendunt, & hoc relationes Deum inter & creaturas, maxime ad id tot donis & bonis a Deo mactatas, exigunt, &c. 3. Gentes antea ab hoc officio alienas, quippe partim ad id ineptas, partim etiam in eo culpa sua negligentiores, nunc ad id illud singulari Dei gratia vocatas & admissas esse; cum veri Dei fides ipsis fuerit promulgata & oblata; adeo ut nunc æque ac Judæi ad officium illud excitari possint, & illud præstare debeant. Nec 4. emphasi caret, quod ad *Jehovam* laudandum vocantur. Cum enim illud proprium sit Dei Israelis nomen, quod virtutes gratiæ & veracitatis Dei inprimis repræsentat; gentes ad Ecclesiæ & populi Dei communionem esse admissas, & eas Dei virtutes in sui etiam medio manifestatas experiri, indicatur. Denique 5. *omnes Gentes*, & *omnes* nationes, invitantur, ut partim ad omnes nemine excepto, sine ullo populorum discrimine, hæc pertinere, partim ubique gentium ea præstanda esse, etiam suo tempore universaliter, cogitaremus; quando *plenitudo Gentium intrabit, & totus Israel salvabitur*.

§. XI. Hac adhortatione facta, ipsam ejus materiam, & formulam, his verbis adjungit poeta, vers. 2. *exuberavit super nos gratia ejus; & veritas Jehovæ in æternum,* &c.

a Vid. Schultens Defect. §. 106.

sc. est, & adparuit. Verba non tam rationem moventem, quam argumentum & formulam laudationis Jehovæ complecti, supra observavi. Vocula itaque כי *quia*, non est ætiologica seu rationis redditio, sed orationis inchoativa, ut Gr. ὅτι, seu *adseverativa*, *profecto*, ut sæpe alias. Dicerent vero Gentes & nationes, *a. exuberavit super nos gratia ejus*; h. e. vena benignitatis ejus inexhausta tanta copia super nos fluxit, ut diluvii instar nos totos inundaverit: tot tantaque in nos contulit, ex pura gratia & misericordia, vera & spiritualia bona, ut toti fuerimus repleti, & undiquaque cincti. Ad elegantiam, & emphasin, orationis facit, verbum גבר, de aquis abundantibus, exsuperantibus, & prævalentibus, ut Coccejus jam notavit *a*, usurpari, vocem vero חסד sedem propriam in ubere continuo confluente & manante habere. Sensus ergo est, beneficia, ex intimo Dei adfectu erga peccatores, indignos & miseros, orta, & de eo testantia, abundantissime fuisse Gentibus concessa. Quod ipsi illi populi in laudes Dei grata mente agnoscere & concelebrare introducuntur, ubi dicunt, *super nos exuberavit gratia ejus*. Sibi itaque, & non Israeli facta beneficia deprædicant læti & gratulabundi. Quod Paulus confirmat Rom. xv: 9. ubi, Gentes demonstraturus Deum *super misericordia* glorificare, nostra quoque hæc verba citat; verum eorum sensum ostendens, quem dedi. Plura ad eorum intellectum nihil adtinet protulisse, cum de sensu eorum nemini non ex œconomia gratiæ constet. Non communia & communis Providentiæ, sed singularia fœderis gratiæ bona, peccatorem in hac & futura vita beantia & perficientia, intelligi, facile adparet.

§. XII. Addunt *b. & veritas Jehovæ in æternum*, gratiam sibi concessam de promissis, & *veracitate* Dei in iis implendis, testari, significantes. *Veritas Jehovæ* est, quam

a In Lex.

quam Deus, qua Jehova, vi nominis illius sui, præstat in promissis gratiæ repræsentandis. Quam emphasin habet nomen *Jehova*, propterea expresse memoratum. Ex quo simul elucescit, *veritatem* Dei hic ad *veracitatem* ejus in dictis & promissis efficiendis omnino pertinere. Respicitur manifeste ad promissa, antea Israelitis facta, de *vocatione Gentium* sub Messia & Euangelio, primum Abrahamo revelata per notam illam formulam, *in Te & semine tuo benedicent sibi Gentes.* Robur huic explicationi addit, quod Paulus Rom. xv: 8, 9. adserat, Christum factum fuisse ministrum circumcisionis, *ad firmandum & præstandum promissa Patrum, ut Gentes super misericordia glorificent Deum* &c. Cum vero hæc promissa tanto tempore antea fuissent facta: nullum tempus *veracitati Dei* præscribere, & Deum simul testari, se eandem veritatem in posterum in æternum præstiturum esse, manifeste indicant, ubi, *veritatem Jehovæ in æternum esse*, dicunt. Quæ altera erat aptissima & dignissima *laudationis* Dei materia; a quocunque facile deducenda.





PSALM. CXVIII.

1. *Halleluia. Celebrate Jehovam, quia bonus, quia in aeternum est beneficentia ejus.*
2. *Dicat nunc*, vel *age, Israel, quia in aeternum beneficentia ejus.*
3. *Dicant, age, domus Aaronis, quia in aeternum beneficentia ejus.*
4. *Dicant, age, timentes Jehovae, quia in aeternum beneficentia ejus.*
5. *Ex angustiis invocavi Jah, respondit mihi*, vel *adnuens eduxit me, in locum spatiosum Jah.*
6. *Jehova mihi* adest, *quid faciet mihi homo?*
7. *Jehova mihi adjutor meus, & ego intuebor hostes meos.*
8. *Melius est sese Jehovae in clientelam conferre, quam homini confidere.*
9. *Melius est Jehovae uti patrocinio, quam principibus fidere.*
10. *Omnes gentes me circumdederunt hostiliter: in nomine Jehovae est, quod eas conciderim.*
11. *Circumdederunt, etiam circumdederunt, me, in nomine Jehovae est, quod eas conciderim.*
12. *Cinxerunt me instar apum, ardendo exstinctae sunt, sicut igne spinae; in nomine Jehovae* est, *quod conciderim eas.*

13. *Truden-*

13. *Trudendo trusisti me ad cadendum, sed Jebova me adjuvit.*
14. *Robur meum & carmen est Jah, qui mihi fuit saluti.*
15. *Vox jubilationis & salutis in tentoriis justorum. Dextra Jebovæ strenue & potenter agit.*
16. *Dextra Jebovæ elata est; dextra Jebovæ strenue & potenter agit.*
17. *Non moriar, sed vivam, & narrabo opera Jah.*
18. *Castigando castigavit me Jebova, sed morti non dedit.*
19. *Aperite mihi portas justitiae, per eas ingrediar, celebrabo Jah.*
20. *Haec porta Jebovae est, justi intrabunt per eam.*
21. *Celebrabo Te, quia me adflixisti,* vel *mihi respondisti, & mihi fuisti saluti.*
22. *Lapidem spreverunt aedificatores, factus est caput anguli.*
23. *A Jebova factum est hoc, illudque in oculis nostris mirabile.*
24. *Hunc diem fecit Jebova, choreas ducamus & laetemur in eo.*
25. *Quaeso, Jebova! serva nunc, quaeso, Jebova, prospere nunc fac agere.*
26. *Benedictus! qui venit in nomine Jebovae: benedicimus vobis e domo Jebovae.*
27. *Deus fortis Jebova, & illuminavit nos, vincite festum densis funibus ad cornua altaris.*
28. *Deus meus fortis Tu, & Te laudabo; Deus mi! exaltabo Te.*

29. *Celebrate*

29. *Celebrate Jehovam, quia bonus est, quia in aeternum benignitas ejus.*

PROLEGOMENA.

§. I.

Præclarissimi hujus cantici argumentum est partim *eucharisticum* & *laudatorium*, partim *gratulatorium*, quo illustris persona in scenam prodit, omnis generis & ordinis homines, Ecclesiam & populum Dei constituentes, Israelem, domum Aaronis & timentes Jehovæ, ad solenne illud carmen, lætis temporibus accini solitum, *bonitas & gratia ejus in aeternum*, nunc canendum excitans, deinde rationes lætitiæ & laudationis Dei, a singulari liberationis, cum hostium mirabili clade conjunctæ, beneficio, a Deo inter multa potentiæ suæ signa in se et universum populum collato, petitas, magnifice enarrans et extollens; denique aditum ad ædem sacram, ut Deum ibi adoret et colat, sibi solenniter faciendum a sacris personis, et Templi custodibus, postulans. Cui ipsæ illæ personæ sacræ publice summam excellentiam et prosperitatem, mirabiliter contra malevolorum vota et conamina factam, gratulantur, et quævis fausta a Deo adprecantur: quando persona illustris ad Deum laudandum et omnes ad id excitandos redit, et in eo terminat solennem hunc actum.

§. II. Ad argumenti pleniorem intellectum, et verum conspectum in luce collocandum, facit. 1. Personam esse illustrem, publicam, in summam dignitatem evectam; cujusque liberatio et salus cum totius populi et reip. erat conjuncta; personam denique religionis et pietatis studio flagrantem. Qui characteres ex Ps. sese sponte sua offerunt.

offerunt. Suam enim liberationem tanquam publicæ lætitiæ et celebrationis Dei, ab omnibus faciendæ, materiam considerari vult: se tanquam ducem fortissimum, qui hostes in nomine Dei prostravit, describit. Lapidem ab architectis spretum & caput anguli factum ipsi adplicantes, de suprema ejus dignitate testantur ipsi sacerdotes & Levitæ. Quod solennis *Hosannæ* adclamatio ulterius confirmat. 2. Status proxime præteritus, in quo cum toto populo fuerat, describitur, tanquam summopere adflictus, & a totali destructione proximus, per invasiones & oppressiones hostiles populorum vicinorum, qui in perniciem populi conspiraverant. Dicit se in *angustiis* fuisse, & ad cadendum ac moriendum impulsum; hostes vero se, agmine facto, undiquaque obsedisse, & infestasse. Ipsa vero persona illustris præterea occurrit eo in statu ab ipsis primoribus & principibus populi sui contemtui habita, & rejecta: *lapidem* se fuisse dicit ab ædificatoribus *spretum*, &c. 3. Status præsens, in quo nunc cum sociis & populo versabatur, erat lætus et prosper, status liberationis ab illis angustiis et periculis, status gloriæ et fiduciæ, rebus instauratis, et exercitio sacrorum vigente; ita ut hostes essent multipliciter prostrati, ipsa persona illa in summam dignitatem evecta, populus lætitia adfectus, portæ templi denuo apertæ, et sacra restituta; attamen nondum omnes hostes erant subacti, ut ex vers. 6. etc. liquet, nec perfecta ac firmata erat felicitas, sed fundamenta tantum jacta, quibus resp. et Ecclesia superstrueretur: quo nos vers. 22. emblema lapidis *in caput anguli* facti, ducit, ut suo loco patebit. Quam eandem cogitationem suggerit adclamatio Hosannæ, et adventus personæ istius in nomine Jehovæ.

§. III. 4. Quod ad duplicis hujus status *causas* adtinet; adflictionem partim gentes et populi hostiles, variis expeditionibus bellicis Judæos invadentes, et ad incitas redigentes, partim ipsi primores Judæorum impii, qui lapidem

pidem Israelis spreverant, adtulerunt, ut ex vers. 10 &c. et 22. manifestum est. Videtur quoque vers. 13. ad ipsos contribules hostes suos orationem vertere persona loquens. Habuit tamen *castigationis* Divinæ quoque conspectum hæc adflictio; adeoque justitiæ Dei castigatrici adtribuenda, tanquam causæ supremæ gubernatrici, ut vers. 18. edocet. *Liberationis* vero et instaurationis status præcipue adscribitur Deo, a cujus potentissimo auxilio, et gratuito favore, repetitur, ut ex toto Ps. constat; attamen inter media et causas instrumentales principem locum tenuerunt heroes, qui in nomine Dei hostes profligarunt, Chasidæi et eorum duces, hic *justorum* elogio ornati. Quos persona in Ps. loquens repræsentat, de se magnifice et gloriabunde dicens, *ego eos concidi* etc. 5. *Modus* denique, quo hæc læta rerum catastrophe fuit facta, militaris et bellicus depingitur, quo hostes sæpe justa acie fuerunt mirabiliter profligati, donec populus in tuto fuerit collocatus. Id quod phrases vers. 10. manifeste indicant. Nec tamen *ordinarius* fuit, sed multis nominibus divinus et miraculosus populum liberandi modus, in quo *manus* Dei multipliciter et insigniter sese manifestavit; ut habetur vers. 16. Cui etiam heroes in hostibus invadendis præcipue fidere solebant, ita ut *in nomine Jehovae* fuerint hostes adgressi: quemadmodum vers. 10. etc. dicunt.

§. IV. De *Tempore* et *occasione* qui ex Interpretibus sententiam dixerunt, in ea passim sunt opinione, *autorem* esse Davidem, et canticum ab ipso fuisse compositum, mox postquam, domo Sauli subacta, et Philistæis in ordinem redactis, in regno fuit confirmatus, vel arca in montem Tsionem translata, in memorabilis istius eventus memoriam, eo in primis scopo, ut regnum Messiæ, in suo conspicuum tanquam typo, depingeret. Cui hypothesi varia obstant, quæ adsensum impediunt. 1. Præterquam quod nomen *Davidis*, tanquam autoris, in fronte

te non gerat Ps., nullum præfert distinguens Davidis criterium; adeoque arbitraria est hypothesis, nullo nixa fundamento. 2. Distinctio vel divisio Ecclesiæ Judaicæ in *Israelem*, *domum Aaronis*, & *timentes Jehovae*, characterem exhibet, a temporibus Davidis non tantum, sed & sequentium regum alienum; & Maccabaicis unice congruum; ut ad Ps. cxv. notavi. 3. In tempus illud minus quoque quadrat, quod *omnes* gentes populum Dei & ducem ejus invasisse & cinxisse dicantur: quod & ipsum est temporis Maccabaici criterium. David initio a solis Philistæis fuit petitus, ipse postea offensiva æque, & magis, quam defensiva gessit cum vicinis populis bella. 4. David quoque per illa bella ad tantas angustias non fuit redactus, nec tanta expertus est singularis & extraordinarii auxilii Divini signa; ut hic Ps. requirit & celebrat. 5. Nescio denique, quo sensu *lapis* dici possit, ab *ædificatoribus spretus*, & contra omnem exspectationem *caput anguli* factus; cum in oculis & animis populi semper fuerit, & magis a Saulo & aulicis ex metu, quam contemtu, infestatus: lapis habebatur ad eum usum destinatus, & aptus.

§. V. Cum vero hæc & alia, supra prolata, criteria in duces Maccabæos, & eorum tempora, exacte conveniant, ut nemini non plane in ea historia hospiti facile patet; hunc, æque ac præcedentes, de quibus supra egi, ad ipsa illa tempora referendum, & a divino aliquo viro, quales eo tempore non defuerunt, fuisse compositum occasione publicæ lætitiæ, seu festivitatis, ob hostes subactos & remp. instauratam, in mirabilis istius catastrophes memoriam, adseverare non vereor. Illud in quæstionem tantum mitti posset, & dubium est, num ad Judæ Maccabæi, an Simonis Ethnarchæ tempora, referri debeat. *Prius* si obtineat; ad illud tempus referendum est canticum, quo, Syris sub Antiocho Epiphane sæpius profligatis & prostratis, Templum est repurgatum, & sacra renovata sunt, solenni encæniorum

festo, ad modum festi Tabernaculorum, celebrato, & instituto, 1 Macc. IV & 2 Macc. X. Quam hypothesin, a Cl. Harenberg *a* quoque productam, nonnulla haud leviter commendant. *a.* Quia festum illud summa cum lætitia similibus canticis, populo in tentoriis degente, fuit celebratum. Quo vers. 15., & in primis 27 respici videtur. *b.* Quia certa quidem & firma libertatis fundamenta tunc jacta erant, sed hostes nondum subacti, & multa adhuc discrimina adeunda, & difficilia superanda, restabant, antequam resp. & Ecclesia caput attollere possit, & perfecte instaurari. Quod ipsum in hoc Ps. repræsentari, supra in *argumento* illustrando observavi.

§. VI. Obstant tamen huic hypothesi nonnulla, quæ rectius longe in illud tempus conveniunt, quo *Simon*, tertius fratrum Maccabæorum, Juda & Jonathane occisis, plenissimam populo procuravit libertatem, hostes *Acra* ejecit, & hæreditario cum *jure* solenniter electus & inauguratus est Ethnarcha & Pontifex: ut prolixe narratur 1 Macc. XIV. Huic tempori *α.* rectius convenit divisio populi in Israelem, domum Aaronis, & *timentes Jehovæ*, seu proselytos, sub Juda minus adhuc frequentes: nec *Juda* fuit *Pontifex*, verum dux & Ethnarcha tantum. *β.* Status etiam præsens, in hoc cantico depictus, majorem requirit libertatem & prosperitatem, quam sub Juda, & ante Simonem fuit. Populus enim hic in *latum & amplum* statum introductus proponitur, vers. 5. in tentoriis suis pacifice & læte versari vers. 15., exercitium religionis omni parte liberum & non impeditum, vers. 19. &c. hostes plane subacti, ita ut nihil ab ipsis amplius metuendum sit, vers. 10. status omnis adflictionis jam finitus erat, vers. 18, 21. Nihil restabat, quam ut pomoeria ditionis extenderentur inter populos vicinos, & reip. ac Ecclesiæ prosperitas, jacto jam lapide angulari, ad summum culmen eveheretur: quod certa spe jam præceperant.

a In Bibl. Brem. cl. VIII.

præceperant. Quo tendit pericopa, verſ. 7—. γ. Simon quoque primus fuit Maccabæorum, qui ſtabilem & hæreditariam accepit, ſolenni populi decreto, Ethnarchatus & Pontificatus dignitatem. Quod omnino requirit emblema *lapidis angularis*, verſ. 22. δ. Simon denique primus & ſolus fuit, qui ſolenniter fuit dux & Pontifex electus & *inauguratus*; cujus ſolennitatis celebrationem hoc canticum comprehendit. Qui genuinus ejus eſt conſpectus: ut ex verſ. 22. &c. haud obſcure patet.

§. VII. Ex quo de *ſcopo* cantici facile conſtat. Eo fuiſſe carmen hoc laudatorium & gratulatorium deſtinatum, mihi plusquam probabile fit, ut ſolenni & lætisſimæ *Simonis*, tanquam Ethnarchæ & Pontificis perpetui & hæreditarii, qui opus liberationis cum fratribus inceptum perfecerat, inaugurationi, die feſto poſt acram ab hoſtibus liberatam, omnia ſacrorum impedimenta ſublata, inter publicos plauſus, & proceſſionis ad modum faciendæ, inſerviret, eoque ſolenni actu publice accineretur. Pace nimirum & libertate reip. & Eccleſiæ firmata, & arce, quæ Templo imminebat, & infeſtabat, *acra* dicta, quam hucusque hoſtes tenuerant, in poteſtatem redacta; quod ſummum beneficium *feſtivitate* publica celebrare inſtituerunt, *Simon* mox perpetuus Ethnarcha & Pontifex electus & inauguratus eſt; ut ex 1 Macc. XIV. patet. Quæ inauguratio eo, inter alia lætitiæ ſigna, modo facta videtur, ut Simon, magno Chaſidæorum comitatu ſtipatus, inter publicos plauſus, proceſſionis ad modum, ad Templum fuerit deductus, & ſolenniter introductus; hoc ipſo cantico, in rem adcommodatisſimo, ab ipſo & aliis cantato. Quo ultima pericopa verſ. 22. &c. nos manifeſte ducit. Cum enim ipſe omnes ad Deum laudandum excitaſſet, & laudationis materiam rationesque, ſuaque & fratrum facinora, ope Dei facta, enarraſſet, cantica quoque juſtorum in

tentoriis accini tunc solita memorasset, portam Templi, per quam ingredi, ut inauguraretur, deberet, sibi aperiri petit. Quo facto, sacerdotes & Levitæ ipsum carmine gratulatorio & adprecatorio Hosannæ excipiunt, & in dignitatem introducunt, vers. 22. &c. Hic primus & directus est scopus & usus, non solus; cum, ut mox dicam, ulterius spectet canticum, eo ultimo collineans, ut ad Messiam, ejusque solennem inaugurationem, per hanc expictam, eveherentur cogitationes piorum. Quod ex seq. evadet clarius.

§. VIII. Structura poetica huic hypothesi recte respondet, & eam confirmat. In scenam enim producitur illustris persona, cum magno & glorioso comitatu, carmen accinens, & illustria facinora in laudes Dei, quibus summam hanc dignitatem quasi meruerat, extollens, eaque ratione ad Templum tendens: quod cum sibi aperiri postulasset, sacerdotes & Levitæ introducuntur ipsi gratulari, & quævis fausta adprecari. Non enim una persona, sed plures in scenam prodeunt canentes; primum ipsa persona illustris, dein, post orationem ad sacerdotes & Levitas versam, ut aditum sibi ad Templum facerent, ipsi illi dignitatem ei gratulantes &c.

§ IX. In duas partes generales Ps., secundum duplicis generis personas loquentes, recte dividitur: quarum *prior* continet orationem eucharisticam et laudatoriam, ab illustri duce prolatam, vers. 1—21. *Posterior* vero sermonem gratulatorium et adprecatorium, quo sacrae personae in Templo eum excipiunt, vers. 22——27. Quando Ps. ita clauditur, ut inceperat, vers. 28, 29. In *priore* parte illustris persona א. omnes, in Israelem, domum Aaronis et timentes Jehovae, divisos, excitat ad carmen solenne, *Deus est bonus* etc. canendum, vers. 1—4. ב. Beneficium liberationis miraculosae, in totum populum sua opera et virtute a Deo collatum, *a.* proponit, cum porismate morali de fiducia in solo

Deo

Deo collocanda inde deducto, verſ. 5--9. β. explicatius enarrat, & modum, quo contigit, tradit, verſ. 10—13. γ. amplificat & extollit, reſpectu ſuæ & totius populi lætitiæ, in lætis cantibus in honorem Dei ubique per totam terram ſeſe exſerentis & oſtentantis, verſ. 14--19. 1. Introitum in ædem Jehovæ, apertis portis juſtitiæ, ſolenniter faciendum petit, verſ. 17--21. In *poſteriore* parte in ſcenam prodeunt perſonæ ſacræ, perſonam hanc cum comitatu ſuo ſolenniter in Templum recipientes; quæ ipſi hanc ſummam dignitatem & proſperitatem gratulantur, & quævis felicia adprecantur, beneficium Dei, quo mactatus erat populus, agnoſcunt & celebrant, ſimul omnes ad feſtum hoc læte agendum exhortantur, verſ. 22--27. Quando perſona illuſtris, oratione reſumta, in laudibus Dei, & adhortatione omnium ad eas, deſinit, verſ. 28—29.

ANACRISIS.

§. X. Quod ad Pſ. ſubjectum, & hypotheſin eum interpretandi, adtinet; licet Interpretes, Judæi æque ac Chriſtiani, hi vero unanimiter, de Meſſia, ejusque Regno & populo, hic agi conſentiant; alii tamen litteraliter & typice ad Davidem, quæ communis eſt ſententia, vel Judam Maccab., quod Harenbergio viſum fuit, ut ſupra dixi, & myſtice ad Meſſiam adplicant, *quam interpretationem*, inquit Junius a, *ut piam & ab hominibus piis uno conſenſu receptam, ut damnemus aut repudiemus, abſit*, alii primo & directo ſenſu Meſſiam exaltatum, poſt hoſtes devictos, intelligunt, ſed vel in perſona propria per humiliationem & exaltationem, vel in Eccleſia, ſive tempore Conſtantini M., ſive ultimis N. T. temporibus. Mentem noſtram paucis exponemus.

§. XI. Cum

a Parall. 37. lib. 1.

§. XI Cum canticum omnia præferat temporis Maccabaici sub Simone Ethnarcha & Pontifice criteria, & in solennem ejus inaugurationem recte quadret; ut ex supra dictis patet, & postea magis elucescet: sensum primum & litteralem nec excludendum, nec alium admittendum esse, ac ipsis illis temporibus congruum, nemo, qui rectam & solidam amat methodum interpretandi Script, dubitare poterit. Distinctio populi in Israelem, domum Aaronis & timentes Jehovæ, cornuum altaris mentio, & utriusque status adflicti & prosperi, modique liberationis per heroas & expeditiones militares descriptio, aliaque, sicut ad Israeliticum populum, ita ad tempora definita nos clare ducunt. *Davidi* cuncta illa obstant, quæ supra in tempore definiendo in medium adduxi, hic non repetenda. De Simone quare potius quam Juda cogitandum sit, ibi quoque late exposui.

§. XII. Hæc licet vera habeam; pericopam tamen de *lapide*, vers. 22—, præcipue, ad Messiam spectare, equidem nullus dubitaverim, cum quod a Christo ipso & Apostolis eo referatur, ut ex Matt. XXI. Marc. XII. Luc. XX. Act. IV. 1 Pet. II. nemini non notum est, tum quod recepta omnium temporum, etiam Christi, ex antiqua traditione hausta, ut probabile est, fuerit hypothesis, tum denique, quod non nisi in Messia veram suam emphasin habeat. De ipso enim solo dici potest, *a.* ipsum a proceribus gentis, post institutum examen & solenni judicio, fuisse rejectum, & spretum; *b.* eo ipso tempore, quo summam dignitatem est adeptus, *c.* fundamentum esse Ecclesiæ, & angulum unientem & sustinentem domum, *d.* mirabilem prorsus & stupendum, de Divina potentia testantem, esse eventum, & *e.* lætitiæ & salutis causam unicam &c. Hæc & horum similia licet aliquam, non tamen omnem, veritatem in Maccabæis habuerunt, quin umbram tantum, non ipsam rem; ut ipsa tractatio evincet.

§. XIII. Nec tamen ex eo colligendum est, totum canticum,

ticum, vel mystice & antitypice, vel multo minus litteraliter & directe, Messiæ esse adplicandum, *a.* quia prophetiis & canticis de fatis Ecclesiæ Judaicæ haud infrequenter aliquid de Messia inseritur; & hic ratio dari potest aptissima Messiæ memorati, ubi de Ecclesia Maccabaica, & singulari ejus exaltatione agitur: ut mox patebit. *b.* quia superiora in Messiam ante ejus exaltationem non quadrant. Persona enim describitur bellica, quæ ab hostibus externis, & populis vicinis gentilibus, oppugnata, & infestata, gloriosas de ipsis per arma reportavit victorias, & populum ea ratione & via in prosperrimo ac libero collocavit statu: ut ex superioribus patet. Præterea persona repræsentatur, ad necem quæsita quidem & petita, sed in eam non tradita, verum *in vita* conservata. Verum quidem est, similia locum aliquando habere in Ecclesia Christi; sed pericopa de Messia ad ipsum, ipsiusque personam, pertinet, & refertur in locis modo citatis. Posset quidem ad Christum in Ecclesia a populis hostilibus oppugnatum, & mirabiliter elevatum, adcommodari; sed eo referri ex intentione & scopo Ps. non potest; utique ratio id faciendi non est solida.

§. XIV. Ex mea itaque hypothesi canticum de Ecclesia Judaica, per Maccabæos ab hostibus & ex summis angustiis vindicata, & in stabilem pacis & prosperitatis conditionem adserta, exponendum est. Pericopa vero de *lapide*, ex vili & abjecta conditione *in caput anguli* evecto, primo & leviore sensu ad duces Maccabæos in Simone exaltatos, & summa in civitate & Ecclesia dignitate vestitos, referenda, ultimo & præcipue ad Messiam ad dextram Dei elevandum spectat, tanquam istius elevationis antitypum, complementum, scopum & fundamentum. De quo alibi in Diss. ad Dan. fuse disserui.

EXPLICATIO.

§. XV. In *priore* parte illustris Dux, qui hic in scenam prodit, *a.* cujusvis ordinis viros in Israele excitat ad solenne canticum, lætis temporibus adcini solitum, clara voce efferendum; vers. 1-4. his verbis. *Celebrate Jehovam, quia bonus, quia in æternum est beneficentia ejus. Dicat nunc*, vel *quæso, Israel: quia in æternum beneficentia ejus. Dicant quæso nunc domus Aaronis: quia in æternum benignitas ejus. Dicant quaeso nunc timentes Jehovae; quia in æternum beneficentia ejus.* h. e. Cum me & totum populum Jehova, Deus noster, multiplicibus & singularibus mactaverit beneficiis, quæ de summa ejus gratia testantur, adeoque tempus illud felix & prosperum nobis adluxerit, cui solenne canticum, *Jehova bonus est*, &c. convenit, & quo cantari solet: omnes omnisque ordinis viri, Israel, sacerdotes & levitæ, ipsi etiam ex Gentibus religiosi viri, nostræ religioni dediti, officio suo nunc quæso fungantur, lætitiamque suam pie & in laudes Dei exprimant, usitato in ejusmodi circumstantiis carmine; *bonus est Jehova, & beneficentia ejus in aeternum.* Nihil hic sese offert difficile, nihil, quod ad superiores Psalmos non sit explicitum. 1. Sermo exhortatorius primum in genere propositus, & universalis, quo omnes, nemine nominato, excitantur ad Jehovam laudandum, mox ad *Israelem*, *domum Aaronis*, & *timentes Jehovae* vertitur; tanquam totidem classes, in quas populus Dei hoc tempore fuit distributus. De quo ad Ps. cxv., dixi. *Israel* est populus ipse, *domus Aaron* omnes præfectos & civitatis & sacrorum comprehendit; cum summa rerum in Politicis & sacris hoc tempore penes Pontifices fuerit. *Timentes Jehovae* sunt *proselyti*, sive Ecclesiæ per circumcisionem adjuncti, sive religionis Israeliticæ studiosi, & Jehovæ reverentes inter Gentiles.

§. XVI. 2. Exhortatio ad eos excitandos, ut Jehovam, Deum

Deum Israelis, bonum & veracem, laudent, *cantuque* celebrent, tendit. Verbum enim אמר hic, ut alibi, *canendi* potestatem comprehendit. Sic & Jes. XII: 1. XXV: 9. & alibi. Quod ex seq., ubi initium cantici exhibetur, manifestum est. 3. Verba, quæ sequuntur; *quia bonus est, & beneficentia ejus in aeternum*; solenne aliquod canticum, lætis temporibus, quibus singulare aliquod Dei beneficium concessum est, cani solitum, repræsentant, ut ad Ps. CXVII. præcedentem observavi: sive initium cantici, sive summam contineant. Vocula itaque כי *quia*, quæ alias est ætiologica & rationis redditiva, hic vel orationem simpliciter inchoat, vel *adseverativa* est, ut ad Ps. CXVII. quoque notavi. Sensus verborum cum sit nemini non obvius, de quo alias etiam dixi, nihil habeo, quod observem, nisi hoc unum, hoc ipso cantico Maccabæos & Chasidæos festum encæniorum celebrasse: quod quin omnibus aliis lætitiæ diebus fecerint, dubium non est. 1 Macc. IV: 24.

§. XVII. ב. Huic adhortationi apte subjungit rationem & materiam celebrationis Dei, a singulari sua liberatione, & hostium subjugatione, petitam; quam *a.* proponit, cum porismate morali de fiducia in Jehova collocanda, inde ducto, vers. 5-9. Ubi *a.* liberatio, & secura conditio, opposite ad præcedentes angustias, his verbis repræsentatur, vers. 5-7. *Ex angustiis invocavi Jah: respondit mihi in locum spatiosum Jah. Jehova mihi; nihil metuam; quid faciat mihi homo? Jehovah mihi, adjutores mei: & ego intuebor hostes meos.* h. e. Quantam habeamus Dei nostri laudandi rationem, præteritæ & præsentis conditionis nostræ collatio facile docet. Cum enim summis pressus, & undiquaque constrictus, angustiis, Dei opem, quæ sola supererat salutis via, implorarem; Ipse mihi ipso facto adeo efficaciter respondit; ut me in spatiosum libertatis & securitatis campum eduxerit; in quo nunc versor, ita ut a nullo homine mihi metuam; & certo persuasus sim, me hostium meorum omnium interitum visurum esse. Dicit,

se in *summis* fuisse *angustiis*, seseque pie in iis gessisse, *Jah*, Deum verum, & quibusvis virtutibus illustrem, ardentibus precibus invocando. Qui verus fuit Maccabæorum sub Juda & Jonathane, usque ad Simonis præfecturam, conspectus: ut ex historia notissimum est. Fuit *tempus summæ angustiæ*, ut Dan. XII: 1. & alibi dicitur, & Chasidæi sese unice in Deo erexerunt, ejusque opem fervide implorarunt. *Ex his angustiis* Deum implorantem se *exauditum fuisse* declarat, *in spatiosum campum a Deo eductum.* Phrasis, *exaudire in campum latum*, est selecta & emphatica, quæ exauditionis effectum una comprehendit, diviteque sensu verbum cognatum involvit; ut plene sit: *exaudivit me, & eduxit in campum spatiosum. Exaudire* est, sensu prægnante, exaudiendo educere; cujus similia exempla in omnibus linguis prostant. Vox Hebr. מרחב signat *locum* vel campum latum & spatiosum, opposite ad *angustias*, adeoque *angustiarum* cessationem, & statum *libertatis*, *felicitatis*, & *tranquillitatis* ac *securitatis*. Vid. Ps. XVIII: 20. Job. XXXVI: 16. &c. Ex quo manifestum est, statum populi sub Simone, & non sub Juda aut Jonathane, depingi; ut ex collatione historiæ facile constat. Ad elegantiam & emphasin orationis facit nominis יה expressa mentio repetita. *Invocavi Jah*, *respondit Jah*, est, ipse ille Deus, quem inclamavi, respondit, & sese gloriosissimis perfectionibus ornatum, ac *tremendam* Majestatem esse, in utroque meo statu, & angustiarum, & liberationis, demonstravit; utroque in statu decenter, & virtutibus suis convenienter, mecum agendo. Quæ vis est nominis יה *a*.

§. XVIII. Ut autem status *latitudinis* clariore in luce collocaretur, additur, eundem esse *securitatis* statum, quo nihil non tantum ab hostibus metuendum sit, sed & eorum destructio per judicium Dei, populo Dei inspiciente, secutura sit. *Jehova*, dicit, *mihi*, sc. est auxilio, vel adest,

a Vid. ad Ps. LXVIII: 5.

eſt, patronus & vindex potentiſſimus; *non metuam*, vel, quod magis emphaticum, & vocula לא comprehenſum eſt, *nihil metuam:* nullam plane quid mali metuendi ab ullo homine habeo rationem; *quid faciet mihi homo?* per interrogationem; quæ fortiſſime negat. *Homo* non ſine emphaſi, ut de imbecillitate ejus, & quibuscunque hominibus cogitaremus. *Deus* & *homo*, ille auxiliator, hic oppugnator, opponuntur, ut, quantum ſit utriusque discrimen, tantam eſſe rationem ſecuritatis, eluceſcat. Nec hoc tantum, ſed &, hoſtes judicio Dei, ſe inſpectante, eſſe proſternendos, addit, ubi dicit, *Jehova mihi adjutores*, *& ego intuebor hoſtes meos*, h. e. Jehova meus eſt potentiſſimus patronus & vindex; qui faciet, ut hoſtiles populos, qui me in tantas conjecerant anguſtias, animosque inimicos retinent, videam vel deletos, vel ſubjectos. Quod Syro-Macedonibus & vicinis populis aliis poſtea eveniſſe, in vulgus notum eſt. Phraſes ſunt emphaticæ. Prior proprie ſonat, *Jehova mihi in auxiliatoribus meis;* quæ idem denotat, ac, eſt mihi patronus & vindex, unus omnium inſtar, & omnibus major, potentiſſimus & fideliſſimus, qui me ſimul omni bono cumulare poteſt & vult. Verbum עזר proprie dicit, *copioſe fluxit*, *abundavit;* frequentatur in ubere animalis largiter fluente; unde pro *juvare*, & *omni copia donare*, ſumitur, & participium עזר abſolute poſitum ſignat *patronum* & *vindicem promtiſſimum*. Jeſ. XXXI: 3. LXIII: 5. & alibi. Numerus plur. emphaſin auget, & potentiſſimum, loco plurium, & omnium inſtar, denotat. Particula vel littera ב, in בעזרי, nominativis addita, interiorem rei ſtatum & certiſſimam conditionem exprimit, ſignatque certum, verum & excellentiſſimum, patronum & vindicem, uti Pſ. LXVIII: 5. XCIX: 6. & alibi ſæpe. *Poſterior* phraſis, *& ego videbo hoſtes meos*, idem denotat, acſi haberetur, & ego otioſus quaſi ero ſpectator interitus & deſtructionis hoſtium meorum. Deo potentiſſimo patrono, gaviſus, nihil fere aliud faciam, quam ut hoſtes deleri videam.

deam. *Intueri hostes* hic non tam dicit, eos intrepide adgredi, quam eos otiose prosterni videre, judicio Divino delendos. Vid. Ps. xxxv: 21. LIV: 9. XCI: 8. De Syro-Macedonibus, Lagidis, aliisque populis hostilibus post hoc tempus varie adflictis, & destructis inter clara judicii Divini signa, exstat Danielis vaticinium c. VII. satis manifestum. De quo in Diss. ad Dan. disserui.

§. XIX. *b.* Dicta illustrat & confirmat, morali etiam monito prolato, ex longe diversa eorum, qui Deo & hominibus fidunt, sorte, vers. 8, 9. *melius est Jehovæ in clientelam se conferre, quam homini confidere. Melius est Jehovæ patrocinio uti, quam principibus fidere.* h. e. Sicut ex nostra liberatione & hostium subjectione constat, ita ex firma nostra felicitate, & populorum hostilium plenaria destructione constabit ulterius; longe beatiorem & tutiorem esse eorum conditionem, qui Jehovæ tutelæ & patrocinio se committunt, quam qui homini cuicunque, etiam in summa dignitate posito, & potentia prædito, confidunt: Ex quo quid nostri sit officii, & a quo salus nostra pendeat, clare intelligitur. Verba & veritatem moralem summi momenti, per experientiam tunc demonstratam, & postea futuram, & simul monitum ad Jehovæ soli fidendum, continent; nihilque habent, ad quod quis obhærescat. Comparatio non eo sensu est capienda, acsi fiducia Jehovæ simpliciter foret præferenda, non sola necessaria, & tantum bona & salutaris, sed fiduciam in hominibus præterea plane rejicit & damnat; ita ut *melius & potius* hic sit unice bonum & salutare, opposite ad alteram fiduciam in hominibus, nullo modo bonam. Cujus locutionis ubique sese offerunt exempla. Eo itaque collineat, ut 1. Judæorum, patrocinio Jehovæ gaudentium & nixorum, tutam ac prosperam, reliquorum populorum, humanæ potentiæ & dignitati fidentium, infelicem esse, & fore, sortem, adfirmaretur. 2. Judæi de fiducia in solo Deo ponenda admonerentur, ne aut propriis *ducibus*, licet he-

roibus

roibus maximis, aut populo alicui amico, ex gr. Romano, fiderent. Quod monitum præsenti tempori erat adcommodatissimum, cum propter heroica Maccabæorum facinora, tum propter amicitiam, & fœdus cum Romanis, tempore Maccabaico primum initum. In phrasibus nihil occurrit difficile, aut notandum, quod non sæpe alias est explicitum.

§. XX. β. Singularem status mutationem, seu hostium se cingentium & undiquaque invadentium prostrationem, Dei virtute factam, quam modo in genere proposuerat, paulo deductius repræsentat vers. 10—13. *a.* respectu populorum vicinorum, ingente copia & magna ira in Judæos vel Chasidæos, iteratis vicibus irruentium, sed semper ope Dei devictorum, vers. 10—12. *Omnes gentes me circumdederunt hostiliter: in nomine Jehovæ est, quod eas conciderim. Circumdederunt, etiam circumdederunt, me: in nomine Jehovae est, quod eas conciderim. Cinxerunt me instar apum, ardendo exstinctæ sunt, sicut igne spinæ: in nomine Jehovæ* est, *quod conciderim eos.* h. e. Vicini populi, circumquaque omnes, variis, sæpiusque repetitis, vicibus, ingente copia, & magnis iris, in me hostiliter irruerunt, & telis suis petierunt, haud secus ac *apes* irritatæ, quæ examine facto magno cum susurro involant, & aculeis pungunt: sed, Dei auxilio invocato fretus, iis tam animose tantaque efficacia restiti, ut eos continuo vicerim, dissipaverim vel prostraverim, adeo ut instar spinarum ardentium subito, & magno fragore, in fumum abierint & interierint.

§. XXI. Pericopa agit 1. de hostilibus invasionibus, ad populum Dei omni modo lædendum & delendum destinatis. Quo cum verbum סבב *circumdare*, tum simile *apum* manifeste tendit. Verbum enim illud non *circumdandi* simpliciter, sed & hostiliter irruendi potestatem habet, ac in specie *transfigendi* ac *vulneribus* conficiendi, etiam lingua pungendi præfert apud Orientales. Sic etiam sumitur 1 Reg. v: 17. Ps. XXII: 17. CIX: 3. de lingua pungente, &

& maledica, Job. XVI: 13. Quod similitudo *apum* ulterius confirmat. Quarum est undiquaque cingere, pungere, & aculeos infigere, ac vulnerare; quibuscum hostiles impetus comparari solent, ut Deut. I: 44. Jes. VII: 17. & apud alios scriptores *a*. Voces vero, *instar apum*, ad totam hanc pericopam, seu omnes invasiones, sese extendunt, acsi semper additæ fuissent verbo *circumdandi*. Elegantiæ vero orationis est adscribendum, quod ultimo membro tantum adhæreant. Cujus plura exstant in Ps. & alibi exempla, ut ad Ps. XCII. observavimus. Indicat itaque Dux, qui hic loquitur, se & populum fuisse aperto marte hostiliter petitum ab irarum plenis hostibus, & omni modo verbis & factis vulneratum, & ad totalem destructionem invasum.

§. XXII. 2. Hostiles hos impetus non unius aut alterius, sed *omnium gentium* fuisse testificatur, ubi dicit, *omnes gentes circumdederunt me;* sc. omnes gentes in circuitu; quemadmodum Zach. XII. & alibi sæpe expresse additur. Quod in tempora Maccabaica unice quadrat: uti notum est. Syro-Macedones primum, qui omnes illas gentes sibi habebant subjectas, dein reliqui populi vicini, in perniciem Judæorum conspirarunt: ut diserte I Macc. V: I. traditur. 3. Irruerunt non una vice & expeditione, sed pluribus, nec parva manu sed magnis copiis, nec militaribus tantum, sed iratis & exacerbatis maxime animis, plenarium excidium minitantibus. Quo partim comparatio cum *apibus*, partim repetitio phrasium *circumdederunt me*, manifeste tendit.

§. XXIII. 4. Sed, quam infelici successu id fecerint, quantaque cum sua clade, declarat, ubi dicit: *Concidi ipsos, & ardendo exstincti sunt instar spinarum igne.* Verbum Hebr., in *circumcisione præputii* teri solitum, licet de *præcisione* & *excisione* etiam usurpetur, vel adhiberi possit, cujus tamen nullum mihi in Script. occurrit exemplum, loca enim

a Vid. Bochart. H. p. II. l. IV c. 10.

enim, quæ citari solent, Ps. XIII. & XC. huc non pertinent, cum radix alia מלל ibi reperiatur; non sine propriæ significationis respectu hic electum mihi videtur; nec tamen eo sensu, acsi, populos vicinos per propriam *circumcisionem* Ecclesiæ Judaicæ per se fuisse insertos, vel inserendos, significatum voluerit, quod Cl. Harenbergio l. c. placuit; illud enim nec de *omnibus gentibus* illis dici potest, nec hoc tempore contigerat, nec phrasibus aut scopo convenit. De *Idumæis*, & *Ituræis*, illis a Joh. Hyrcano, his ab Aristobulo, circumcisioni addictis, tantum verum fuit. Sed hac ratione intelligendum & explicandum censuerim, quatenus *α*. populi vicini, gentiles & præputiati, Maccabæos & Chasidæos undiquaque *cinxerint;* a quibus per concisionem eorum, tanquam *circumcisionem* præputii, sunt liberati. *β*. liberatio illa simul *gentilismum*, per hostes illos inter Judæos introductum, qui ad *præputium* inter eos renovandum, & Gentilismum stabiliendum, omnem moverunt lapidem, e medio eorum sustulit, & *opprobrium gentium* abstulit; quemadmodum Israelitæ in Cananæam introducti, & circumcisi, dicuntur ab *Aegyptiorum opprobrio vindicati* Jos. V. *γ*. Liberatio denique vi fœderis, cujus sacramentum *circumcisio* erat, nec sine multo dolore & labore, fuerit peracta. Habuit itaque hostium prostratio aliquem *circumcisionis* conspectum. Ceterum quod hostium invasioni continuo subjungatur eorum circumcisio, adeoque toties repetatur, quoties hostilis oppugnatio; illud ad continuas victorias, de hostibus reportatas, nos ducit. De quo historia Maccabaica clare testatur.

§. XXIV. Sed emphasi non caret, quod non tantum *circumcisæ* dicantur gentes hostiles, verum etiam tanquam *spinæ igne exstinctæ*, *ardendo* nimirum facile & cum magno strepitu consumtæ, inter clara Divinæ justitiæ signa. LXX & Chald. verterunt, *exarserunt sicut ignis spinarum*, vel in *spinis;* cum verbum Hebr. denotet, *exstinctæ sunt.* Quod facile conciliari potest, si sensu prægnante reddas,

ardendo exſtinctæ ſunt. Cujus indicium eſt in metaphora ignis & *ſpinarum.* Comparantur itaque hoſtes cum *ſpinis in igne*, quæ ſimul furioſe ardent, ſimul momento exſtinguuntur. Senſus eſt, hoſtes magno furore & ingente ſtrepitu in Judæos fuiſſe accenſos & immiſſos, ſed in ipſa illa ira ſua & invaſione ſubito, & cum claris juſtitiæ Divinæ ſignis, interiiſſe. Verterim ergo potius, *ardendo exſtinctæ ſunt ſicut in igne ſpinæ:* quemadmodum & alibi occurrit hoc emblema, Jeſ. IX: 17. X: 17. 2 Sam. XXIII: 7. Cui explicationi non obſtat, ſicut nonnullis viſum, quod addatur, *in nomine Dei eſt, quod conciderim eos;* quia hæc verba, explicationis gratia ſubjuncta, modum declarant, quo hoſtiles populi per judicium Divinum ſunt deleti, non immediate, ſed mediante bello & prælio. In quo Divina manus multipliciter fuit conſpicua. Ceterum in *ſpinarum* emblemate nihil eſt inſoliti, aut difficilis. *Spinæ* & copia, & implicatione ac denſitate ſua, & aculeis ſuis, hoſtiles copias, & earum infeſtationes, apte exprimunt, ſicut *earum* combuſtio facilis, & ſubitanea cum ſtrepitu, ad hoſtium per judicia Divina exſtirpationem facile ſeſe transferri patitur.

§. XXV. 5. Denique ne ſua ſapientia & potentia hoſtes fuiſſe proſtratos cogitaremus, addit Dux illuſtris, ſeſe *in nomine Jehovæ id feciſſe*, dicens. *In nomine Jehovæ quia concidam eos. In nomine Jehovæ* ubi dicit, ſe hoſtes viciſſe, indicat, 1. auxilio Jehovæ *fretum*, 2. ſingulari etiam modo *gaviſum*, & 3. tanquam providentiæ Dei miniſtrum, & veræ religionis ac populi Dei *vindicem*, a Deo electum, cujus cauſam in hoc bello egit feciſſe, Quæ phraſios, *in nomine Jehovae*, peculiaris eſt emphaſis, in N. T. ſæpe obvia. De quo ad verſ. 6. quædam monebo. Sed ſtructura orationis, *in nomine Jehovae quia concidam eos*, aliquid impediti habet, quod expediri meretur. Cum verbo fut. temp. utatur, viſus eſt multis non de præterito, ſed futuro ſuo facinore heroico agere, acſi vellet, ſe in *nomine*

mine Jehovæ hostes, quum impetum fecerint, facile prostraturum esse. Sed, *a.* hostiles populos se invasisse, non invasuros esse, diserte dicit verbo præt. temp. usus. *b.* eos instar spinarum igne fuisse combustos & exstinctos, ejusdem temp. præt. verbo declarat. *c.* de hostibus devictis, & populo in plenissimam libertatem vindicato, per totum Ps. loquitur. Verbum itaque fut. temp., *concidam eos*, hic rem præteritam, ut sæpe alias, exprimit, & continuatam actionem sæpius repetitam, postea que, si casus ita tulerit, repetendam designat, ita ut *consuetudinis* habeat, ut sæpe alias, potestatem. Sed quid sibi vult, quod dicat, *in nomine Jehovae quia concidam*, vel concidere solebam, *eos?* videtur phrasis elliptica, hac ratione facile supplenda: *in nomine Jehovae* est, *quod conciderim eos;* quando omnia facile fluunt.

§. XXVI. In hisce licet aequiescere possem, quid tamen addere vetat, vocem כי derivari posse a כוי *adurere* per ignem, vel prunas, vel *cauterium*, & signare *adustionem*, in specie *cauterio*, ad excruciandum, vel notam inurendam; uti Jes. III: 24. & apud Arab. frequenter usurpatur: adeoque sensus erit, *in nomine Jehovae* hostes, qui me instar præputii circumdederunt, & ad Gentilismum attraxerunt, hostili modo mecum agentes, *concidi*, eos igne vel cauterio adurendo, & absumendo: ad præputium *cauterio*, & non cultro, abscindendum, forte alludens. Quod ex vers. 12. ubi *exstincti* dicuntur *instar spinarum igne*, haud parum confirmatur. Sensus erit, eos inter multos cruciatus, & cum variis iræ Dei signis, fuisse deletos. Cujus illustre specimen in ipso Antiocho Epiphane, uti notum est, fuit.

§. XXVII. *b.* Hostilium populorum invasioni, a se superatæ cum eorum prostratione, subjungit, oratione ad certum aliquem hostem versa, se ab eo ad lapsum usque fuisse impulsum, sed divinitus sustentatum, his verbis, vers. 13. *Trudendo trusisti me ad cadendum, sed Jehova ad-*

 juvit

juvit me. Vicinæ non tantum Gentes undiquaque in me inpetum fecerunt; sed & tu, ô homo! qui mihi adesse debebas, & contra hostes gentiles juvare, omni modo me ad cadendum impulisti; ita ut in solo Jehova omnis mea spes fuerit sita; qui me etiam tam potenter sustentavit, & tuitus est, ut non succubuerim, quin animose in hostes insurrexerim, & eos in ejus nomine conciderim. Videtur mihi in oculis habuisse primores populi, pontifices, improbos, qui omnis calamitatis, & hostilis gentium impetus, fuerunt vel autores, vel adjutores; quales fuerunt *Jason*, *Menelaus*, & in primus *Alcimus*: ut ex historia constat. Quos improbos ex ipso populo in oculis habuit Jes., ubi c. XXVII: 4. Deum introducit loquentem: *quis mihi objiciat sentem & veprem in bello? gradiar hostiliter per eam, incendam eam pariter.* Qui ipsi *impii foederis* adpellantur Dan. XI: 32. & eo nomine in historia Maccab. notissimi sunt. De his ut hoc in loco cogitem, facit *a.* quod a *Gentibus omnibus*, modo memoratis, distingui videantur. *b.* quod sermo ad eos versus, qui de indignatione & *admiratione* quid trahit, in eos rectius quadret. Ubi enim dicit *impulisti me;* idem est, acsi haberetur, *& tu*, o homo! te hostibus adjunxisti, quem nihil minus decebat. Ceteroquin ratio reddi nequit personæ tam subito mutatæ. *c.* quod tacite insinuatum velit, & eos ipsos, qui se juvare debebant, manus præbuisse hostibus, seseque ad cadendum trusisse: adeo ut præter Deum nullus sibi superfuerit adjutor & patronus. Ceterum, ubi dicit, *trudendo trusisti me ad cadendum*, eos nihil non omni conatu & impetu egisse, ut vel hostium libidini succumberet, ac religioni patriæ renunciaret, vel e medio tolleretur, significat. Quæ latius non necesse est exsequi.

§. XXVIII. *γ.* Beneficium liberationis propositum & explicatius traditum amplificat & exaggerat a lætitia, lætoque cantico, sibi & reliquis justis, per totam terram Cananæam pacifice nunc degentibus, concesso, quo excelsam

sam Dei manum, & illustria ejus facinora celebrare possint, in hæc verba, vers. 14-16. *Robur meum & carmen est Jah, qui mihi fuit saluti. Vox jubilationis & salutis in tentoriis justorum: dextra Jehovæ strenue & potenter agit. Dextra Jehovæ elata est; dextra Jehovæ strenue & potenter agit.* Elegantem & adfectuosam verba continent descriptionem status totius populi læti, prosperi & pacifici, simul pii & religiosi, quo læta carmina in honorem Dei, & laudes bonitatis ac potentiæ ejus, accinere poterant, & ubique accinebant. Explicat *a.* animum & exercitium suum, vers. 14. *Robur meum & carmen Jah, & fuit mihi saluti.* h. e. Sicut robur mihi præstitit, dum mihi saluti fuit, me ex angustiis in latum & amplum educendo campum, hostibus potente manu prostratis; ita lætus agnosco, & cantu in ejus laudes celebro. *Robur* & *carmen* conjungit, ut roboris concessi laudes Deo accinendas exprimat: addit, *Deum fuisse sibi saluti*, ut, qua ratione Deus *suum robur* fuisse & esse, explicaret, simul materiam & rationem læti carminis traderet. In quo nihil est difficilis. Quod vero וזמרת habeatur pro וזמרתי illud a sequente voce יה, quæ cum littera י incipit, repetendum est; quippe per quam ultima littera ' vocis præcedentis absorpta sit. Quod non est longe quæsitum. Ita etiam alibi, ut Exod. xv: 2. Jes. XII: 2.

§. XXIX. *b.* Eandem lætitiam & piam exercitationem per totam terram inter omnes justos & Chasidæos locum habere, declarat vers. 15. dicens. *Vox jubilationis & salutis in tentoriis justorum. Vox jubili & salutis* quascunque voces, sive soluta sive ligata oratione prolatas, quævis signa sonora & publica, ex sensu salutis ac liberationis, & de eo testantia, complectitur. Hæ voces cum *in tentoriis justorum* resonare dicuntur, *justos*, seu religionis & virtutis studiosos, ante adflictos, fugatos & dispersos, nunc læte & pacifice in ædibus suis degere, & Deo laudes canere, indicatur. *Justi* adpellantur Chasidæi, opposite ad *impios*,

nunc superatos, qui multiplicem habebant materiam lætitiæ & jubilationis. Nec sine ratione *tentoria* ipsis adtribuuntur, ut de læto & securo ipsorum statu cogitaremus, instar eorum, qui in agris & campis degunt; ut olim Patriarchæ, & Israelitæ in deserto, & festo Tabernaculorum. *c*. Additur denique ratio & materia lætitiæ & læti cantus, *Dextra Jehovæ strenue & potenter agit* &c. quo indicatur, potentiam Jehovæ in commodum & salutem populi Dei per illustria & ardua facinora variis & continuis vicibus fuisse demonstratam & glorificatam. Quod faciles habet explicatus: quare nihil addo.

§. XXX. 1. Posteaquam omnis ordinis homines ad Deum solenni carmine laudandum excitasset, & felicem rerum mutationem, statumque salutis & lætitiæ, in luce collocasset: aditum sibi & comitibus ad Templum fieri postulat, ut & scopo liberationis concessæ satisfaciat, & vota sua impleat, Deum solenniter in Templo colendo & celebrando, vers. 17--21. Ubi *a*. præmittit *scopum* beneficii liberationis, quo a Deo erat mactatus, ut viveret, & Deum laudaret, castigatus quidem sed non ad mortem & internecionem punitus, vers. 17, 18. *Non moriar sed vivam, & narrabo opera Jah. Castigando castigavit me Jehova, sed morti non dedit.* h. e. Summa, quæ mihi & sociis, seu legis studiosis, incubuit calamitas, cum multiplice vitæ & exstirpationis periculo conjuncta, *castigationis* quidem divinæ ad meam & nostram emendationem, at non pœnæ capitalis ad plenam destructionem habuit conspectum, adeoque eum eventum nacta est, ut non mortuus sim, sed omni emphasi vitam consecutus; eoque tandem scopo immissa est, ut liberatus opera Dei magnifica & salutaria omni modo celebrarem. Cum dixisset, *se non moriturum*, sed *victurum*, &c. explicationis & confirmationis ergo addit, quid factum sit, & sibi contigerit, *castigatum quidem se esse, sed non in mortem traditum.* Ex quo manifestum est, verba fut. temp. vers. 17. *non moriar sed*

sed vivam, non tam de futuro, quam de præterito casu esse capienda, ita tamen ut in futurum se simul porrigant, adeoque idem esse ac, comprobatum est, & ipso facto adparuit, *me non moriturum*, sed *victurum* esse, seu judicium non ad mortem fuisse: quemadmodum mox clarius exponit, verf. 18.

§. XXXI. Explicat itaque *a.* verum conspectum & eventum calamitatis verf. 18. ubi dicit, *se castigando castigatum*, *sed non morti traditum esse.* Quod & sibi, & omnibus sociis, vel populo & Ecclesiæ Dei, adplicitum vult. Quadrat vero exacte in calamitatem Epiphanicam, quæ eo etiam spectavit, ut populus ab impiis purgaretur, & ob neglectum studium religionis ac virtutis castigaretur. Quare tempus *iræ* Dei in populum accensæ adpellatur, & apud Prophetas, & in Hist. Maccab. vid. Jes. XXVI: 20. LIV: 8. Dan. VIII: 19. XI: 36. 1 Macc. II: 49. 2 Macc. VII. 38. & alibi. *b.* Hinc colligit, non eo scopo se a Deo in hæc mala fuisse præcipitatum, ut *moreretur*, seu ad internecionem deleretur, & resp. cum Ecclesia destrueretur, verum ut *viveret*, h. e. morti non tantum eriperetur, quod jam dixerat, sed & *vita*, in emphasi dicta, frueretur, quæ libertatem & prosperitatem omnigenam comprehendit. Quo ipso indicat, se morti & destructioni fuisse proximum, & statum suum passim pro desperato fuisse habitum, sed mirabiliter & divinitus a Deo liberatum, & vitæ seu liberati & felicitati adsertum; nec illud pro brevi tempore, sed in perpetuum, seu ad finem reip. a Deo positum, adeoque etiam in futurum. Quæ quoque ratio est fut. temporis, quo utitur. Ceterum phrasis, *non moriar sed vivam*, dicit, comprobatum est, & adparet, me in calamitatem eam non incidisse, ut *morerer* sed *viverem*; ut sæpe alias. Quod ex dictis facile patet. *c.* Denique scopum liberationis suæ subjungit esse, *ut opera Jah enarraret*, cum in genere, tum in specie, nunc in liberatione procuranda præstita. In quo nihil est difficultatis.

tatis. Tantum notetur, hanc pericopam eo tendere, ut aditus ſibi ad Templum fieret, in quo hoc officio ſolenniter fungi debeat: quam petitionem apte mox ſubjungit, verſ. 19—

§. XXXII. β. Poſtulatio, qua portas Templi ſibi & comitibus aperiri petit, addito ſcopo Dei laudandi, ita ſonat, verſ. 19. *Aperite mihi portas juſtitiæ; per eas ingrediar, celebrabo Jah.* h. e. Cum ſingulari adfectus ſum beneficio liberationis, eo ſcopo ut Deum publice celebrem; ſolenni hoc comitatu adceſſi ad Templum, ut hoc officio defungar; ſeu publica ejus ſumam auſpicia. Sint itaque mihi *portæ* Templi, in quo *juſtitia* exercetur, & Deus juſtis laudibus celebratur, nunc & in poſterum apertæ; ut per eas ingrediar, & Deum ſalutis dignis laudibus extollam. Oratio eſt ad Sacerdotes, Levitas & cuſtodes Templi, directa, qua illuſtris Dux in ſcenam producitur, ſolenni proceſſione inſtituta ad Templum, aditum liberum & apertum petere & poſtulare, ut cultui Jehovæ vacare, & vota ſolvere poſſit. Quæ ex ſupra dictis non amplius ſunt obſcura. Quare paucis defungar. *a. Portas juſtitiæ* hic adpellat *portas Templi*, & non Hieroſolymæ, minus *cœli*, ut ex verſ. 26. ubi perſonæ huic ex *domo Dei* benedicitur, & verſ. 27. ubi *altare* memoratur, manifeſtum eſt. De *cœlo* præterquam quod nulla ſit cogitandi ratio, quominus id fiat, vetat argumentum & ſcopus Pſ., ut ex dictis facile eluceſcit. *Portæ templi* hic *portæ juſtitiæ* adpellantur, non tantum quod veræ religionis & pietatis unica ſedes ſit, præterea non niſi religionis & virtutis ſtudioſis ibi verſari liceat, ſed etiam, quod hoc tempore a contemtu & profanatione vindicatum ſit Templum, impiis & legis deſertoribus ac idololatris exterminatis, ita ut legitimo & ſancto uſui in poſterum inſervire rurſus queat. Tempore perſecutionis Epiphanicæ Templum variis modis erat contaminatum, & impietatis locus factum, impiis quoque patuerat; ſed nunc, rebus in melius mutatis

tatis & instauratis, ædes hæc sancta rursus erat facta, & legis ac religionis studiosis reddita; quam non nisi justi, vel Chasidæi, adire debeant, ut vers. 20. dicitur. Quod ipsum Jes. XXVI: 2. & Zach. VIII: 3. & alibi prædictum fuit.

§. XXXIII. *b.* Per has portas ubi *se ingressurum, & Jah celebraturum esse*, declarat, sicut sibi illud faciendi jus esse, ita scopum & exercitium suum pium, significat. Erat Chasidæorum princeps, veræ religionis cum fratribus vindex, nunc etiam Pontifex electus, & solenniter inaugurandus Simon, comitatu quoque piorum & justorum ornatus; qui Deum solenniter erat celebraturus, & auspicia cultus religiosi ac muneris sumturus; adeoque jure suo ad Templum admittendus. Quæ sua luce nunc fulgent.

§. XXXIV. *γ.* Postulatum suum urget *a.* ab usu Templi vers. 20. *hæc porta Jehovæ* est, *justi intrabunt per eam.* h. e. Cum hæc domus sit Jehovæ sacra, & justis ac religiosis pateat, jure meo aditum postulo ad eam. *Porta Jehovæ* est porta domus Jehovæ, vel quæ ad communionem cum Jehova exercendam, & nomen ejus colendum, ducit: *porta* est religiosa, & religionis ac virtutis studiosis destinata, per quam iis aditus est ad Jehovam celebrandum. *b.* a scopo domum Dei intrandi, vers. 21. sermone ad Jehovam ipsum, elegantiæ & emphasios ergo, verso. *Celebrabo Te, quia adflixisti me, & mihi fuisti saluti.* h. e. laudes Tibi, ô Deus, omni modo deferam, quod, cum me in gravissimas calamitates, ut me castigares, tradideris, mihi liberationem & prosperam concesseris conditionem. Sermonem subito ad Deum flectit, elegantiæ non tantum causa, quæ ejusmodi apostrophas frequenter admittit, sed & emphasios ergo, ut studium suum Deum celebrandi, & sinceritatem animi in aditu eo scopo ad Templum petendo, clare testificaretur, & certius confirmaret, ad Deum quasi per hoc alloquium provocando. Observetur præterea, vim sermonis non in *adflictionem*, sed *liberationem* cade-

 re,

re, adeoque materiam & rationem laudationis non tam in adflictione, quam vindicatione & salute quæri: sicut in paraphrasi expressi. Cujus formæ loquendi non desunt exempla. Sic 1 Sam II: 7. Matt. XI: 25. Rom. VI: 17. Hæc licet egregium fundant sensum, punctaturæ tamen Hebr. minus consentanea sunt, cum non עֲנִיתָנִי, ut usus fert, sed עֲנִיתָנִי legatur; adeoque rectius vertitur, quia *respondisti mihi*, & divite vena necessitatibus meis succurristi. Quæ vera verbi potestas est, ut alibi sæpe observavi. Quando recte subjungitur, *& fuisti mihi saluti.*

§. XXXV. In *altera* Psalmi parte, personæ sacræ, quæ in Templo repræsentantur illustrem hunc Ducem cum lætitia & adclamationibus recipere, κ. admirationem & lætitiam suam super elevatione hujus personæ in summum Ecclesiæ commodum, ad laudes Dei, testificantur, vers. 22--24. *Lapidem spreverunt ædificatores; factus est caput anguli. A Jehova factum hoc est; illudque in oculis nostris mirabile. Hunc diem fecit Jehova; choreas ducamus, & lætemur in eo.* h. e. Cum hodie publice adpareat, illustrem hanc personam, a primoribus populi rejectam, in eo dignitatis & potestatis statu esse positam, ut Ecclesiæ & civitati sit futura fulcrum, cui innixa in altum educetur; sicut illud tanquam mirabiliter nobis occurrit, a Deo singulari providentia effectum, ita summa cum lætitia id agnoscimus, & celebrare parati sumus, lætitiam omni modo manifestando. Oratio est Sacerdotum & Levitarum in Templo, ut facile patet, & ex vers. 26. dubio caret; qua α. summam hujus personæ excellentiam & potestatem in usum Ecclesiæ contra primorum conatus agnoscunt, vers. 22. *Lapidem spreverunt ædificatores, factus est caput anguli*, sive per ellipsin אשר capiatur, ut sit, *lapis, quem spreverunt, factus est* &c. sive *lapis* repetatur in posteriore membro, *lapidem spreverunt, sed is ipse factus est.* &c. Respicitur ad *lapidem angularem*, ἀκρογωνιαῖον, magnum, quadratum, solidum, & angulis prominentem, qui, ædificio substratus, illud

illud partim ſuſtinet, partim latera ejus compingit, partim offendentes in eum retundit, & graviter lædit. Quod emblema ſatis uſitatum, & in Script. obvium, ut Jeſ. VIII: 14. XXVIII: 16. quo hic omnino adluditur, & alibi, in illuſtrem ac potentem ſervatorem ac regem optime quadrat, qui vel *novam* civitatem ac ſocietatem erigendam, lapidis fundamentalis ac angularis inſtar, ſuſtentaturus & vindicaturus eſt, vel ſocietati *collapſæ*, ac ruinam meditanti, ſuppoſitus eam denuo erigit, fulcit, & de novo inſtaurandæ fundamenti inſtar inſervit; metaphora ab ædificio ruinoſo petita, cui novum ſubſternitur fundamentum, cui innixum in ſummam altitudinem ac firmitatem erigitur & educitur. Quæ poſterior cogitatio, ſicut aliis locis, ubi idem emblema occurrit, modo citatis, rectius convenit, uti Cl. Vitringa ad Jeſ. XXVIII. demonſtravit, ita in noſtrum unice quadrat, cum hic non de nova ſocietate condenda, ſed eadem collapſa inſtauranda manifeſte agatur; quod nemini non patet.

§. XXXVI. *Lapis* itaque *angularis* in ædificio ſocietatis Iraeliticæ, de qua hic agitur, illuſtris eſt perſona, vel domus, quæ 1. primum & præcipuum locum in ea ſocietate, ſive civili, ſive Eccleſiaſtica & religioſa, ſive potius utraque, tenet. 2. eam fundat & erigit. 3. omnia latera, omneſque partes, unit, 4. eam tuetur & ab infeſtationibus liberat, vel cum clade oppugnantium vindicat: habebant enim *lapides angulares* angulos prominentes & acutos, qui impingentes lædunt & repellunt. 5. ſuper quam recumbit ſocietas, & firma ſtat ac immota. 6. in altum etiam ſurgit, & ædificatur, 7. quæ denique omnes habet qualitates, ad ſocietatem illam ita tuendam & firmandam neceſſarias, quæ ſunt *ſapientiæ*, *potentiæ*, *opum* & *autoritatis*, aliarumque *virtutum* moralium.

§. XXXVII. Quæritur, quis per hunc *lapidem* intelligendus ſit? Interpretes vel de Davide & Meſſia, typo & antitypo, vel de *ſolo* Meſſia, cogitant. Sed ex noſtra

hypothesi domus Maccabaica, in Simone sese hoc tempore ostentans, & in sublimi loco in civitate & Ecclesia posita, tanquam illustris Messiæ typus, & ad ipsum relate, intelligenda est. Quod distincte est explicandum & demonstrandum. א. Primo, licet debiliore, sensu *Simon*, Ethnarcha & Pontifex hæreditarius hoc tempore factus, tertius & ultimus Maccabæorum fratrum, una cum domo Maccabaica, cui hæc dignitas fuit adnexa, sub emblemate *lapidis angularis* ob oculos ponitur; quatenus Dux supremus & Pontifex primum locum habuit in civitate & Ecclesia, & societatem totam, misere collapsam, una cum fratribus, instauravit, ac in unum corpus redegit, simul tuitus est in posterum, ac in altum eduxit. Ipse in specie hoc titulo meretur præ fratribus insigniri. *a.* Quia firmam ac tutam sedem in ipso, & sub ipso, demum nacta est resp. Judaica, adeoque vera sua emphasi *fundata;* antea varie adhuc agitata & adflicta, nunc primum *libera* & *secura* reddita. *b.* Quia ab hoc tempore resp. demum in altum cœpit surgere, & ad summam potentiam, amplitudinem & gloriam, educi; adeo ut lapis fundamentalis & angularis hoc tempore fuerit jactus, cui ædificium superstructum est. *c.* In *Simone* utraque dignitas, & civilis & religiosa, unita, quæ ad *lapidem angularem* constituendum requiritur in societate Politico-Ecclesiastica. *d.* Denique *hæreditaria* in ipso primo facta est utraque dignitas: ut ex superioribus constat. Nec abhorret, reges & servatores cum ejusmodi lapidibus comparari: quod in symbolico stylo per omnes linguas usitatum est.

§. XXXVIII. Nec a domo ejus alienum est, quod *lapis* dicatur *ab ædificatoribus spretus;* modo illud dextre capiatur. *a.* Lapis ab *ædificatoribus* cum *fastidio* & *contemtu* repudiatus, quam emphasin habet verbum Hebr. מאס, quem architecti, tanquam ineptum, deberent rejicere, aut fecissent, si eo in statu fuisset ad hunc usum oblatus. Lapis itaque hic in primo suo statu, antequam vim & virtutem

tutem suam exseruisset, & publice innotuisset a Deo ad id destinatus, repræsentatur; & ejus vilitas, ac inepitudo, abjectaque conditio, in genere significatur. Quo directe tendit, quod *a Jehova* factum, & mirabile sibi accidere dicant loquentes, talem nempe lapidem tanto operi fuisse parem, & ædificio suppositum illud firmasse ac erexisse. Quæ admiratio non tam ex eo fuit nata, quod indigne rejectus ab ædificatoribus eum locum acceperit, cum illud non adeo esset extraordinarium & admirabile, quam quod vilis adeo lapis, ædificatoribus nihili faciendus, talia præstiterit. Idem ergo est, ac, quod alibi habetur, Deum viles, abjectos, & potentia ac dignitate carentes, in summa gloria ac dignitate collocare; & per vilia instrumenta edere illustria facinora. 1 Sam. II: 8. Ps. CXIII: 7. Dan. IV: 14. & alibi sæpe. Quod in fratres Maccabæos, in prima sua origine, ac initio moliminum, consideratos, egregie convenit: uti nemini non notum est.

§. XXXIX. *b.* Sed *lapidem* fuisse ad hunc usum ineptum visum non tantum indicatur, verum simul non humana sed Divina ope ac directione factum, ut hunc locum acceperit, & hoc effectum præstiterit. Lapis, ab architectis spretus, ubi *caput anguli factus* dicitur, in eum statum non humanitus, sed divinitus fuisse evectum, non ab ædificatoribus, sed a Deo ibi positum, ob oculos ponitur. Eo enim ipso, quo *spretus* ab *ædificatoribus* dicitur, ab ipsis itaque non fuisse selectum, & ad eum usum adhibitum, sed ab alia manu, utique divina, ibi locatum, clare innuitur. Quod mox vers. 23. diserte exprimitur, & in Maccabæos apte quadrat, ut nemini non in promtu est. *c.* Denique, quod rem magis fecit mirandam, non tantum nihil juvantibus ædificatoribus, sed & iis nolentibus & oppugnantibus, lapidemque cum contemtu rejicientibus, id factum fuisse, phrasis cogitandum præbet. Quod a Maccabæis quoque non abhorret, cum quod studium legis & religionis, quo acti fuerunt, displicuerit Pri-

moribus Reip. & Ecclesiæ, tum quod conamina & molimina ipsorum ad hostes reprimendos, & res instaurandas, per ipsos illos proceres, ut Menelaum, Alcimum, Pontifices, & alios Magnates, *impios* in historia dictos, fuerint multis modis oppugnata. Improbi hi proceres & primores, quorum erat Reip. & Ecclesiæ ruinam meditanti succurrere, & lapidem angularem supponere, tantum abest, ut manum admoverint, ut & illos rejecerint, ac opprimere conati sint, qui illud fuerunt adgressi; adeo ut nec *lapidem* angularem voluerint substratum, nec Maccabæos, divinitus ad id excitatos, admiserint.

§. XL. 3. Hæc licet vera sint, & eo, quo dixi, sensu sese ad domum Maccabaicam, in specie in Simone conspicuam, adplicari patiantur: dubium tamen mihi nullum est, quin Spiritus propheticus occulta sua directione poetam in hæc verba duxerit, ut in Maccabæis solis non hæreremus, sed eos, relate ad Messiam, consideraremus, & in mirabili eorum elevatione, tanquam illustri specimine & typo, Messiæ exaltationem, ad regnum Tsionis instaurandum, contemplaremur. Quæ satis nota est Scripturæ in Prophetiis & Psalmis consuetudo, inprimis ubi de Ecclesia Maccabaica agitur, multis modis cum regno Messiæ, tanquam complemento, fundamento, & scopo suo, haud diu post manifestando, connexa; de quo in Diss. ult. ad Dan. fusius tractavi. Rationes, quæ mentem a Maccabæis ad Messiam transferunt, & illum præcipue ob oculos poni jubent, sunt sequentes. 1. *Fundamenti* & lapidis angularis, cui Ecclesia Dei innititur, & a quo sustentatur, ac defenditur, conspectus augustior est & excellentior, quam ut in purum hominem quadret; populus enim Dei non in hominem, sed Deum, recumbit, & in eo *spem* collocatam habet, ab eo omnem suam firmitatem derivat. 2. *Lapis*, invitis ædificatoribus, *caput anguli* factus, absque ut Dei, qui id fecit, fiat mentio expressa, personam depingit, *divini* quid habentem; quæ sua

sua propria virtute sese ædificio suppofuit, & illud erexit, ac firmavit. Quod mox etiam agnoscitur vers. seq. 3. In Messia majorem emphasin habet, quod *lapis spretus* ab *aedificatoribus* dicatur, & *caput anguli* factus, cum quod universaliter magis fuerit a proceribus & doctoribus rejectus, tum quod majore cum fastidio ac contemtu fuerit repudiatus, & contumeliose magis ac scelerate tractatus, tum quod eo ipso tempore, quo spretus est, fuerit exaltatus; contumeliosa rejectione ac gloriosa exaltatione secum cohærentibus. 4. Verbi prophetici stylo Messias sub hoc emblemate proponi solet, ut Jes. VIII. & XXVIII. Zach. III. & alibi. 5. Sequentia in Messiæ regnum majore emphasi quadrant; ut seq. docebunt. 6. Denique ad Messiam a Christo & Apostolis adplicatur. Matt. XXI. Act. IV. 1 Pet. II. uti notum est. Quæ etiam antiquissima fuit & recepta Judæorum hypothesis, ut ex *Euangeliis*, & *hosannae* solenni adclamatione, aliisque indiciis liquet.

§. XLI. Est itaque acsi plene, & secundum sensus amplitudinem, dixerint: sicut vilem & abjectam domum Maccabaicam, non humana sed divina ope, ad summam in civitate & Ecclesia vera videmus & agnoscimus evectam dignitatem & potestatem, contra omnia ipsorum primorum molimina, ita ut societatem nostram, Politico-Ecclesiasticam, denuo fundarit, eamque tuitura & in altum eductura sit: ita illustri in specimine ac typo contemplamur oculis fidei, quod aliquando pii agnoscent & celebrabunt, Messiæ, veri lapidis angularis Ecclesiæ, & summam humilitatem, ac rejectionem a proceribus nostris, & exaltationem, cum ea connexam, qua Ecclesiæ collapsæ succurret, eamque suis meritis & potentia eriget, conjunget ex Gentibus & Judæis, ac tuebitur, & in summa gloria collocabit. Plura de adplicatione ad Messiam, quæ nihil habet difficilis, & ab aliis abunde est in lucem protracta, nunc non dicam.

§. XLII. β. Subjungunt mox veram causam mirabilis hujus

hujus effectus, in Dei potentia & directione sitam, vers. 23. *A Jehova factum hoc est, illud in oculis nostris mirabile.* h. e. Vilem & ad tantum opus ineptam personam, simul a primoribus populi oppugnatam, per tot tantaque perrupisse obstacula, summam adeptam dignitatem in civitate & Ecclesia, & tantum præstitisse effectum, ut societatem nostram a ruina liberaverit, eamque fundaverit, & erexerit, omne illud adeo singulare & mirabile nobis accidit, ut Divinam manum, eamque mirabiliter operantem, in eo agnoscere, & celebrare debeamus; sicut grati facimus. Interpretes, qui fœmin. gen. voces pro neutrius habent, & ad totum eventum modo memoratum, referunt, rem sine dubio acu tetigerunt. *Mirabilitas* vero sita est, cum in domus istius evectione, tum in singulari modo, quo illud factum est, tum in stupendo effectu erectionis & fundationis Ecclesiæ per eam. Quæ *mirabilitas* eo spectat, ut & manum Divinam in eo esse conspicuam indicaretur, & singularis manus divinæ directio, non vulgaris, sed extraordinaria, & stupenda, celebraretur. Quemadmodum in paraphrasi expressi. Cum dixissent, *a Jehova esse factum*, addunt esse *illud mirabile*, ut partim rationem redderent, quare Jehovæ adscribant, rei mirabilitate compulsi, partim singularem modum, quo a Deo illud effectum est, indicarent. Quæ ad domum Maccabaicam in Simone nunc exaltatam, & ad Messiam, sese ex dictis facile patiuntur adplicari.

§. XLIII. γ. Addunt denique lætitiæ communis materiam, sibi ex hoc eventu natam, ad quam se mutuo excitant, vers. 24. *Hunc diem Jehova fecit; choreas ducamus & lætemur in eo.* h. e. Cum itaque festum hunc diem Jehova nobis tam mirabiliter procuraverit; lætitiam nostram omni modo nunc demonstremus, & ei convenienter agamus. Respiciunt ad solennem exaltationis domus Maccabaicæ, & inaugurationis Simonis, *diem;* ut ex superioribus facile patet. Quem *diem*, sic κατ᾽ ἐξοχὴν adpellatum,

tum, quod sit *dies* lætus, gloriosus & prosper, *a Jehova* agnoscunt esse *factum*, quatenus per ejus mirabilem directionem effectum sit, ut talis *dies* ipsis adluxerit, quo personæ hujus illustris elevationem celebrare possint. Sicut enim mirabilis erat & a Jehova facta exaltatio, ita cum ea reip. & Ecclesiæ singularis felicitas erat conjuncta, Rep. quippe nunc denuo fundata, & in summum educenda prosperitatis culmen. Quod ad *Simonis* & *Messiæ* inaugurationem facile adplicari potest.

§. XLIV. ב. Cum personam hanc læte excepissent, & ejus dignitatem in Dei laudes celebrassent; votis & benedictionibus eam ulterius prosequuntur; ut ipsi & Ecclesiæ, super hunc lapidem fundatæ, cuncta succedant in posterum prospere & feliciter, vers. 25, 26. oratione primum ad Deum, dein ad ipsam personam cum comitatu ejus, versa, *Quæso, Jehova! serva nunc, quæso Jehova, prospere nunc fac agere. Benedictus! qui venit in nomine Jehovæ: benedicimus vobis e domo Jehovæ.* h. e. Cum Jehova personam hanc in eo dignitatis loco posuerit, & societatem nostram per eam tam mirabiliter instauraverit, ad eum mentes elevamus, oramusque: confirma quæso Jehova & ulterius perfice hanc felicitatem, & prosperitatem, ipsi & toti populo concessam. Qua spe Te, illustris dux! benedictum pronunciamus, qui tanquam Dei legatus ad nos venis; simul ex hac Dei domo vobis solennem impertimus benedictionem sacerdotalem. *a.* Mentes ad Deum elevantes, supplices orant, ut & duci, solenniter inaugurato, & populo, per ipsum liberato, & ædificii instar super ipso, tanquam lapide angulari, in altum educendo, *salutem* concedat & *prosperitatem*, ut & nova hæc dignitas in ipso & domo ejus sit maneatque perennis, & reip. ac Ecclesiæ ulterior instauratio feliciter succedat. Formula videtur fuisse in regum inaugurationibus usitata, cui similis, qua adclamabatur, *vivat rex!* cujus frequens est in Script. mentio. Postea in usu fuit frequenti in festo Taberna-

bernaculorum, cum *rami* a populo geſtarentur: quare Chriſto, prælatis ramis, accinuerunt pueri, eadem formula uſi; ut ex Euangeliis conſtat. Matt. XXI: Marc. XI. Joh. XII. Plura nunc non adferam.

§. XLV. *b.* Precibus addunt *benedictionem*, qua duci & comitibus ejus quævis fauſta adprecantur; *benedictus*, dicunt, *qui venit in nomine Jehovæ; benedicimus vobis e domo Jehovæ.* Reſpicitur ad ſolennem ducis & comitatus ejus introitum in Templum; quæ ſcena eſt hujus Pſ., ut ſupra vidimus. Pronunciant 1. ducem hunc *benedictum*, *qui in nomine Jehovæ venit.* Quo declarant, ſe eum pro legato & quaſi *vicario* Dei habere, qui ſingulari favore Dei mactatus eſt, & benedictionem Divinam ſecum adfert. Phraſis, *venire in nomine Jehovæ*, quæ voces, ut facile patet, conjungendæ ſunt, exprimit & *miſſionem* & *auctoritatem* Divinam; adeoque hunc ducem repræſentat, tanquam a Deo in eam dignitatem evectam, & ſumma, poſt Deum, præditam in civitate & Eccleſia autoritate & poteſtate, tanquam *vice Dei.* Quem ſignificatum phraſis, *in nomine Dei*, frequenter habet in N. T. Deus in rep. Judaica eſt ſummus *rex*, cujus vicem tenere cenſebantur reges & duces ſupremi: qui propterea recte in *ejus nomine* venire dicuntur. Quod in *Meſſiam* longe majore adhuc emphaſi quadrat. . Nec abhorret, quod Prophetæ *in nomine Dei* loqui dicantur. Hunc ubi *benedictum* pronunciant, non enim *ſit*, ſed *eſt* intelligi debet, cum mox ſequatur *adprecatio*, ſicut eum tanquam Dei *vicarium* toto animo a ſe recipi, ita *benedictione* divina veſtitum eſſe, profitentur. *Benedictus* vero audit, cum quod inſigni beneficio a Deo erat mactatus, tum quod *benedictio* Dei ſuper populo ipſum comitaretur, & per ipſum populo fieret; ut ſperabant & credebant.

§. XLVI. 2. Tanto mactati beneficio, quo tam inſignem & a Deo benedictum ducem nacti erant; vota ſua nuncupant pro omnibus præſentibus, & benedictionem ſacer-

ſacerdotalem pronunciant, dicentes: *benedicimus vobis e domo Jehovae:* non dicunt, *tibi* duci, ſed *vobis*, ſive comitibus, ſive toti populo, oratione ad omnes præſentes & adſtantes verſa; acſi dicerent. Tot tantisque favoris Dei ſignis in Rep. inſtauranda, & lapide angulari ponendo, cumulati, *benedictionem* Divinam multa cum fiducia tanquam ſacerdotes vobis omnibus, ô Judæi! damus. Phraſis, *benedicere e domo Jehovae*, eſt ſelecta; qua nihil aliud viditur ſignificari, ac *benedictio ſacerdotalis* ſolennis, juſſu Dei Num. VI. a ſacerdotibus e domo Dei pronuncianda.

§. XLVII. 1. Gratulationi & benedictioni addunt promiſſum de lætitiæ hujus feſtivæ perennitate, ex Dei potentia & favore, cujus præclarum dederat indicium, derivatum, verſ. 27. *Deus fortis Jehova, & illuminavit nos: vincite feſtum denſis funibus ad cornua altaris.* h. e. Cum Jehova, Deus noſter, ſit potentiſſimum Numen, isque nos tanto mactaverit proſperitatis beneficio, quod de perenni ejus favore & protectione teſtatur; feſtum vobis inſtituere licet, & celebrare, non ad breve tempus, ſed in perpetuum, feſtum æque firmum, ac ſunt *cornua altaris;* non niſi cum ipſius altaris deſtructione ceſſaturum. Præmittunt *fundamentum* promiſſi de perennitate lætæ & proſperæ conditionis, in Dei favore & potentia ſitum; ubi dicunt. *Deus fortis* (אל) *eſt Jehova, & illuminavit nos.* Quibus verbis profitentur, Jehovam, Deum Israelis, eſſe potentiſſimum & fortiſſimum, ſimul Israeli faventiſſimum, qui *luce* clara illuſtravit populum ſuum, eum ex ſummis anguſtiis liberando, inſtaurando, & in proſpero ſtatu collocando, & civitatis & religionis reſpectu.

§. XLVIII. Hoc fundamento promittunt feſtivitatem perennem & perpetuam; dum eos excitant ad firmum ac durabile feſtum agendum; his verbis: *vincite feſtum denſis funibus.* Difficilia ſunt omnibus hæc verba viſa,

 quæ

quæ diverſas etiam, ut fieri adſolet, pepererunt interpretationes, quas recenſere & examinare inſtituti ratio non fert. *a* Verba aliam, ac quam dedi, verſionem non admittunt; ut recte a Gejero & aliis evictum eſt. Nec vox חג alium, ac quam paſſim habet, fert ſignificatum. Sunt, qui *victimam feſtalem* intelligunt, ſed eo ſenſu vel nusquam, vel rariſſime venit, de quo agere nunc non licet; nec hic locum habet commodum; cum *victimarum ligatio* nec ſenſum fundat aptum, nec huc quadret, aut emphaſin habeat. Mihi omnino metaph. videtur phraſis, a re vel perſona firmis vinculis ligata, ut eo in ſtatu firmiter maneat, petita, qua nihil aliud ac perennitas & durabilitas feſti depingitur. *Vincire feſtum funibus*, & quidem *denſis* ac *firmis*, ut vox Hebr. dicit, perenne & perpetuum feſtum inſtituere, ac auſpicari, denotat. Quæ non eſt longe remota aut inſolita phraſis, cujus ſimiles in Script. & apud alios Autores reperiuntur. Sic Jeſ. v: 18. *vae trahentibus iniquitatem funibus vanitatis, & tanquam rudente carrucario peccatum;* firmiter ei & toto animo adhærendo. Nec multum abhorret phraſis *nodorum improbitatis*, Jeſ. LVIII: 6. nec etiam *catenarum tenebrarum, quibus adligati* dicuntur *ſpiritus* mali 2 Pet. II. ſic *ſeculi vinculis ligari* dixit Chryſoſtomus *b*, & alibi *c* quoque τὸ καλον καταδῆσαι *vincire*, ſtabilire *pacem*, & Plutarchus *d adamantinis vinculis firmitatem potentiae vincire*. Haud parum quoque illuſtrat phraſis metaph. *ligandi* præcepta, vel facta, *inſtar ſigni ad manum*, & *frontem*, ac *poſtes domus* Deut. VI: 8. XI: 18. quæ & firmitatem, & continuam recordationem ac meditationem exprimit; ſicut ab aliis eſt


a Vid. præter Script. S. Interpretes, Steuber & Quand in Theſ. nov. Ikenii. *b* Adv. oppugn. vit. mon. l. III. p. 97. ed. nov. *c*. De Babyla oper. t. II. p. 542. *d*. In Dione p. 961.

est observatum. Posset quoque, & forte rectius, adoptari LXX viralis versio, συςήσασθε ἑορτὴν ἐν τοῖς πυκάζουσιν, *constituite diem solennem in condensis*, seu ramis arborum frondosis & bene plexis, nomine עבת *densis ramis* insignitis Neh. VIII: 15. quibus in festo Tabernaculorum utebantur non tantum ad tentoria, sed & fasciculos, quos manibus gestabant: ut sensus sit, phrasi prægnante, *festum firmiter* esse & perenne instituendum, & celebrandum in *ramis plexis*, & *vinctis*. Simile quid aliis quoque in mentem venit.

§. XLIX. Additur, *ad cornua altaris*, sive firmitas & perennitas festivæ lætitiæ ex comparatione cum *cornibus altaris* ulterius adfirmetur & illustretur sive festi ligatio cum cornibus illis connectatur, & ab iis suspendatur. Priore sensu phrases hac ratione sunt explicandæ, acsi haberetur, *usque sint cornua altaris*, ut sensus sit, festum tam perenne futurum, quam sunt *cornua altaris:* quod potestati voculæ עד proxime & usitate convenit. Posteriore sensu, vocula עד idem fere signabit hoc loco, quod alias על, dicetque, festum esse funibus vinciendum ad *ipsa cornua altaris;* ut, cum altari illud arcte esse connexum, & mansurum quoque, intelligatur. Cum vero *festum* hoc simul sit in memoriam *religionis* firmiter constitutæ, & ejus compendium ac fundamentum sit *altare*, quo religiosus cultus exercetur, & favor Dei impetratur: ratio, quare festum cum cornibus altaris connectitur, non est in obscuro. Addatur, cornua altaris tanquam festi monumenta, in perpetuam ejus memoriam continuo renovandam, constitui; sicut, Christus εὐεργεσίας μνημόσυνον ἐνκατέδησε τῷ μυςηρίῳ *beneficii memoriam adligavit mysterio* sc. coenæ Sacræ, inquit Chrysostomus *a*. Præterea cum adprehensio cornuum altaris aliquem inviolabilem reddebat, phrasis inde nata forte in genere denotat festum fore perpetuum, sacro-sanctum & inviolabile.

a. Hom. 82. ad Matth. p. 783.

§. L. Resumit tandem Dux sermonem, &, sicut inceperat, desinit in Deo laudando, & omnibus ad id incitandis, vers. 28--29. *Deus meus fortis tu, & te laudabo. Deus mi! exaltabo Te. Celebrate Jehovam, quia bonus, quia in æternum benignitas ejus.* In quibus nihil est difficile.



COMMENTA-



COMMENTARIUS AD PSALM. CXIX.

PROLEGOMENA.

§. I.

PRolixi, & meditate ac artificiose compositi, cantici argumentum est flagrantis adfectionis erga Jehovam, ejusque voluntatem, hominibus manifestatam & revelatam, ad eam meditationibus subigendam, cognoscendam & faciendam, testificatio ac sincera declaratio, cum continuis precibus pro illuminatione, & ope divina, ad majorem cognitionem & observantiam ejus, nec non conservatione, cōnsolatione, ac liberatione sua a statu adflicto, conjuncta, ab illustri ac pio quodam viro, in terra peregrina versante, & ab inprobis hostibus vexato, ac ad necem quæsito, facta, eo quoque scopo, ut partim innocentiam suam ac puritatem a criminibus ipsi inpactis comprobaret, partim qua ratione sese in mediis suis adflictionibus gesserit, & erexerit, declararet, partim denique Deum veracem, justum & bonum, in sui favorem flecteret, & ad hostes inprobos reprimendos, seseque in liberum prosperitatis campum educendum, permoveret, rationibus moventibus a studio suo ardente in Deum & legem ejus, suaque innocentia & pietate, hostium vero inprobitate, Dei justitia,

ſtitia, & veracitate in promiſſis inplendis, inpiis puniendis, & piis eripiendis, demonſtranda, petitis.

§. II. Vir pius, hic loquens, ut perſonæ & ſtatus ejus characteres, in Pſalmo obvios, in lucem proferam, *α*. ſingulari plane ſtudio in Deum, & legem ejus, flagravit, ita ut ejus cognitione & obſervantia nihil habuerit potius; Deo intimo adhæſerit amore, legi ejus meditandæ totus incubuerit, eoque fuerit unice delectatus, ſtudioſe quoque eam obſervaverit, & plenius ac perfectius præſtare ſummopere deſideraverit. Spirat hanc animi adfectionem & actuoſitatem totus Pſalmus; in legis præſtantia ac utilitate, hominis eam obſervantis beatitate, prædicanda & extollenda, loquentisque id faciendi deſiderio ac propoſito exprimendo, omnibus ſuis partibus verſatus. *β*. Quod ad *perſonam* loquentis adtinet, haud obſcure innuit, ſe 1. in flore ætatis fuiſſe, adeo ut *juvenis* adhuc haberi posſit, verſ. 100. deinde 2. regia non fuiſſe inſignem dignitate, verſ. 46. attamen 3. ſingulari & illuſtri ad Deum præditum relatione, ita ut *ejus* ſe eſſe dicat verſ. 94. & ſæpe *Servum* ejus adpellet, præterea inſignibus mactatum *promiſſis*; ad quæ haud raro provocat, & quibus ſe fidere teſtatur: uti verſ. 28, 38, 42, 49, 50, 58. & alibi.

§. III. *γ*. Status ejus internus quidem fuit varius, ſubinde triſtis & a deſperatione proximus, uti verſ. 25 & ſeq., paſſim animoſus & lætus, ſed ſemper in Deo ſeſe erigens, & in legis ſtudio conſolationem quærens: uti ex toto cantico liquet. *δ*. Externa vero ejus conditio fuit adflicta, & abjecta. Repræſentatur enim, 1. in terra tanquam *peregrinus*, verſ. 19. etiam in terra peregrina habitans, verſ. 54. & inſtar ovis perditæ, vel a grege ſejunctæ & paſtore orbæ, oberrans, verſ. 176. 2. Acerbam paſſus perſecutionem ab inprobis popularibus & principibus, ſine ullo ſuo merito, qui, neci ejus intenti, ei partim inſidias ubique ſtruxerunt, partim eum palam quoque ad necem quæſiverunt. Quæ ubique per totum canticum ſeſe offerunt.

runt. Sed, quod notari meretur, perſecutionis fidei & pietatis cauſa, quod nonnulli putant, nullum exſtat indicium. Dei enim amorem, & legis ſtudium, in mediis adflictionibus retentum, non ideo memorat, quod ejus cauſa fuerit adflictus, ſed ut ſe innocentem, dignumque eſſe, quem Deus eripiat, ſimul ſe a pietate nihil remiſiſſe, denique per legis ſtudium, & promiſſorum Dei meditationem, continuo ſe erexiſſe, et conſolatum fuiſſe, declararet. Quod cuique, Pſalmum ſine præjudicio legenti, ſponte ſua ſeſe adprobabit. Inſuper obſervari meretur, perſecutionem fuiſſe non brevis, ſed ſatis longi temporis, verſ. 81 et ſeq., et forte ab uno homine, tanquam primario autore, ortam; verſ. 134. ubi *oppreſſio hominis* memoratur, attamen ſubinde intermiſſam, et ſingularibus liberationis ac favoris Dei ſpeciminibus interſtinctam, verſ. 65. et ſeq. 3. Denique ad *temporis* notitiam facit notaſſe, illud fuiſſe valde corruptum; quatenus leges Dei palam fuerint ſpretæ et violatæ, ita ut ferri a Deo amplius nequeat: quod ex verſ. 126. inprimis colligi poſſe videtur.

§. IV. De *autore* cantici licet nihil pro certo adfirmari poſſit, cum ejus nomen reticeatur, cuncta tamen mihi adeo ſpirare videntur Davidem, ut, ab eo canticum fuiſſe compoſitum, quæ vulgata quoque eſt opinio, plusquam probabile habeam. Studium legis, quo flagravit, uti Pſ. I et XIX. quoque expectoravit; innocentiam vitæ, puritatemque morum, ad normam legis Divinæ, quam ubique etiam in mediis adflictionibus præſtitit, quamque ipſe palam et coram Deo ſibi adtribuit, Pſ. XVIII, XXVI. CXXXIX. et alibi ſæpe, conſortium piorum et legis ſtudioſorum, quod, impiis miſſis, ſectatus eſt, uti Pſ. I et XXVI. quoque declaravit, perſecutiones, quas a Saulo et aulicis paſſus eſt, de quibus variis in Pſalmis conqueſtus eſt, promiſſa, quæ ipſi a Deo facta ſunt, ad quæ ſæpe provocat, titulus *ſervi* Dei, quo ſe paſſim inſignit, denique inprobitas Sauli et ſociorum, tot ſpeciminibus comprobata, et ſæpe in Pſal-

mis ab ipſo taxata, totalis quoque temporis iſtius depravatio, aliaque ſimilia unice fere in Davidem, ejusque ſtatum ſub Saulo, in ejus hoſtem verſo, conveniunt, adeo ut in ea hypotheſi acquieſci poſſe cenſeam. Quod enim nonnulli, tanquam ab ipſo alienum, proferant, perſonam loquentem fuiſſe 1. fidei & pietatis cauſa vexatâm ab hoſtibus fidei ejus, illud modo refutavi: 2. regia dignitate non conſpicuam, illud non obeſt, cum eo tempore, quo canticum putem eſſe factum, nondum rex fuerit.

§. V. *Tempus* enim ei lubens adſignavero, quo manibus Sauli, poſt varias infeſtationes, tandem elapſus, inter Philiſtæos ſedes poſuit, 1 Sam. XXVII. Utique 1. perſecutio jam diu duraverat, & finienda videbatur; verſ. 81. & ſeq., forte etiam verſ. 150 & 151. de quo poſtea. 2. Tempus aderat, quo Deus vindicem ſe præſtare debeat legis violatæ, verſ. 126. Habebat quoque 3. perſona loquens in terra peregrina ſedem fixam, verſ. 54. *domum peregrinationis* dictam. Denique 4. neſcio, an non pericopa *octava* & *nona*, verſ. 57–72. reſpexerit ad funeſtum caſum, qui ipſi & ſociis ab Amalekitis accidit, 1 Sam. XXX. de quo poſtea. Qua hypotheſi admiſſa, cenſendus eſt David in hoc cantico ſuperiores ſuas adflictiones, a Saulo & ſociis profectas, memoria repetere & recenſere, una cum piis ſuis adfectionibus, tunc præſtitis; ab initio infeſtationis Sauli ad hoc tempus usque. Unde & illud lucramur, quod pericopæ, in quas canticum eſt diviſum, ad diverſos caſus referri poſſint, nec in una eademque re toties repetita neceſſe habeamus hærere.

§. VI. Eſt enim ſingularis ſtructuræ carmen, ex *viginti duabus* pericopis conſtans, ſecundum Alphabetum Hebræum ordine litterarum decurrens, ita ut ſingulæ pericopæ *octo* habeant verſus, eadem littera incipientes: uti notum eſt. Cujus ſtructuræ aliam non novi rationem, ac quod pro elegante, & memoriæ juvandæ apta, fuerit habita. *Scopus* cantici eſt, cum legis Divinæ, in omni complexu,

plexu, una cum minis & promissis, consideratæ, summam præstantiam ac utilitatem in quocunque statu & casu vitæ extollere, tum beatitatem hominis, qui legi operam dat, & vitam ad ejus normam componit, in hac & futura vita animis inprimere, uti ex prologo, seu prima pericopa, patet, tum puritatem vitæ & morum loquentis contra omnes calumnias, simul utilitatem, quam a legis studio carpsit in sua adflictione, in lucem proferre, & aliis in exemplum, quod imitari debeant, proponere. *Partes* cantici, seu *viginti duæ* pericopæ, singulæ secundum ordinem Alphabeti Hebraici institutæ, & *octo* versus complexæ, qua ratione cohæreant, ex ipsa tractatione elucescet, quare aliam non præmitto analysin.

ANACRISIS.

§. VII. Investigatione hypothesios Ps. explicandi opus non foret, autore & tempore facti cantici demonstrato, cui convenienter omnino instituenda est expositio, nisi aliqui essent, qui ad Ecclesiam Novæ oeconomiæ, & diversum ejus statum, singulis pericopis descriptum, Psalmum directe esse adplicandum autumarent, per *legem* intelligentes doctrinam fidei & gratiæ sub Euangelio; hac inprimis ducti ratione, quod nulla cultus ritualis, seu sacrificiorum, fiat mentio, lex a suavitate, lætitia & consolatione, præcipue commendetur, & denique, ne alia minoris adhuc momenti memorem, *terra plena* dicatur *beneficentia Jehovæ gratuita*, vers. 64. Equidem tam levibus fundamentis nollem superstrui hypothesin, quæ ab usitata vocum, quibus voluntas Dei revelata insignitur, significatione tantopere discedit, & hominibus ejus temporis, quo canticum evulgatum est, præcipuum eripit usum. Sacrificia hic non memorari directe, licet voce legis, & statutorum, quoque comprehendantur, mirum non est, cum autor

 in

in exilio degat, adeoque iis locus non ſit, & legis præſtantia, ac utilitas, tantùm extollatur, piique viri ſtudium in legem, ejusque obſervantiam, in lucem proferatur. Legali Oeconomiæ, quæ, late ſumta, & vero ſuo conſpectu, fidem & gratiam euangelicam per anticipationem dispenſatam quoque complectitur, elogia illa, quibus hic ornatur, non competere, quis, qui foedus gratiæ per omnia tempora viguiſſe admittit, dixerit? De quo hic diſſerendi locus non eſt, expoſui quoque ſatis ad Pſ. xix. Denique quare *terra plena* dici nequeat *beneficentia* Jehovæ ante oeconomiam novam & Euangelicam, non video, cum & alibi Pſ. civ: 24. *plena poſſeſſionibus*, ſeu *opibus*, *Dei* dicatur, etiam *beneficentia Jehovæ* Pſ. xxxiii: 5. De quo poſtea ſuo loco. Nullus tamen intercedo, quominus canticum ad tempora N. T., & fideles in ſimilibus poſitos circumſtantiis, adplicetur; cum ita concinnatum ſit, ut iis haud male conveniat. Sed haud inprobabile mihi videtur, Pſalmum a legis ſtudioſis per omnia ſequentia tempora fuiſſe in uſum ſuum verſum, in ſpecie temporibus Maccabaicis, quibus plures fuerunt legis ſtudioſi, ſimilibus quoque infeſtationibus inproborum expoſiti. Unde ratio forte repeti poſſet nominis autoris cum tempore in obſcurum miſſi, nec non hujus loci in ſerie Pſalmorum mox poſt Pſalmum ſuperiorem, ad tempora Maccabaica pertinentem.

EXPLICATIO.

§. VIII. Cum Pſalmus valde prolixus, nec adeo difficilis, aut ſatis illuſtratus, ſit, ſingularum pericoparum verum conſpectum tradidiſſe, perpetua paraphraſi expoſuiſſe, & nonnullis obſervationibus, ubi opus fuerit, phraſes illuminaſſe, contentus ero, neglecta quoque, brevitatis ergo, verſione, quam alias præmittere conſuevi. *Prima* pericopa, cujus ſinguli verſus cum *prima* littera alphabeti Hebrai-

Hebraici incipiunt, ſummariam continet totius cantici propoſitionem, duabus partibus conſtantem. Quarum *prior* generali theſi omnigenam prædicat eorum felicitatem, qui, Jehovam toto corde quærentes, vitam moresque ad normam legis & præceptorum Dei componunt, ſibique ab omni iniquitate & perverſitate ſolicite cavent, verſ. 1—3. *Beatos integros via, ambulantes in lege Jehovæ* (h. e. ſumma felicitas in hac & futura vita illis competit, & eveniet, qui *in via legis*, vel doctrinæ, ad felicitatem acquirendam inſtituentis, quæ vocis תורה poteſtas eſt, a Jehova profectæ, *integre ambulant*, ſive actiones & adfectiones ſuas ſincere & integre, ſine fuco & hypocriſi, dirigunt ad normam legis divinæ. *Integri enim via, ambulantes in lege Jehovæ*, ſunt, qui integre ambulant in via legis Jehovæ) *beatos obſervantes inſtructiones ejus* (oculis micantibus intuentes, & facientes, quod eſt נצר, proprie *micare*, *ſplendere*, *intueri*, ea quæ ad ornandum & felicem reddendum ſunt a Deo ordinata; quam notionem vocis עדות ad Pſ. xix: 8. & alibi obſervavi. Stylo Jacob. 1: 25. ſunt παρακύψαντες εἰς νόμον καὶ ποιηταὶ ἔργου, quales eſſe debent, qui *integri via in lege* ambulaturi ſunt: quare ſuperioribus recte ſubjungitur,) *toto corde eum ſtudioſe quærunt* (Deum conſulentes, & ſenſum legis, ſeu voluntatem ejus, accurate perveſtigantes, ac opem ejus ad exactam præſtandam obedientiam precibus inplorantes. Quæ ideæ verbo דרש involutæ ſunt) *etiam non operantur iniquitatem* (ſponte, deliberato, data opera non faciunt) qui *in viis ejus ambulant* (*viæ Dei*, ſeu a Deo hominibus calcandæ præſcriptæ, cum ſint æquitatis & juſtitiæ, fieri nequit, ut, qui eas tenent, iniquitati ſtudeant: quo ipſo, a poena, transgreſſoribus infligenda, liberi, quoque *beati* pronunciari merentur).

§. IX. In *poſteriore* parte, qua generalem inſtituit ſuperioris theſios ad ſe adplicationem, α. præmittit neceſſariam ad præcepta Dei obſervanda obligationem, ex Dei legislatoris autoritate ductam, verſ. 4. *Tu* (ſupremus do-

 minus,

minus, legislator & judex) *injunxisti mandata tua* (arcta & severa commendatione & jussu tradidisti *commissa* tua, a te suo tempore visitanda & judicanda: hanc enim emphasin habet verbum צוה, proprie *arctius junxit*, injunxit *a*, & vox פקודים proprie *mandata*, commissa, injuncta *b*) *ad custodiendum valde* (eo scopo ut omni nisu, omnibus viribus intensis, quod est מאד *c*, adcurate observentur. β. Votum suum expromit, ex intimo & flagrante animi adfectu prolatum, quo optat, & petit, ut in firmo eo statu ponatur, quo statuta Dei ea ratione observare possit, vers. 5. *Utinam viæ meæ constabiliantur ad observandum statuta tua* (nihil magis mihi in votis est, quam ut firmo & inmoto in statu vitæ positus sim, quo *statuta* tua qualiacunque, instar edictorum, in æs insculpi & publice proponi solitorum, quod est חקים *d*, publicata, facere possim, ut vellem, & decet. Respicit ad vitæ instabilitatem tam externam, qua exul oberrabat, & ad multa statuta observanda nunc ineptus erat, quam internam, in animi & adfectuum inbecillitate sitam). γ. Fructus subjungit salutares ab illa observantia, quam optabat, carpendos, vers. 6, 7. *Tunc non erubescam, cum acribus & micantibus oculis intuitus fuerim omnia tua præcepta. Laudabo te recto corde, cum adsuetus fuero judiciis justitiæ tuæ.* h. e. sicut spe non excidam, successu optato rerum mearum non carebo, sed votorum compos fiam, coram te & hominibus confidenter agam; ita te in omnibus sincero corde, & puro ac recto animo, celebrabo, cum in præcepta tua omnia oculos lætus defixero, ad ea cognoscenda & exprimenda, tuisque rectis justis & æquis legibus, quibus omne jus tibi & proximo præstandum præscripsisti, ita adsueverim, ut meo proprio stimulo ad ea facienda agar. Nihil necesse habeo paraphrasi addere, aut ad verba observare, nisi primariam signi-

a Schultens clav. p. 319. & Hackman animadv. p. 223.
b Vid. ad Ps. XIX: 9. *c* Schultens ad Job. II: 13.
d Vid. ad Mal. III: 22. Ps. II: 7.

ſignificationem verbi למד eſſe *pungendi*, indeque *pungendo inſtimulandi*, ſicut מלמד Jud. III: 31. pro *ſtimulo*, fuſte acuto & pungente, quo boves aguntur, uſurpatur, & unde tranſitive eſt *docere*, & quidem accuratius ac vehementius, intranſitive vero in Kal, ut hic, *inſtimulari*, quod partim pro *doceri*, partim pro *adſueſcere*, & ſuo ipſius ſtimulo ferri, ſumitur: quod huic loco eſt aptiſſimum; cum abſolute occurrat, & pii viri habitum egregie exprimat. δ. Denique propoſitum ſuum ſtatuta Dei obſervandi declarat, & in eo preces pro conſervatione & liberatione ſua fundat, verſ. 8. *Statuta tua obſervabo, ne deſeras me valde admodum.* h. e. cum fixum mihi ſedeat propoſitum ſtatuta tua accurate præſtandi, & tu tales favore & cura tua ſingulari proſequi ſoleas, cum fiducia precor, ut mihi te talem quoque præbeas, adeoque cura tua exſolutum me mihi non relinquas, eaque ratione perire ſinas. Quam poteſtatem continet verbum עזב, in grege neglecto, omiſſo & ſibi relicto, ut ſine paſtore vagetur & intereat, teri ſolitum. Quod huc recte quadrat, cum verſ. 176. ſeſe cum *ove errante* comparet. Nec emphaſi caret, quod deſeri עד מאד *valde admodum* deprecetur. Innuit enim ſe in eo verſari ſtatu, ut videri poſſit *deſertus* a Deo paſtore ſuo, & orat, ne plane & omnino a Deo deſeratur, ſed *quæratur* ac reſtituatur: uti verſ. 176. expreſſe ſupplicat.

§. X. In ſummariæ propoſitionis *deductione*, quæ ſeſe usque ad ultimam pericopam verſ. 169. porrigit, varios ſuos ſtatus, durante hac peregrinatione, recenſet, & ad ſe in ſingulis iſtis ſtatibus adplicat, quod modo in genere & ſummatim expreſſerat; initio ab ipſa adoleſcentia ſua ſumto. Exponit itaque in *ſecunda* pericopa, quæ *prima* pars deductionis eſt, qua ratione erga Deum, ejusque legem, fuerit in prima adoleſcentia adfectus, quantopere Deum quæſiverit, voluntati ejus cognoſcendæ & faciendæ incubuerit, & a Deo ſupplex gratiam & opem ad id debite faciendum imploraverit, verſ. 9-16. Qua in pericopa genera-

neralem ponit thesin, ad juvenis vitam puram & nitidam faciendam pertinentem, eamque dein ad se transfert. *Thesis*, per modum interrogationis & responsionis proposita, his verbis profertur, vers. 9. *In quo puram & nitidam faciet adolescens viam suam? observando eam secundum verbum tuum:* sic enim rectius capiuntur & vertuntur verba, ut quæstionem & responsum comprehendant, quam secundum nonnullos solum interrogatum, vertentes uno tenore, *in quo puram reddet adolescens viam suam ad observandum secundum verbum tuum?* cum quod in similibus casibus utrumque, quæsitum & responsum, exprimi soleat, uti habuimus Ps. xv, xxiv, xxv: 12. xxxv: 12, 13. & alibi, nec responsum commode abesse queat, tum quod, *viam puram facere ad observandum verbum*, sensum non fundat tolerabilem, quia pura fit via per observationem verbi Dei; & non ad eam. Vulgatiori itaque insistendum est interpretationi, & posterius membrum pro responso habendum. Quæ orationis forma eleganter & emphatice inculcat, unicam & certam vitæ adolescentis reddendæ nitidæ rationem esse in ea ad voluntatem Dei revelatam accurate conformanda. Norma vivendi *verbum* Dei adpellatur, quatenus omnia comprehendit, quæ a Deo, sive inmediate sive mediate per Mosen, tunc fuerunt Ecclesiæ notificata & præscripta. *Juvenis*, seu adolescens, intelligitur, nomine נער non status aut officii servilis, cum absolute occurrat, sed ætatis significatum, ut passim alias, præferente, sed latiore sensu, cum *via* ipsi adscribatur, & ab ipso puritas vitæ præstanda exigatur. Puritas *nitida* & *splendens*, quæ vera est verbi זכה significatio, ut alibi [a] notavi, *viæ* est totius vitæ & conversationis sanctitas & vibrans pulchritudo, in omni pietate & virtute sese exserens, & imaginem Dei præferens, quæ Deo grata, & conscientiæ hominum adprobata, illius favorem, & horum laudes, conciliat; adeoque adolescentem reddit amabilem, & vere pulchrum, oppo-

a Ad Ps. LI: 7.

opposite ad sordes & vitia, quibus juventus solet esse obnoxia, & deturpatur. Quæ nitida puritas cum non nisi in conformatione ad voluntatem Dei, hominibus manifestatam & revelatam, sita sit: adolescentem vitam suam hac ratione tantum puram reddere, confirmatur.

§. XI. Thesis licet sit generalis ad juvenes in genere pertinens, hic tamen relate ad loquentem proponitur, eo scopo, ut, se in statu adolescentiæ ejus fuisse animi, & eo collineasse, ut viam suam ad legem Dei conformando puram & nitidam redderet, significaret. De quo clare constat, quod mox in prima persona loquatur, & ad se thesin adplicet. Unde colligendum est, totam hanc pericopam ad Davidis, quem hic loqui præsupponimus, adolescentiam, antequam a Deo electus est, & per Samuelem unctus, in regem Israelis pertinere, & eo tendere, ut animi adfectionem, & vitæ puritatem, eo in statu repræsentaret. Convenit quoque in eum, quippe *cujus exspectatio & fiducia* fuit Deus *a pueritia* ejus, quoque *super ipso fultus fuit ab utero*, Ps. LXXI: 5, 6. & XXII: 10, 11. quemque Deus elegit, non ad staturam & ætatem, sed *animum* respiciens, 1 Sam. XVI: 7. Etsi enim per totum tempus fugæ coram Saulo, de quo in hoc Ps. agitur, titulo *adolescentis* insigniri queat, hic tamen strictius sumitur, cum eximie & non nisi talis fuerit, sicut absolute & tantum *juvenis* adpellatur, mox in seq. pericopa *servus* demum Dei dictus: qualis nondum fuit eo tempore. Accedit, ipsum fuisse *minimum* filiorum Isai, 1 Sam. XVI: 11. & passim c. XVII. נער *juvenem* adpellatum, ut vers. 33, 42 & 55.

§. XII. In thesios adplicatione ad se ipsum, qua adfectiones suas erga Deum & legem ejus, simul actuositates, in statu juventutis præstitas, declarat, sese preces & studium proprium ad legem Dei recte cognoscendam ac observandam identidem conjunxisse, testificatur, eoque fini in genere tradit, se Deum toto corde quæsivisse, & in specie precum suarum materiam exponit una cum propria actuositate,

sitate, cum precibus copulata. Quæ duo præcipua media sunt ad finem illum consequendum aptissima, & necessaria. Præmittit generalem declarationem studii sui sinceri in Deum, quo animum suum ad Deum adplicuit, meditando & orando, vers. 10. in priore membro, *toto corde quæsivi te*, scilicet tempore juventutis; de quo hic agitur, & quo verbum temp. præteriti, quo utitur, recte ducit: involvit autem verbum דרש *quærere*, ut vers. 2. vidimus, *preces* enixissime & studiose fusas, simul actuositatem sese in voluntatis Dei pervestigatione exserentem. Cujus utriusque exercitii, secum copulati, mox specialem tradit notitiam per *duos* articulos, utrumque illud complexos. *Prior* ita habet, vers. 10. 11. *ne me implicitum aberrare facias a præceptis tuis. In corde meo occului dicta tua, ne in Te peccarem.* Quibus verbis *α*. precum, quarum verbo *quærere* meminerat, materiam tradit, phrasi adhibita negante dicens, *ne me implicitum aberrare facias a præceptis tuis*. h. e. precibus meis, te, tempore juventutis, adeundo & quærendo, *dixi*, ne me vita & mente ita implicari sinas, ut a præceptis tuis observandis abripiar. Hac enim ratione cohærent verba, vers. 10. *quæsivi te*, *ne aberrare facias*, quod idem est ac, supplicando tunc dixi, *ne aberrare facias*. Verbum שגה proprie *implicationem* involvit, & inde *aberrationem*, ab implicatione vitæ & mentis *a*, adeoque recte vertitur, *implicitum aberrare facere*. *β*. Precibus sese proprium addidisse, ut decebat, si precum & votorum compos esset futurus, studium & exercitium, declarat, cum dicit, se *dicta Dei occuluisse*, scilicet tanquam thesaurum, probe conservandum, & animo semper præsentem futurum, quod proprie est צפן *b*, *ne peccaret in Deum.*

§. XIII. *Posterior* articulus, utrumque etiam illud copulatum comprehendens, *α*. preces phrasi adfirmante fusas repræ-

a Schultens ad Har. cons. VI. p. 237. *b* Vid. ad Ps. XXXI. 20.

repræsentat, verſ. 12. *Benedictus tu ſis, Jehova! doce me ſtatuta tua*, mentem illuminando, & voluntatem flectendo, ſeu me ad ea facienda *inſtimulando;* quod, ut modo, & ſæpe alias, monui, eſt למד. Prius membrum continet formulam, precibus vel ad malum averruncandum, vel bonum inpetrandum, præmitti ſolitam apud Orientales; uti ad Pſ. XVIII: 4. obſervavi. Addo inſignem hanc in rem locum Tob. III: 11. Ceterum pertinet hæc precatio, æque ac ſuperior, non ad præſens tempus, quo canticum fecit, ſed ad præteritum juventutis, & a generali declaratione, verſ. 10. *quæſivi* te, quoque pendet. *β*. Adjungit, ut ſupra, actuoſitates & adfectiones ſuas, externas & internas, præſentes & futuras, verſ. 13--16. *Labiis meis enarro* (occaſione oblata in medium ad aliorum inſtructionem protuli & profero continuo) *complexum judiciorum oris tui* (judicia & jura tua in complexu ſuo, nihil, mihi notum, reticens) *in via inſtructionum tuarum gaudio efferor, ſicut ſuper univerſitate opum* (modus agendi & vivendi, *via* nomine notus, quem inſtructiones tuæ, in verbo & lege obviæ, monſtrant, & præſcribunt, ad hominem ornandum & felicem reddendum, quæ poteſtas eſt vocis עדות, meditando & obſervando eum, feroculum illud gaudium, quo quis ſe jactare & ſuperbire poteſt, quod eſt שוש *a*, adfert, quod omnium opum coacervatio & poſſeſſio ac uſus, quo homines ſe efferre & inſoleſcere ſolent, producere poſſit. Deſcriptio eſt ſummi gaudii, & gloriationis, ſuper via ornamentorum Dei) *Spatiabor* (profunda, & continua lætaque, meditatione; quæ poteſtas eſt verbi שיח *b* in *diſcurrendo*, vel ſpatiando ſita) *in mandatis tuis*, *&* *acri micanteque oculo intuebor vias tuas* (normam vivendi, a Te nobis præſcriptam, ſemper ante oculos habebo, & in omni converſatione ad eam reſpiciam intente & adcurate) *in ſtatutis tuis memet oblectabo & recreabo* (proprie *deliniam*,

a Schultens clav. p. 298. & ad Job. VIII: 19. *b* Id. ad Prov. VI: 20.

liniam, blandimentis & fomentis demulcebo; radix enim speciei duplicatæ verbi שעשע non est שעה, sed שעע, cujus proprietas est in *laxitate*, quæ præfocato *gutturi* adfertur, adeoque in *deliniendo*: de quo ad Pſ. xciv: 19. & alibi jam monui) *non obliviscar verborum tuorum* (nihil minus quam hoc, tantum abest, ut hoc facerem, ut in iis exspatiaturus, & memet oblectaturus sim).

§. XIV. *Tertia* pericopa, verſ. 17--24. Davidem ſiſtit jam unctum, & ad regnum a Deo destinatum, quo titulus *ſervi* Dei ducit, verſ. 17., ſed in continuo *mortis* periculo verſatum, quod precatio ibid. innuit, præterea *peregrinantem* in terra verſ. 18. objectum odii & perſecutionis conſeſſuum principum, verſ. 23., deſiderio judiciorum Dei, quibus inprobos punit, & pios adflictos liberat, diu dilatorum, pene fractum animo, verſ. 20. adeoque pertinere videtur ad tempus infeſtationis Sauli & aulicorum in genere, & eo tendere, ut pias ejus adfectiones & actuoſitates, eo tempore habitas, in genere & ſummatim exponat. In *prima* pericopæ parte *vitæ* conſervationem a Dei beneficentia ſupplex petit, eo ſcopo, ut præcepta ejus obſervaret, & retectis oculis mirabilia legis intueatur, verſ. 17, 18. *Cumula bona ſuper ſervo tuo* (cum ſim *ſervus tuus*, a te ad magna deſtinatus, beneficentias tuas, peto, ut mihi multas præſtes, ſuper caput meum quaſi in cumulum aggeſtas, quod eſt גמל proprie *adcumulavit*, quibus omnino indigeo, ut perſonam *ſervi* tui & nunc digne geram, & ſuo tempore omni ejus emphaſi in promiſſa dignitate poſitus tuear) *vivam* (ut in vita, quæ in multiplex diſcrimen venit, conſerver, & ea diu ac proſpere fruar) & *obſervem verba tua* (vivere eum præcipue in finem deſidero, & ſupplico, ut verba tua accurate præſtem) *retege oculos meos*, &, vel *ut*, *vibrante acie intuear mirabilia e lege tua* refulgentia (obſervare non tantum, & eo ſcopo vivere, deſidero verba tua, ſed & micante oculo mentis penetrare geſtio in arcanos legis tuæ ſenſus, cortice verborum & velo umbrarum invo-

involutos: ad quos cum fine tua pervenire nequeam illuminatione, precor, ut nebulas mentis meæ discutias, quam ideam suggerit verbum גלה, quod in *nubibus discussis*, & caligine noctis remota, frequentari amat, & originem habet in *detergendo*, meque videre facias mirabilia illa, lege tua comprehensa, & inde refulgentia; quo phrasis, mirabilia *e lege tua*, tendit.)

§. XV. *Secunda* pericopæ pars novam continet instantiam, ex peregrinantis & clientis Dei conspectu, quem gerebat, eductam, qua preces pro observatione præceptorum Dei urget, vers. 19. *Peregrinus ego sum in hac terra, ne abscondas a me præcepta tua* (cum extra lares meos oberrem, omni patrocinio destitutus, & quibusvis aberrationibus a recta via & infestationibus expositus, tuus tamen cliens sim, quare se *peregrinum apud Deum* adpellat, Ps. XXXIX: 13. ubi vid. dicta, supplex, & cum fiducia, peto, ut tua mandata mihi ubique præsto sint, ad vias meas dirigendas & tutas reddendas, neutiquam permittens, ut ea mihi quasi velo obducta lateant. Conf. Ps. XXV. & quæ ibi disserui). In *tertia* parte *a.* animam suam fere quassatam jacere præ æstuante judiciorum Dei desiderio declarat, vers. 20. *Commolita est anima mea æstuatione ad judicia tua omni tempore* (animum ad justa & æqua tua judicia, omni tempore exercita in impiis puniendis, & piis vindicandis, adplicans, tanta eum obrui experior æstuatione, ut fere contusus sit & confractus, præ judiciis tuis dilatis. *Prius* membrum in genere animæ *contusionem* per *æstuationem* complectitur, & *posterius* ejus originem & caussam, in *judiciis* Dei, omni tempore habitis, nunc non conspicuis, sitam esse tradit. Ad *prioris* intellectum notandum est, verbum גרס sedem habere in rebus crassiore modo contusis & conquassatis, uti cum frumentum, vel aromata prima molitura franguntur, Lev. II: 14, 16. Unde figurate Thren. III: 16. *dentes* dicuntur *lapillos*, loco frumenti, *commolere*, ad summam calamitatem exprimendam.

Hic *animae* adplicitum ejus *contusionem*, tanquam ſub lapide molari, denotat, per *æſtuationem*, vel adfectum commotum, & *deſiderium* vehemens, inſtar aquæ inundantis animum conterens. Vox enim תאבה ſedem habet in æſtu maximo, itentidem & ſtatis vicibus recurrente, plane ut vicina radix יאב, qua cum jam comparavit Rev. Herwerden *a*. Ad *poſterius* membrum obſervetur, *judicia* Dei hic non *jura*, hominibus præſcripta, ut alias, ſed ipſa Dei *judicia* proprie dicta, quibus de hominibus, eorumque actionibus, judicat, & præmia ac poenas dispenſat, denotare, ut ex ſequentibus manifeſtum eſt. Judicia vero *omni tempore* ſunt, quæ Deus omni tempore opportuno & definito exſequi ſolet. Quæ cum nunc non conſpiciantur, impiis inpune graſſantibus, & piis oppreſſis, absque ut vindicentur; hinc ortum fuiſſe profitetur, quod anima ſua fuerit æſtuatione contuſa, & fracta.)

§. XVI. *β*. Ipſa judicia, quæ intendebat, mox accuratius deſcribit, *a*. reſpectu inproborum & legum Divinarum violatorum, verſ. 21. *Increpaſti tumide elatos, maledictionis fulmine abactos, qui a praeceptis tuis divagantur* (ſicut antea feciſti, & facere ſoles tempore ſuo, ita & nunc fac, ſuperbos & contumaces legum tuarum transgreſſores acriter & potenter increpando, ut fulmine maledictionis percuſſi e terra expellantur. Loquitur non de qualibuscunque peccatoribus, qui a præceptis Dei, & eorum obſervantia, aberrant, ſed *tumidis* & ſuperbis, qui elata quaſi manu id faciunt; eo enim ſcopo *ſuperborum* titulum præmittit. Dein eos adpellat ארורים proprie *aduſtos*, primaria enim notio eſt *urendi*, *adurendi*, quæ ſupereſt Num. v: 18. dein, ut hic, maledictionis flagello uſtos & *abactos*, uti Gen. IV: 11., ut deſignaret, non quales ſint, cum increpantur, ſed per increpationem Divinam futuri ſint, ita ut increpiti fiant maledicti. Cohæret epitheton illud quidem

a In Diſp. Academica, ſeu ſpecimine obſerv. ad V. T. quædam loca, ſub auſpiciis Cl. Schultens F. p. 8.

quidem cum superioribus, sed ea, qua dixi, ratione: quando omnis difficultas evanescit. Ceterum etsi verbo praet. temp. utatur poeta, ut, quid Deus antea fecerit, & facere soleat, exponat; tacite tamen insinuat, simile quid se & nunc fieri velle; adeoque illos tumidos transgressores & nunc ita tractandos esse; ut ex seq. versu, ubi forma imperat. utitur, patet.) *b*. Subjungit enim judicium Dei in sui favorem exercendum, vers. 22. *Volve desuper me opprobrium lacerans, & contumeliam, quia instituta tua custodio* (calumnias, quibus obruor, calamitatem probrosam, quae mihi inminet, aufer a me, ne opprimar; sum enim institutorum tuorum studiosus observator, adeoque a criminibus mihi inpactis innocens, nec infamia dignus, sed dignus, qui a te liberer. Hunc enim conspectum habet posterius membrum, cum *quia* incipiens: non enim denotat, ipsum opprobrio esse, quod legem Dei observet, ut nonnulli acceperunt, sed rationem continet, quare opprobrium ab ipso sit auferendum, ut exposui. Ceterum, sicut superius verbum *increpasti* votum quoque, ut dixi, involvit, ita forma inperat. *avolve* etiam praeteritum *avolvisti*, seu avolvere soles a piis, ut sit, sicut a legis studiosis auferre soles ignominiosam tractationem, mecum etiam huc usque egisti, ita *a me porro avolve*, &c.

§. XVII. *γ*. Ignominiosae calamitatis sibi inminentis, cujus meminerat, ejusque autorum, clariorem subjungit notitiam, addita, ut semper facit, suae adfectionis & actuositatis, relate ad legem Dei, testificatione, vers. 23, 24. *Etiam insident principes mihi, construunt secum invicem dolos; servus tuus spatiatur in statutis tuis; etiam instructiones tuae oblectamenta mea* sunt, *viri consilii mei.* (Dum dolos mihi struunt principes insidiatores, quibus me irretiant, & contumeliose tractent; ego a statutorum tuorum meditatione non discedo, & a tuis instructionibus sicut voluptatem carpo, ita consilium de salute mea capio. Nihil hic observandum habeo, nisi prius vers. 23*tii* membrum

non

non esse cum Interpretibus vertendum, *sedent principes colloquuntur de me*, & de consessu eorum de ipso contumeliose loquentium intelligenda, cum quod pronomen בי *de*, vel *in me*, non cum verbo *loqui* cohæreat, sequi enim tunc deberet, non præcedere, verbum, ut alias semper, sed cum *sedere*, tum quod phrasis *loqui de aliquo* passim in bonum sumatur, ut Ez. XXXIII: 30. & Mal. III: 13. ubi vid. comm. noster; sed ita, ut feci, reddenda ac explicanda: *sedere* hic est pro *insidere*, seu insidiari, & *colloqui* est pro *construere* dolos secum invicem nectere: plane sicut Ps. L: 20. *sedes in fratrem tuum*, *struis*, seu *dolos nectis*, ubi vid. dicta. Sic in seq., uti vers. 110. *impios sibi laqueum ponere dicit.* Cum vero *instructiones* Dei adpellet *viros*, vel *socios familiares* (quem usum vox אנשי apud Arab., & in Script. S. uti Ez. XXIV: 17. habet) *consilii sui*, eleganter & emphatice declarat, se pro consiliariis intimis instructiones Dei adhibere, iiscum consulendo, & inde repetendo modum vivendi, & insidias eorum vitandi.)

§. XVIII. Duas sequentes pericopas, ordine *quartam* & *quintam*, eadem quippe petitione *vivificationis* incipientes & desinentes, conjungo, & ad eundem Davidis statum refero; cujus characteres *prior*, seu *quarta*, exhibet. Ex quibus patet, Davidem tristitia & metu probrosæ mortis fuisse correptum, ita ut *anima adhaeserit pulveri*, vers. 25. & *stillaverit prae scrupulo cruciante*, vers. 29. Quam animi adfectionem, durante persecutione Sauli, subinde spiravit, sicut variis in Psalmis, in specie, Ps. VI & XLI. cum periculoso laboraret morbo in aula Sauli, nec non Ps. XIII. cum terram Israeliticam deserebat, & ad Philistæos confugiebat, declaravit. Quo in statu qua ratione sese promissis Dei, sibi factis, erexerit, eorum implementum inploraverit, legum divinarum studio manserit adfixus, opemque Dei ad earum constantem observantiam supplicaverit, hisce pericopis fuse & sincere exponit. In *priore* pericopa easdem preces pro vivificatione sua, & legum divi-

divinarum observantia, bis, sed cum insigni variatione, repetit; dein fixum propositum eas præstandi testificatur, & in eo preces pro liberatione sua fundat. α. *Prima* precum propositio ita habet, vers. 25--27. *Firmiter adhaeret pulveri anima mea*, vel halitus; (abjectus, viribus privatus, morti probrosæ proximus, & fere desperabundus, jaceo, sive præ morbo lethifero, uti Ps. VI & XLI., sive violenta persecutione, indeque orta *tristitia usque ad mortem*, uti Ps. XIII. De phrasi dixi ad Ps. XLIV: 26.) *vivifica me* (a morte, ejusque periculo, libera, & fiduciam ac lætitiam inspira: quod mox verbo *erigere* & *stare facere*, vers. 28. exprimitur) *secundum verbum tuum* (convenienter *promisso tuo*, mihi facto, tempore *unctionis meæ*, jussu tuo peractæ, & deinceps. *Verbum* enim hoc loco denotat *promissum*; ut sæpe alias, & in sequentibus) *Vias meas recensui*, *&*, vel *itaque*, *respondeas*, vel *respondebis*, *mihi* (adfectiones, actionesque meas, subducto calculo, enumeravi, & recensui omnes, easque tales reperi, ut non indignum me profiteri ausim, cui succurras, & opem feras. Hac enim ratione verba existimaverim esse capienda; usui & scopo eorum, ac nexui convenienter. *Vias suas recensere* hic enim occurrit, tanquam antecedens, & quasi fundamentum *exauditionis* Dei, quam supplicat, adeoque tacite involvit, eas tales esse, ut, preces, modo fusas, Deo acceptas fore, sperare possit. Conf. vers. 58, 59. de quo postea, & Ps. XVIII, XXVI, CXXXIX. & alibi, ubi etiam ad innocentiam & puritatem animi ac manuum provocat) *doce me* instimulando *statuta tua*, *viam mandatorum tuorum distincte me fac intelligere*, *&* *spatiabor in mirabilibus tuis* (de puritate viarum mearum, seu adfectionum & actionum, ad quam provocavi, & illud testatur, quod mihi nihil gratius, magisque in votis sit, quam ut statuta & mandata tua probe & accurate habeam cognita, & in mirabilibus legis tuæ me meditando exerceam; quo preces meæ & vota collineant.)

 §. XIX. β. *Se-*

§. XIX. β. *Secunda* propositio earundem precum, ejusdemque generis cum instantia, sed insigni variatione, his verbis profertur, vers. 28—30. *Stillat anima mea prae discruciatione scruposa* (tanta tristitia & solicitudine conscindente adfecta est anima mea, ut, sicut pes scrupulo ustus & lancinatus sanguinem emittit, lacrymis & sudore sanguinolento diffluat. Verbum דלף proprie *serpere*, serpendo fluere, usu teritur in lacrymis & humoribus stillantibus, & vox תוגה proprietatem habet in *scissione* & *adtritione*, & usum in scissione pedis, sanguinem eliciente calculis, scrupulis, asperitate, indeque ad animum transfertur moerore & anxiis curis discruciatum, ac conscissum, eaque ratione quasi diffluentem *a*. Ex quo elegantia orationis elucescit.) *Stare me fac secundum verbum*, vel *promissum*, *tuum* (corrobora me, ne moerore obruar & succumbam, prolapsum, & mortis periculo expositum, me erige, & integris viribus me stare fac, ut officio meo defungi possim, denique firmo & tuto in statu me colloca, omnibus malis & periculis ereptum. Quae omnia phrasi sunt involuta, & supra verbo *vivificationis* expressa) *viam falsitatis remove a me* (fac, ut in vita & conversatione mea longe sim ab omni hypocrisi, mendacio & injustitia, alienissimus,) & via *legis tuae gratiam mihi fac* (legem tuam studiose observanti te mihi praebe tenerrimo praeditum adfectu. Vox *via* ex praecedente repeti debet, & *via legis gratiam* facere alicui, est secundum eam incedenti id facere) *Viam veritatis elegi* (normam actionum mihi praescripsi *veritatem*, opposite ad fucum & *falsitatem*, cujus modo mentio erat facta:) *judicia tua aequavi* (scilicet *mibi*, vel animo meo, quatenus jura tua animo deliberato mihi firmiter proposui servanda *aequaliter*, sine praevaricatione aut inclinatione in hanc illamve partem. Quod est שוה *aequavit*, aequaliter disposuit, inde *intendit*, proposuit, quasi, aequa-

a Vid. Schultens clav. p. 197. ad Har. conf. III. p. 140. & ad Prov. X. I.

æquavit animo, bene deliberatum habuit *a*. Posset etiam, voce דרך *via* repetita, uti in posteriore membro vers. præcedentis, verti *via judiciorum tuorum*, quibus Deus homines castigat, vel punit, *aequavi* scilicet *animum meum*, eum componendo, sedando & Deo submittendo, uti Jes. XXXVIII: 13. ubi Vid. Cl. Scheide *b*. Quod huc non male quadrat.)

§. XX. *γ*. *Tertia* pars preces pro liberatione comprehendit, cum testificatione propositi præcepta Dei alacriter & constanter observandi, vers. 31, 32. *Firmiter adhaeresco instructionibus tuis, Jehova! ne me pudefacias* (spe liberationis, ac prosperitatis excidere patiaris, uti vers. 116. aut probrosa calamitate auferri sinas, vers. 39.) *viam praeceptorum tuorum curram, cum cor meum reddideris amplum* (tristitia & anxietate, quæ me depressum tenet, & ad præcepta tua observanda ignaviorem reddit, una cum ejus causa, mortis periculo, depulsa & cum lætitia commutata, alacrem & constantem me præstabo legum tuarum observatorem. Phrasis, *cor amplam*, & *dilatatum*, facere, opposite ad *angustum*, moerore ac metu constrictum & coarctatum, supra memoratum, aliud hic significare nequit, ac animum tranquillum, fidentem, reddere in mediis calamitatibus, eumque lætitia replere, adflictione sublata & finita: uti Jes. LX: 5. Quo facto, ubi declarat se præcepta Dei studiose & strenue observaturum esse, indicat, se per tristitiam & adflictionem haud parum in hac via currenda inpediri, & profitetur, se, in meliore statu positum, totum ad Dei voluntatem conformaturum, eaque ratione & gratum animum, & se beneficio accepto dignum præstiturum esse.)

§. XXI. Sequente pericopa, ordine *quinta*, vers. 33-40. quæ cum superiore connexa est, & ad eam illustrandam tendit, cum opem divinam ad strenuam illam præceptorum

a Vid. Cl. Kuypers ad Ali. p. 104. *b* Diss. inaugurali ad canticum Hiskiæ p. 44.

Dei obſervationem, quam promiſerat, præſtandam inplorat, tum liberationem memoratam ulterius urget. Supplicat itaque, *α.* gratiam *illuminationis*, ut legem Dei, ejusque amplitudinem, intime cognitam habeat, quippe ad eam obſervandam neceſſariam, ſimul eam producturam, verſ. 33, 34. *Doce me, Jehova, viam ſtatutorum tuorum, eamque cuſtodiam alacriter & continuo* (ita me doce, ut cuſtodiam, vel, cum me docueris, cuſtodiam; fruſtranea non erit inſtructio tua, ſed effectum habebit, quem tu docendo intendis, & ego petendo in oculis habeo. Turbat parumper vox עקב, quæ varie accipitur: mihi placet, vel *continuo* ad finem usque, pro לעקב, uti LXX. & Chald. verterunt, notione illa ducta a *calcaneo*, extrema hominis parte, quæ communior eſt opinio, vel *vicibus* repetitis, intenſe & alacriter, ſicut radix apud Arab. ſumitur, pro *iterum atque iterum, impetu poſt impetum cucurrit equus;* quæ notio *vicis* etiam ex primaria *calcanei* orta eſt, cum *vicis* ſoleat *vicem* premere, & quaſi *calcaneo* tenere. Cui propius convenit, verſ. 112. ubi a לעלם *in perpetuum* diſtinguitur, & ei ſubjungitur. Poſſet utraque notio conjungi. Sed pro אצרנה *cuſtodiam eam*, forte, litteris duabus transpoſitis, rectius legeretur ארצנה *curram eam*, uti verſ. præcedente; quod *viae* aptius congruit, & voci עקב, ſimul orationem concinniorem reddit, & variantem; cum mox ſequatur idem verbum נצר. Nihil tamen muto.) *Diſtincte me intelligere fac, ut micante oculo intuear legem tuam* (ſic enim verbum נצר hoc loco capiendum eſſe autumo, & non pro *cuſtodire*, cum mox verbum שמר *obſervare* ſequatur, ut tautologia vitetur. Primaria enim verbi נצר poteſtas eſt *inſpiciendi a*, vel *micandi & ſplendendi b*. Concinit verſ. 15.) *& obſervem eam toto corde* (animitus, ſincere & integre.)

§. XXII. *β.* Gratiæ illuminanti addi vult moventem & excitantem voluntatem, ac vires ad agendum ſuppeditantem,

a Schultens ad Job. VII: 2. *b* Lette ad V. T. p. 130.

tem, ſimul obſtacula & adfectus contrarios auferentem, & contra tentationes obfirmantem, verſ. 35, 36. *Gradiri me fac in via* aggerata & regia *praeceptorum tuorum* (hanc enim emphaſin habet verbum דרך, incedendi modum vehementiorem & *grandiorem* comprehendens, a primaria *volvendi* & *glomerandi* poteſtate, & vox נתיב, non ſemitam, tramitem, ſed viam *aggeratam* & *regiam*, denotans *a*.) *quia in eo mihi volupe eſt* (eo enim maxime delector, quod in ea via ita incedam; cujus cum ſim animi, gratiam illam tuam cum fiducia petere, & mihi promittere auſim.) *Inclina cor meum ad inſtructiones tuas*, & *ne* ſit *ad divitias* corradendas: (ſic enim rectius poſterius membrum ſuppletur, quam ut ſolet, repetito verbo *inclinare*, acſi eſſet, *ne inclina*, cum quod eadem ſerie orationis minus recte Deo *inclinatio* hominis ad avaritiam tribuatur, pro inclinationis permiſſione, a quo modo *inclinationem*, non permiſſivam, ſed efficacem ad præcepta Dei petierat, tum quod majore emphaſi polleat vocula אל abſolute poſita, ſive uſum negandi emphaticum involvat, ut ſit, *ne fiat*, abſit, abſurdum eſt *b*, ſive vim ſuam originalem exſerat *conſtringendi*, inde *arcendi*, inhibendi, ut ſit, conſtringe, inhibe, cor meum *ad lucri adpetitum*, ne in eum erumpat: eſt enim imper. in Pih. rad. אלה *conſtringere*, *arcere c*. Supplicat vero non in genere *inclinationem cordis* ad præcepta Dei, quippe quam ſeſe habere modo profeſſus erat, ſed in ſpecie tempore tentationis per divitias, & opes corradendas, ne per eas a præceptis Dei abſtrahatur, quod facile fieri poſſet, niſi Deus eo ipſo tempore animum ejus ad præcepta ſua inclinaret.)

§. XXIII. *γ*. Sequuntur preces pro vivificatione, ſeu conſolatione & liberatione ſua, quibus *a*. orat, ut, oculis a vanitatis contemplatione abſtractis, in via legis Dei incedens bonum deſideratum conſequatur, adeoque ut dig-

a Vid. ad Jer. VI: 17. & XVIII: 16. *b* Vid. ad Pſ. XXXIV: 6. LVII: 1. *c* Vid. ad Jer. XV: 15.

dignum sese præstet, qui votorum compos fiat, vers. 37. *Transire fac oculos meos, ne videant vanum, in via tua vivifica me:* (des mihi illam gratiam, ut vana & prava vivificandi media oculo transitorio, non intento & inhærente, adspiciam, meque legis tuæ normæ adfixum teneam, eaque ratione a Te erigar, & eripiar. Concinit fere petitio vers. 29. *viam mendacii remove a me, & via legis tuæ gratiam mihi fac;* ut ibi exposui. Posterius enim nostri *versus* membrum, *in via tua vivifica me*, eodem modo capiendum est, quo vers. 29. *lege tua gratiam mihi fac;* adeoque idem est ac, *in via legis tuæ incedentem vivifica me.*) *b.* Directe supplicat promissorum Dei, sibi factorum, inplementum, sese in relatione sua ad Deum, & adfectione sua, ei congrua, fundans, vers. 38. *Stabile redde servo tuo dictum tuum* (promissum, mihi, servo tuo, datum, fac ut sit ratum, illud inplendo) *qui timori tui addictus* & devotus sum: (sic enim verba accipienda esse cum nonnullis existimo, cum quod eum sensum facile admittant, *qui* enim ad *servum* proxime spectat, & ליראתך *timori tuo* recte sumitur pro timori dedito, qui totus est in eo, tum quod passim ad bonam & piam suam adfectionem provocet, & in ea sese fundet in precibus suis, tum quod promissi inplementum eam conditionem habeat,) *c.* Addit preces pro amovendo opprobrio, quo lacerabatur & verbis & factis, cui ne succumberet metuebat, animo nunc fractus; fundans sese in æquitate & bonitate judiciorum Dei, quibus bonis bene & malis male cedere solet, vers. 39. *Transire fac opprobrium meum, quod anxius reformido* (calamitatem probrosam, quæ me premit, cessare fac, meque ab omni calumnia, & malo infami, libera, ne, quod metuo, & animum valde solicitum tenet, ita ut *pulveri adhæreat*, vers. 25., succumbam, & mala morte peream. Radix יגר Arabibus teritur in *formidine graviore & angente a*, vi originis vero, si cum גור conferre, quod Coccejo &

a Vid. Schultens ad Job. III: 25.

& aliis placet, liceat, adfert *contractionem sui meticulosam*, vel & declinationem, inflectionem sui, inde oriumdam) *quia judicia tua bona sunt* (mali, me prementis, remotionem eo nixus fundamento a Te supplex peto, quod *judicia* tua, quibus præmia & poenas dispensas, *bona* sunt, adeoque justa & æqua, hominum statui, & qualitatibus actionibusque, congrua; piis itaque non noxia, sed salutaria, quibus ad emendationem & salutem promovendam a Te castigantur.) *d.* Talia cum sint *judicia Dei*, ipse vero pius, sit & bonus, apte, per modum conclusionis, subjungit supplicationem vivificationis suæ, in pia animi adfectione fundatam, vers. 40. *Ecce aestuo ad mandata tua, vivifica me per justitiam tuam:* (leges tuas inpune violari, mihi ægre admodum est, eas vero observari a me & aliis ardenter expeto; quod utrumque verbo תאב, ut vers. 20. vidimus, comprehensum est: peto itaque supplex & cum fiducia, ut me erigas & eripias, probrum a me removendo, per *justitiam tuam*, cum tua *judicia bona* sint, & *justitiæ* convenienter agas. Vid. ad Ps. XXXI: 2.)

§. XXIV. *Sexta* pericopa vers. 41-48. respicit ad statum Davidis, quo, a Saulo, ejusque consiliariis, obsessus, occasionem nactus est fiduciam suam in Jehova, & spem plenissimæ liberationis, cujus causa ab illis illudebatur, simul puritatem a criminibus, ipsi falso inpactis, coram ipsis defendendi, ipsosque refutandi ac prostituendi; quod bis ab ipso fuisse actum, ex historia constat. Eo nos utique ducere videntur vers. 42 & 46., uti suo loco exponam. Eo tempore qua ratione Deum oraverit, & adfectiones suas erga legem Dei expromserit, hac pericopa enarrat: sunt autem ejus partes *duæ*, altera *propositionem*, altera ejus *deductionem* complexa. In *priore* tradit, se liberationem a præsente periculo inplorasse, & beneficentiæ Dei demonstrationem, ut causam suam cum fiducia & prospero effectu agere possit contra hostes, vanam fiduciam in Jehova sibi exprobrantes, & necem ejus quærentes, vers. 41, 42.

Obve-

Obveniant mihi benignitates tuæ, Jehova! salus tua secundum dictum tuum. Et respondebo carptori meo verbum, quia verbis tuis, seu *promissis*, *confido*. h. e. Præsta te mihi benevolum, mihi succurrendo, meque liberando a præsente periculo, convenienter promisso tuo, ut habeam quod conviciatori, & illusori meo, qui mihi pudenda crimina objicit, & spem meam irridet, reponam, ipsumque valide refutem; quod fidenter a Te peto, promisso tuo nixus. Cum dicit, se *carptori suo responsurum* esse, se illud coram facturum, adeoque cum eo præsente acturum, & causam suam defensurum esse, haud obscure indicat: cum vero mox subjungat, se *in verbo Jehovae fiduciam* habere repositam, eo quoque respexisse calumniam, ut fiduciæ ejus bonitas ipsi fuerit ab obtrectatore objecta, tacite insinuatur. Ex quo elucescit, pericopam recte referri ad duos illos casus modo memoratos, quibus sese coram Saulo defendit, & calumniatoribus os obstruxit: selecta & emphatica phrasis est, *respondere carptori*, vel obtrectatori, *verbum*, quæ, uti recte exposuit Cl. Schultens ad Prov. XXVII: 11., ubi eadem occurrit, adversario, litem intentanti, & opprobria intorquenti, tanta cum efficacia & convictione responsum reddere, denotat, ut confundatur & manus præbeat. Quod Saulo bis contigisse a Davide, constat ex 1 Sam. XXIV & XXVI.

§. XXV. In propositionis *deductione* & amplificatione, *α*. preces phrasi negante, quæ adfirmantem includit, repetit, easque fundat in judiciorum Dei exspectatione, ac proposito præcepta Dei in perpetuum observandi, vers. 43, 44. *Ne excutias ore meo* (*excuti* per metum aut violentiam persecutionis ne patiaris, ut eloqui non ausim: verbum enim נצל violentam continet *extractionem* & despoliationem) *verbum veritatis* (quo meam innocentiam & fiduciam in te firmiter defendo, & causam veritatis fortiter ago, *carptori meo respondens verbum*) *ad usque valde* (ad enixissime & intensissime proloquendum: sic enim illud עד מאד est

est capiendum & supplendum. Quæ voculæ nec cum *non eripere*, nec cum *verbo veritatis* proprie cohærent, sed cum verbo tacito, & negante phrasi, *ne eripe*, involuto, *proloqui*, seu *respondere verbum*, vers. 42. ut sensus sit, ne mihi extrahi patiaris verbum veritatis, intensissime & ad obtrectatoris confusionem proloquendum, ita ut illud facere nequeam; seu, quod eodem redit, *ne mihi extrahas*, sed *proloqui* facias verbum veritatis enixissime,) *quia judicia tua* tenaciter & patienter *exspecto* (*judicia* tua *bona* vers. 39. quibus causam meam ages, jus mihi facies, & hostes meos vindicabis, *exspectans*, fidenter a te petere ausim, ut mihi adversario meo respondere liceat ad ejus pudefactionem. Alias in hoc Ps. *verbum*, seu *promissum*, *Dei exspectare* dicitur, vers. 74, 81, 114, 147.) *& custodiam legem tuam continuo* (& eo nixus fundamento mihi hoc promitto, quod fixum mihi stet propositum, legem tuam quotidie, sine intermissione, observandi: pendet enim & hic versus a præced. כי *quia*) *in seculum & usque* (non *quotidie* & continuo tantum quod est תמיד, cum adlusione ad cultum quotidianum, de quo usurpari solet, sed & in perpetuum, quamdiu vixero: quod hic emphatice exprimitur phrasi, quæ alias absolutam denotat æternitatem. Suffecisset simpliciter לעולם, uti mox vers. 93.)

§. XXVI. β. Precibus alia forma repetitis, subjungit fiduciam earum exaudiendarum, indeque ortam exspectationem status sui prosperi, & victoriosæ suæ defensionis coram Saulo & consiliariis, vers. 45, 46. *Prius* his verbis profert, vers. 45. *Utique in latitudine itabo, quia mandata tua studiosus investigo.* h. e. Cum mandatis tuis intelligendis & observandis totus incumbam, ea me tenet spes, fore, ut omnibus angustiis tandem eripiar, & prospere ac tuto incedam. Quod hic est *in latitudine itare;* ut Ps. CXVIII: 5. & alibi habuimus. Quam ipsam spem expressit in colloquio cum Saulo, & firmiorem inde retulit, ut ex historia constat. *Posterius* hæc continent verba, vers. 46.

& loquar in ornamentis tuis (tuis instructionibus & præceptis ornatus libere & palam dissseram, causam tuam & meam intrepide agens, & carptori meo *verbum respondens*, ut est vers. 42. Hunc enim verborum esse sensum autumaverim. Verbum דבר hic usum forensem, ut sæpe alibi, exserit, & *disceptare*, causam agere ac longius deducere, denotat, *loqui in ornamentis*, seu instructionibus, non est *de illis* disserere, quod est insolitum, sed iis vestitum ac munitum, vel incedentem, disceptare, uti vers. 14 & 29. *in via instructionum* & legum) *coram regibus* (Saulo & consiliariis, & quibuscunque aliis, si occasio ferat) *& non confundar* (causa non cadam, cum pudore tanquam victus non discedam, sed obloquentes & obtrectantes confundam, uti vers. 42. habuimus).

§. XXVII. *γ*. Definit pro more in mentis adfectione & proposito, respectu legis divinæ, testificando, vers. 47, 48. *Et*, vel *itaque*, *memet oblectabo in præceptis tuis*, *quæ diligo* (eorum meditatione & observatione me oblectabo & recreabo; uti vers. 16. habuimus) *& palmas meas ad præcepta tua adtollam*, (admirabundus, gloriabundus, & venerabundus recipiam, meosque in usus vertam, præcepta tua. *Manuum* enim *sublatio* talium adfectionum signum esse solet, & huc recte quadrat:) *& discurram in statutis tuis* (profunda & continua meditatione me læte in iis exercebo. Vid. ad vers. 15.)

§. XXVIII. *Septima* pericopa, vers. 49--56. recte ad statum Davidis refertur, quo, manibus Sauli tandem plene elapsus, sedes posuit magis fixas in terra peregrina, sicut fecisse inter Philistæos legitur, 1 Sam. XXVII. Quo in phrasi *domus peregrinationis*, vers. 54. haud obscure respicere videtur: indicat præterea, sese majorem consolationem ac spem fuisse nactum, ex promissorum Dei, sibi factorum, aliquali inplemento, quod persecutionibus superborum non succubuerit, sed salvus evaserit. Hoc in statu positus quas habuerit adfectiones, qua ratione Deum orave-

oraverit, sese erexerit, & occupatum tenuerit, exponit in hac pericopa. Declarat itaque α. sese, majore spe animatum, Deum cum aliqua fiducia supplicasse, ut promissi, sibi facti, memor sit, illudque ipso facto demonstret, vers. 49. *Acri mentis vigore retine verbum, servo tuo factum*) demonstra ipso facto promissum, mihi, servo tuo, datum, tibi semper præsens obversari, illud præstando & inplendo) *propterea quod sperare me fecisti* (sic rectius, & stylo Script. convenientius, redditur, quam, ut passim solet, *super quo sperare me fecisti*, cum, ut alii jam observarunt, tunc legi debuisset אשר עליו *super quo.* Sed ne sic quidem res plana est, cum quod sufficientis rationis, Deum ad recordandum *verbi*, Davidi facti, moventis, conspectum vix habere queat *exspectatio*, Davidi facta, tum quod verbum יחל nusquam transitive, sed semper intransitive usurpetur, *exspectare* denotans, non *exspectare facere.* Rectius itaque forte adoptatur notio *moras trahendi* & cunctandi, quam subinde, ut notum, præfert., & pronomen adfixum נִי pro separato sumitur, ut vertatur, moratus *es mihi:* orabit itaque Deum, ut verbi *recordari* velit, propterea quod moras sibi in liberando traxerit, eaque ratione visus fuerit oblitus *verbi*, seu promissi, sibi dati.)

§. XXIX. β. Triplex solatii sui in adflictione fundamentum memorat, *primum* in promisso Dei, *secundum* in legis divinæ constante observatione, non obstante illusione superborum, *tertium* in judiciorum Dei recordatione. *Primum* his verbis, vers. 50. *Hoc solatium meum est in adflictione mea, quod dictum tuum vivificet me:* (dicto, seu promisso, tuo erectus, & animatus, adflictionem meam patienter, & submisse, animo non despondens fero; dum mihi promitto, te promissi memorem esse, licet moras nectas.) *Secundum* vers. 51. *Superbi* (tumore inflati & insolentes) *illuserunt mihi intensissime, a lege tua non declinavi:* (& hoc mihi animum addit, quod superborum illusiones, quibus spem & pietatem meam traduxerunt, me nihil

hil moverint a legis tuæ obſervantia. Pendent & hæc a particula כי *quia* repetenda, & novum ſolatii fundamentum continent, in eo ſitum, quod per illuſiones inſolentium hominum ſe paſſus non fuerit a Dei obedientia abſtrahi, vel minimum dimoveri. Reſpicit ad ſuperiores illuſiones a Saulo & aulicis, aliisque inprobis) *Tertium* hæc verba exhibent, verſ. 52, 53. *Recordatus ſum judiciorum tuorum a ſeculo, Jehova! & conſolationem nactus ſum* (memet tranquillavi, & commotiorem adfectum metus, & indignationis, ſedavi, dum gravem paſſus ſum infeſtationem, ad animum revocando judicia tua olim, & per omnia tempora præterita, exercita in inprobos, legum tuarum contumaces violatores.) *Procella venenata ſtringendo preſſit me ab improbis, qui legem tuam plane miſſam fecerunt:* (recordatione judiciorum Dei me recreatum fuiſſe, recte, & ſolido fundamento, dixi, quia perſecutores mei, qui inſtar procellæ venenatæ, me ſtrinxerunt & pene enecarunt, fuerunt tales inprobi, quales Deus judiciis ſuis ſemper & ab antiquo ſolitus fuit ferire. Hunc exiſtimo verborum eſſe ſenſum & ſcopum. Emphaſis orationis reſidet in eo, quod procelloſa inſectatio, quæ ipſum ſtrinxit, profecta fuerit *ab inprobis*, qui legem Dei penitus rejecerant, & eo tendit, ut, ſeſe ex judiciorum Dei recordatione conſolationem recte percepiſſe, demonſtret. *Procella* itaque *venenata*, æſtu adurens & ſuffocans, quæ vera eſt notio vocis זלעפה, uti ad Pſ. XI: 6. obſervavi, *ipſum ſtringens*, & enecatura, *ab inprobis*, eſt, quæ ab ipſis fuit profecta, & inmiſſa; qui uſitatus eſt præf. מ *a*, *ex*, uſus.

§. XXX. γ. Subjungit jucundam, & piam, ſuam exercitationem in domo peregrinationis ſuæ, qua ſeſe in præſenti occupatum tenebat, de lege Dei faciendo cantica ſua, & nomen Jehovæ læta mente recordando, ſeſeque continuo ad præcepta Dei obſervanda obligando & excitando: quam delectabilem occupationem ſeſe pietati ſuæ, tan-

tanquam fructum, acceptam ferre declarat, verf. 54--56. *Pfalmi funt mibi ftatuta tua in domo peregrinationum mearum* (dum ftabilem aliquam fedem in terra peregrina nactus fum, oberrationibus meis finitis, me legem Dei meditando oblecto, indeque materiam canticorum faciendorum fumo, quibus canendis me occupatum teneo) *recordor noctu nominis tui Jehovæ* (altera mei exercitii pars eft, vim & amplitudinem *nominis* tui augufti, & memorialis, Jehovæ, continuo ad animum revocare, ut fidem & fpem meam, in eo nomine repofitam, alam, & firmiorem reddam. Vis orationis fita eft in *nomine Jehovæ*, ejusque poteftate & vero confpectu; quare verti non debet, *nominis tui, o Jehova! fed*, ut feci, *nominis iftius tui Jehovæ.* uti Pf. CII: 16. De cujus fignificatione & ufu fatis conftat, & fæpe expofui) *& obfervabo legem tuam* (nominis tui Jehovæ recordatione fidem & fpem meam jure corroborare poffum, cum fixum mihi fedeat propofitum, quod continuo renovo, & quo me tibi obftringo, leges tuas accurate obfervare in pofterum;) *Hoc accidit mibi, quia mandata tua cuftodivi* (hoc tam infigne bonum, quo in præfentia fruor, modo memoratum, mihi contigit, quafi ex alto delapfum, quod proprie eft היה *cecidit ex alto*, inde *exiftit*, quia mandatorum tuorum accuratum me femper præftiti *infpectorem* & *obfervatorem*: quem utrumque fignificatum admittit verbum נצר, ut fupra quoque vidimus.)

§. XXXI. *Octava* & *nona* duæ fequentes pericopæ omnino connexæ funt, adeo ut ultimus *octavæ* verfus cum fequente pericopa manifefte cohæreat, ut mox patebit. Repræfentant vero Davidem in novas conjectum anguftias, a turmis prædatricibus ortas, & per ipfos focios, vel tumidos & infolentes inter eos, quoque auctos, indeque per fingularem Dei directionem ereptum. Quo in cafu quales habuerit affectiones erga Deum & legem ejus, qua ratione Deum oraverit, eique adhæferit, & quem fructum ex hac nova adflictione retulerit, in his pericopis exponit.

Cum autem præcedens pericopa ad ejus mansionem in urbe Ziclach inter Philistæos, ut modo vidimus, pertineat; & ibi funestus casus ei obtigerit, quo per Amalekitas fuit omnibus rebus orbatus, a sociis calumniis obrutus, & infestatus, ipse vero in Deo sese erexit, oraculum ejus consuluit, legi & amori Dei adfixus mansit, & feliciter res suas restituit, uti narratur 1 Sam. xxx., ad illud tempus has pericopas retulerim, eo etiam fidentius, quod inter Ps. IV*tum*, ad eum casum pertinentem, ut in Comment. ad eum exposui, & has pericopas sit notabilis convenientia. In *priore*, seu *octava*, pericopa, vers. 57—64. declarat. *α*. se, in eo statu positum, palam & ipsi Jehovæ professum esse, portionem suam, seu bonum sibi sufficiens, esse non opes & possessiones hujus seculi, sed Jehovam, ejusque communionem, seseque ad voluntatem Jehovæ faciendam esse inclinatum & obligatum, vers. 57. *Portio mea es Jehova, dixi, ad observandum verba tua* (omnibus meis rebus spoliatus, non murmuravi, nec nimium me adflixi, sed me Jehovam habere pro portione mea, qua contentus sum, sincere coram ipso Jehova, & ipsi dixi, simul me unice verbis ejus observandis esse deditum, illudque præstiturum. Concinit dictum Ps. IV: 7, 8. & quod *sese in Jehova*, legatur, *confortasse*, 1 Sam. xxx: 6. Verbum *dixi* sese ad præcedens recte porrigit ac sequens, uti sæpe fit, & alibi productis exemplis demonstravi. Priores autem voces, *portio mea Jehova*, non per *est*, sed *es*, suppleri debent, ut recte LXX instituerunt, cum Deum mox & deinceps adloquatur. De voce חלק ejusque sensu dixi ad Ps. XVI: 5.

§. XXXII. *β*. *Preces* recenset, illo tempore fusas, quibus Jehovam, portionem suam, ardenter supplicavit, ut tenerrimum suum adfectum erga se exserat, sibique opem ferat, vers. 58. *Precibus trivi faciem tuam toto corde* dicens, *tenerrimum adfectum mihi demonstra, secundum dictum*, vel *promissum*, *tuum*: (supplex & instanter, favorem tuum

tuum ambiens, toto corde te oravi, ut me favore tuo frui ſinas, & opem feras: plane ſicut Pſ. IV: 7. eodem etiam verbo adhibito, nec non verſ. 7. *Multi dicunt, quis videre nos faciet ubertatem? adtolle ſuper nobis lucem vultus tui, Jebova!* ubi vid. dicta.

§. XXXIII. γ. Precibus ſeſe adjunxiſſe accuratam investigationem viæ, quam in præſente illo caſu tenere debeat, & concluſiſſe, ſibi nihil tutius & conducibilius eſſe, quam ut ſeſe ad inſtitutum & ornamentum Jehovæ conferat, & componat, his verbis apte ſubjungit, verſ. 59. *Perpendi accuratius vias meas, & reduxi pedes meos ad ornamenta tua.* (Subtilius, & conſiliis elibratis, perpendi, quid mihi agendum, & quæ via mihi tenenda ſit, ut his anguſtiis eripiar, & res collapſas reſtituam; cujus deliberationis effectus fuit, ut via mihi inſiſtendum eſſe decreverim, quam Deus ipſe præſcripſit, adeoque ad ejus oraculum conſulendum me recepi, & præceptis ejus obſervandis adſtrinxi. Quem ſenſum caſui, de quo hic agitur, congruum, ut ex 1 Sam. XXX. liquet, cum verba admittant, in eo lubens acquieverim. De verbo חשב dixi ad Pſ. LXXIII: 16.) δ. Propoſito deliberato ad effectum redacto, & de via tenenda inſtructione accepta, tradit, ſeſe ſine mora, concitato inpetu, effectui illud dediſſe, verſ. 60. *Concitate feſtinavi, nec præ mollitie me tardum præſtiti, ad obſervandum præcepta tua.* (Quibus verbis licet, ſe ad omnia præcepta Dei facienda alacrem & paratiſſimum eſſe, inſinuet, videtur tamen in ſpecie & directe indicare, ſe, oraculo Dei accepto, ſine mora, omni mollitie animi depoſita, & fiducia erectum, adgreſſum eſſe illud opus, ſibi injunctum, quo hoſtes adſecutus eſt, profligavit, & omnia ſua bona, cum ingente ſpoliorum copia recuperavit: uti 1 Sam. XXX. narratur. De verbis obiter tantum moneo, radicem חוש in origine habere *concitationem*, & inde inter alia ad *celeritatem* & promtitudinem tranſire, ut alibi

alibi *a* notavi; ח·פ vero, Arabibus ſuperſtitem, ſignificare *lenem*, ***mollem lentum*** eſſe, unde facilis tranſitus ad *cunctationem* præ mollitie, quam in Script. S. præfert.)

§. XXXIV. 4. Calamitatis & anguſtiarum, quas in oculis habet, notitiam tradit, verſ. 61. *Conſpiratæ catervæ inproborum me invadendo ſpoliarunt*, *inſtitutionis tuæ non ſum oblitus*. (Opibus, poſſeſſionibus & bonis, omnibus a turmis prædatricibus inproborum ſpoliatus, me legi & inſtitutioni tuæ tenui adligatum, ne quid indigne facerem, & ut a Te inſtruerer, quid mihi agendum ſit. Nullus caſus Davidi contigit, cui hæc verba conveniunt, niſi quo ab Amalekitis ſpoliatus eſt, ad quem itaque recta ducimur: modo verba hunc ſenſum ferant. quem nonnulli Interpretes adoptarunt. Voce חבלי *catervam* conſtrictam, & arcte colligatam comprehendi, conſtat ex 1 Sam. x: 5, 10. admittit quoque propria radicis poteſtas, in *torquendo* & *conſtringendo* ſita: unde aliæ notiones facile derivantur. Sed עוד in Pih. vix videtur *ſpoliandi* admittere uſum, niſi a ערה derivetur, cujus poteſtas reſidet apud Arab. in vehemente & infeſta incurſatione, qualis eſt leonis in prædam irruentis; unde עד pro *præda*, etiam forte pro *incurſatione* hoſtili Tſeph. III: 8. Sed cum inde analogice oriri nequit עוד in Pih., ſtatuendum eſt, vel radicem עוד, quæ *iterationem* denotat, ex vicinitate ערה transferri poſſe ad *circumplectionem* hoſtilem & prædatricem: exſerit utique in lingua Aethyopica uſum *circumplicandi b*, vel litteris transpoſitis עודני eſſe pro עריני; qualia non deſunt exempla ſimilia: niſi quis ita legi hic velit: utique duo cod. Mſſ., teſte Houbiganto, habent עודוני) 5. Ad enixum ſuum ſtudium legis & pietatis fortius exprimendum interſerit, ſe media nocte ſurgere ad Deum propter jura juſta & æqua laudandum, ſeſeque pro intimis ſociis non niſi Dei timentes, & mandata ejus obſervantes, agnoſcere, eo opportunius, quod eo

a Ad Pſ. LV: 9. *b* Vid. Boch. Hieroz. p. 1. p. 548. & Ludolf. Comm. ad Hiſt. Aethiop. p. 206.

eo ipso tempore sese nonnulli sociorum ejus demonstrarint Dei & pietatis minus studiosos, & temporalia bona nimis sectantes; uti ex Ps. IV. & 1 Sam. XXX. liquet. Verba ita habent, vers. 62, 63. *Media nocte surgam*, (surgere soleo) *ad te laudandum propter judicia justitiæ tuæ* (jura tua æqua & justa; vers. 7.) *Socius ego*, seu *sum*, *omnibus tui timentibus*, *&* *mandata tua observantibus* (non cum illis animo & studio conjunctus sum, qui temporalia bona & placita sua præferunt timori tui, sed postponunt, & tibi adfixi hærent in mediis calamitatibus.)

§. XXXIV. ζ. Pericopam terminat in celebratione beneficentiæ Dei, qua terra plena est, & supplicatione institutionis Divinæ, viam ita parans ad sequentem pericopam, quæ ad calamitatem ejus reparatam, ut mox patebit, pertinet, qua eandem etiam celebrationem & precationem repetit, vers. 68. Verba ita habent, vers. 64. *beneficentia tua copiosa*, *Jehova! plena est terra: doce me statuta tua*, (cum tu, Jehova, benevolus sis rector mundi, & liberalis bonorum dispensator, quibus terræ ejusque incolis abunde prospicis, eaque lubenter effundas, in primis in tui, legisque tuæ, studiosos, ego quoque nunc illud experiar, & experturus sim magis, modo statuta tua exacte observem, quod mihi maxime volupe est, & animo sedet fixum, precor, ut mihi gratia tua adjuvante adsis, me docendo statuta tua, & excitando ad ea observanda. Celebrat quidem in genere benevolentiam Dei rectoris mundi, qua terram reddit fertilem, & incolas omnibus replet bonis, sicut Ps. CIV. pluribus exequitur, sed, se quoque in ea beneficentia partem habere, & habiturum propriam magis, insinuat, sicut mox in seq. pericopa exponit. Subjungit vero preces pro observatione statutorum Dei, quia per eam solam se dignum, vel aptum, præstaret, qui eo beneficio mactetur, simul ut indicaret, sibi non tam curæ cordique esse illis frui bonis, quam Dei

communione; uti verſ. 57. declaravit, & mox verſ. 72. expreſſius teſtificatur; ſicut Pſ. IV. quoque fecit.)

§. XXXV. In *nona* pericopa, verſ. 65—72., quæ Davidem a ſuperiore adflictione liberatum repreſentat, *α* proxime præcedentem declarationem generalem & petitionem *bis* repetit, & ad præſentem ſuum ſtatum adplicat, verſ. 65—68. *β*. Adfectiones ſuas longe diverſas eſſe a ſuperborum & mundanorum hominum, circa legem Dei, adflictiones, & bona hujus vitæ, teſtificatur, verſ. 69--72. *α*. Declarationis & precationis *prior* pars *a*. beneficii, Davidi facti, gratam continet agnitionem, verſ. 65. *Bene cum ſervo tuo egiſti, Jehova! ſecundum verbum*, vel *promiſſum, tuum.* (Sicut per omne tempus, ex quo me *ſervum* tuum conſtituiſti, & *promiſſo* te mihi devinxiſti, præclare mecum, illi relationi ad Te, & promiſſo, convenienter, egiſti, me ab omni inſectatione & periculo liberando, & inſignia facinora per me patrando; ita nunc quoque in præſentia, funeſto caſui me eripiendo, in integrum reſtituendo, ac multa præda ditando. Adplicat itaque generalem declarationem beneficentiæ Dei, modo factam, ad ſe, & magna bona ſibi tam antea, quam nunc, a Deo contigiſſe gratus confitetur.) *b*. Preces pro ſapientia & prudentia in poſterum præſtanda ſubjungit, & earum exauditionem urget a firma ſua adhæſione præceptis Dei, nunc per ipſam adflictionem firmiore adhuc facta, verſ. 66, 67. *Bonitatem guſtus & ſcientiam doce me* (ſapientiam & prudentiam in rebus diſcernendis & efficiendis mihi inſtilla; ut verum inter & falſum, bonum inter & malum, probe diſtinguam, illud eligam & efficiam, hoc fugiam & repellam. Vox טעם, *guſtum* denotans, ad mentem relata facultatem judicandi & diſcernendi, ſeu *ſapientiam*, altera דעת practicam ſcientiam, ſeu *prudentiam*, hic ſignificat.) *quia in præceptis tuis firmum greſſum poſui* (ſapientiam & prudentiam a Te recte & fidenter peto, quia, *præceptis tuis* me firmiter adhæſurum eſſe, conſtitui, adeoque

que aptus sum, qui sapientiam & prudentiam a te consequar, cum quod tuo ductui me tradidi, & servus sum tibi obsequiosus, tum præcepta tua, bene intellecta, adplicita ad omnes casus, & observata, sapientem me & prudentem reddere queant. Verbum האמן proprie esse *firmum gressum facere*, notum jam est.) *Antequam adflictus fuerim, implicitus aberravi, sed nunc dictum tuum observo* (ante hanc meam adflictionem, a qua nunc liberatus sum, qua *diffluxi*, omnibus bonis & opibus privatus, quod proprie est ענה *fluere*, effluere, via & mente *implicitus*, anxius & metu correptus, & angustiis pressus, nec satis ad legem tuam & officium meum adtendens, aberravi a recto tramite, & consilium cepi temerarium; quæ amplitudo potestatis est verbi שגה *a* & שגג; sed nunc per hanc castigatus calamitatem, & meliora edoctus, accuratius & arctius me ad tua verba & præcepta adstrinxi, eoque etiam scopo *sapientiam* & *prudentiam* a Te petii, ne in simile aut aliud temerarium facinus prorumpam, sed ut res meas prudentius agam. Respicit, ni fallor, ad temerarium consilium, quo, metu Sauli, ad Philistæos confugerat, seseque iis in bello cum Saulo & Israelitis adjunxerat; quod secuta est calamitas, ipsi ab Amalekitis inflicta: per quam ad saniorem mentem est redactus: uti hic declarat. Ex quo simul elucescit, quam apte modo petierit a Deo *sapientiam* & *prudentiam*; uti modo exposui.) *Posterior* pars, eandem declarationem & supplicationem repetens, vers. 68. his verbis profertur; *bonus tu & benefaciens, doce me statuta tua* (cum benevolus sis Deus, & bona lubens ac largiter communices, sicut & mihi te nunc præstitisti, ego vero ad legem tuam accuratius observandam inclinatus sim, repeto petitionem meam, ut me doceas statuta tua, & ad ea facienda continuo *exstimules*.)

§. XXXVI. β. *Altera* pericopæ pars, pias Davidis adfectiones, relate ad hunc casum, & hominum superborum

a Vid. Schultens ad Har. VI. p. 233.

rum ac mundanorum judicia ac dispositiones, complectitur, verf. 69--72. *Prima* respicit ad iniqua aliorum de ipsius pietate & favore Dei erga ipsum judicia, magna specie colorata, verf. 69. *Incrustarunt tumidi* & insolentes *super me fucum falsitatis; ego toto corde mandata tua observabo.* h. e. Falsis superborum hominum de mea pietate ac relatione ad Te judiciis, & ratiociniis magna specie obductis, quibus mihi hypocrisin objecerunt, & favorem Dei erga me inpugnarunt, opposui piam meam adfectionem erga statuta tua, quibus me declaravi adfixum mansurum in perpetuum. Respicit ad sociorum, inter quos fuerunt *viri nequam* & insolentes, calumnias & infestationes, quibus ipsum eo tempore petierunt, ita ut de ipso lapidando cogitarint, 1 Sam. xxx. De quibus haud absimili modo locutus quoque est, Ps. iv: 3., ubi vid. comm. noster. De verbo טפל proprie *incrustare*, *illinere*, tectorio superinducere, & שקר proprie *fuco*, seu colore rubro, & met. *colore illito falsitatis*, ac mendacio, vid. Schultens a. *Secunda* carnalia & mundana superborum illorum desideria & oblectamenta, iisque opposita sua Spiritualia in lege Dei, comprehendit, verf. 70. *Obesatum est sicut pinguedine cor ipsorum*, *mea linimenta*, seu oblectamenta, sunt *lex tua.* h. e. Superborum, quorum memini, corda sicut turgore inflata sunt, ita non nisi tetras carnis delicias spirant, iisque plena sunt, ad Spiritualia oblectamenta stupida & insensilia; sed meæ deliciæ sunt in lege tua. Radix טפש sedem tenet in *crassitie concreta*, inprimis *spurca*, & tetra: ut ex Arab. lingua patet. Apud Chald. quoque significat *incrassari*, inpinguari, inde stupidum & stolidum fieri. Nec illud ab illis sociorum Davidis multum abhorret, qui in furorem acti sunt propter bona deperdita. Vid. quoque ad Ps. iv. *Tertia* sanum repræsentat Davidis judicium de adflictione sua, ejusque utilitate, opposite quoque ad superbos illos, qui indignissime se gesserunt, & stupidos demon-

a Ad Job. xiii: 4.

demonſtrarunt, bonis hujus vitæ tantum deditos; verſ. 71. *Bonum mihi eſt, quod adflictus fuerim, ut ſtatuta tua diſcerem*, ſeu iis adſuefierem. h. e. adflictionem, quæ mihi contigit, mihi reputo bonam, utilem & ſalutarem, quippe ad accuratiorem ſtatutorum tuorum obſervantiam ducentem, & ſtimulantem. *Quarta* denique animum ſiſtit, qui legem Dei omnibus divitiis præfert, oppoſite ad carnales homines, qui in opibus ſummum bonum fere repoſitum cenſent, verſ. 72. *Bonum mihi eſt* (jucundum & utile quid eſt) *lex oris tui præ millibus auri & argenti*, ſeu ingente & maximo quovis numero auri & argenti. h. e. legem & doctrinam, a Te edoctam, mihi longe utiliorem cenſeo omnium opum poſſeſſione & fruitione, uti verſ. 14 & 127. Reſpicit ad bona ſua ſpoliata, & recuperata, quæ ſocios inprimis in tantas præcipitaverant murmurationes, & hac occaſione declarat, ſe omnibus bonis præferre legem Dei, ejusque obſervationem, cum longe melioribus bonis conjunctam. Concinit fere quod Pſ. IV: 8. dixit hoc eodem in caſu, *lætitiam dediſti in corde meo magnam præ lætitia temporis, quo frumentum eorum & muſtum abundant.*

§. XXXVIII. *Decima* pericopa, verſ. 73-80., Davidem ſiſtit animoſiorem factum, & in ſpe perfectæ liberationis ac proſperitatis inſtantis magis confirmatum, per calamitatem ſuperiorem, nunc ſuperatam: plane quemadmodum Pſ. IV: 9. declaravit: uti ibi expoſui. Comprehendit vero hujus ſpei & exſpectationis teſtificationem, eique congruas preces, quibus fidenter ſupplicat, ut votorum illorum quantocyus fiat compos. Sunt itaque pericopæ, ad tempus & ſtatum ejus, modo definitum, reſpicientis, *duæ* partes, *una* fiduciæ & exſpectationis teſtificationem, *altera* preces & vota, complexa. In *priore α.* declarat, ſe a Deo, qui ipſum formavit, eſſe ſtabiliendum, ita ut in firmo & tuto collocetur ſtatu, addita ſolita ſupplicatione illuminationis Dei, ad præcepta ejus intelligenda, & facienda, verſ. 73. *Manus tuæ fecerunt me, etiam firmabunt*

me: distincte me intelligere fac, ut discam præcepta tua. h. e. Sicut per tuam potentiam & sapientem directionem *formatus* sum, non tam qua homo, quam *servus tuus*, & rex futurus, ita me a te, qua talem, esse *firmandum*, & in tuta ac stabili regni possessione collocandum esse confido; cui ut aptus sim, meque eo dignum geram, peto ut notitia accurata & distincta præceptorum tuorum instruar, & iis observandis adsuefiam. Ex qua paraphrasi patescit, *prius* membrum, quod hic tantum observandum habeo, aliter a me accipi, ac solet, non tam de *formatione* hominis, quam regis & servi Jehovæ, uti Deut. XXXII: 6. Ps. C. 3. & alibi verbum *facere* sumitur, uti ad ea loca vidimus, nec utrumque verbum, *facere* & *firmare*, in præt., sed posterius in fut., servata notione fut., in quo hic occurrit; adeoque sensum esse, quem in paraphrasi expressi. Addo, verbo *facere* illud omne comprehendi, quod a Deo hucusque Davidi factum erat, ad eum in regem populi formandum, & altero verbo non tantum *firmationem*, sed & *protectionem* ac obumbrationem ejus, qui sub tegmine Dei tutus foret, ejusque Majestate circumfulgeret, involvi: quam rad. כון notionem alibi *a* in lucem protraxi. Sensum, quem dedi, haud parum confirmant sequentia, quibus de futuro suo statu læto, quem exspectabat, omnino agit.

§. XXXIX. β. Subjungit enim mox vers. 74. læti & prosperi sui status publicam manifestationem, certo futuram, convenienter exspectationi suæ vi promissi sibi facti, his verbis, *Timentes tui videbunt me, & lætabuntur, quia ad verbum*, seu *promissum*, *tuum patienter exspecto.* h. e. Promisso tuo nixus, ejusque inplementum patienter exspectans, & mihi promittens, adfirmare ausim, meum statum talem futurum esse, ut piis & timentibus tuis lætandi super me præbenda sit occasio & materia; adeoque felicem & prosperam fore meam conditionem, omnibus malis,

a. In not. ad comment. Cl. Vittingæ ad Deut. XXXII: 6.

lis, quæ me presserunt, finitis. Adfirmans enim, pios *se visuros & lætaturos*, seu cum lætitia visuros, se prosperitate gavisurum esse, clare indicat. Cum vero addit, *quia ad verbum tuum exspecto*, rationem & fundamentum hujus adseverationis tradit, in promisso Dei, & ejus inplementi exspectatione situm. Solet quidem posterius hoc membrum pro objecto visus piorum, & lætitiæ eorum capi, ut sensus sit, *videbunt me & lætabuntur*, *quod exspectaverim*; sed tunc addi debuisset, *non frustra* exspectaverim. Nostra interpretatio facilior est, & structuræ vocum, ac rei ipsi, magis consentanea. γ. Ad spei & exspectationis suæ firmitatem magis adfirmandam addit, sese probe scire, & nunc etiam experiri, judicia Dei, quibus filios suos castigat, esse justa non tantum & æqua, sed & se a Deo esse adflictum cum fidelitate, & salva veracitate in promissis inplendis, vers. 75. *Novi, Jehova! judicia tua esse justitiam, Teque me fidelitate adflixisse*. h. e. Verbo & Spiritu tuo edoctus, & per ipsam experientiam novi, & animo reconditum habeo, (quam sensus amplitudinem adfert ידע) judicia tua castigatoria (de illis enim hic agitur, ut seq. docent) esse justa & æqua, ad emendationem tendentia, insuper novi, & experior, meam adflictionem, quam hucusque subii, a Te mihi esse inmissam cum fidelitate, salva firmitate promissorum, a Te certo certius inplendorum. Pendet enim posterius membrum etiam a verbo *cognoscere*, & particula כי *quia*, vel *quod*, uti in paraphrasi exposui. Adfirmat itaque in genere, judicia Dei castigatoria esse justa & æqua, quippe filiis exorbitantibus juste inflicta, & paterna clementia mitigata, ad eorum salutem promovendam, dein in specie suam adflictionem esse *fidelitati* Dei, qua promissa servat & inplet, conformem, adeo ut Deus, se *fidelitate adflixisse*, dici queat. Cohæret itaque *fidelitas* cum verbo *adfligere*, & per ב *in*, *cum*, recte suppletur.

§. XL. In *posteriore* parte, qua preces & vota, superiori fiduciæ & exspectationi convenienter, fidenter profert,

α. per-

α. perfectam ſuam liberationem ab omni malo, ſeſe in promiſſo Jehovæ, & ſua pietate, tanquam conditione præcequiſita, fundans, ſupplicat, verſ. 76, 77. *Sit quæſo benignitas tua ad me conſolandum ſecundum dictum tuum ſervo tuo* (exſerat ſeſe beneficentiæ tuæ vena, continuo manans, erga me eo cum effectu, ut me perfecte liberando, & in proſpero collocando ſtatu, conſoleris, ſicut mihi, ſervo tuo, promiſiſti. Verbum *conſolari* divite & prægnante ſenſu ipſam liberationem, quæ realis eſt conſolatio, involvit, ut Pſ. LXXI: 21. LXXXVI: 11. & alibi habuimus. Quem ſenſum & *promiſſi* mentio & ſequens verſus omnino hic requirit.) *Superveniant mihi miſerationes tuæ, &*, vel *ut*, *vivam*, *quia lex tua oblectationes meæ*, vel *ſumma mea oblectatio eſt*. (intimum tuum amoris adfectum mihi præſta, ut læte & proſpere degam, nec ſum eo indignus, cum ſumma mea oblectatio, nomine plur. *oblectationum* expreſſa, ſit *lex tua*, ſeu jus meditatio & obſervatio.) β. Adjungit votum pro ſuperborum hoſtium & inſectatorum ſuorum pudefactione, ex irrito conatu Davidem pervertendi orta, nec non pro ſua libera diſcurſatione in mandatis Dei, in ſtatu liberationis ſuæ inſtituenda, verſ. 78. *Pudefiant ſuperbi, quod mendaciter intorſerint me, ego diſcurram in mandatis tuis.* Nihil hic notandum habeo, niſi שקר hic non tam falſam & fucatam cauſam perſecutionis Davidis a tumidis & inſolentibus hominibus, licet non excluſerim, quam *irritum* ſucceſſum denotare; quod *pudefactioni*, inde oriundæ, & nexui rectius convenit, nec ab uſu vocis, quo *mendax* pro *fallace* ſumitur, abhorret; uti vel ex Lexicis patet: ſic, ut uno alterove defungar exemplo, Pſ. XXXIII: 17. *Equus mendacium eſt ad ſalutem*, Jer. III: 23. *certiſſime purus fucus e collibus*: ubi vid. comm. noſter. c. XIII: 19., *mendacium creverunt hæreditatem patres noſtri, vanitatem in quibus nihil eſt, quod aſylum præſtat.* γ. Cum ad ſtatus ſui inſtaurationem, & pietatis declarationem, confluxus timentium Dei ad ſe pertineat, eam quoque ſe vovere declarat,

clarat, verſ. 79. *Revertantur mihi*, vel *ad me*, *timentes tui*, *& cognoſcentes inſtructiones tuas* (mihi ſeſe adſocient, & intima familiaritate adjungant, quotquot te reverentur, & leges tuas cognoſcunt & agnoſcunt, quippe quos maxime diligo, mecumque arcte devinctos volo. Conf. Pſ. xxxvi & ci. ac ibi dicta.) Denique, *δ*. ut votorum compos fiat, ſubjungit preces pro ſinceritate cordis in præceptorum Dei obſervantia, verſ. 80. *Sit cor meum integrum in ſtatutis tuis, ut ne pudefiam.* (in ſtatutis tuis meditandis & faciendis integre & ſincere deſidero & opto verſari, ut felicitatem exſpectatam conſequar, & ne ſpes mea me proſtituta confundat.)

§. XLI. *Undecima* pericopa, verſ. 81--88., modo memoratæ fiduciæ & exſpectationi apte ſubjunctum vehemens & intolerandum *deſiderium* perfectæ liberationis ac proſperitatis, diu dilatæ, ſed propediem conferendæ, comprehendit, una cum pia expoſtulatione ſuper diuturnitate ſtatus adflicti, & ſupplicatione conſolationis ac vivificationis, cito præſtandæ. Quæ itaque ad idem tempus, & ſtatum Davidis, pertinet, ad quod præcedens pericopa, eique recte ſubnectitur; cum, adflictionem diu duraſſe, ſed ad terminum ſuum videri perveniſſe, ita ut rogare poſſit *quando conſolaberis, judicium exercebis?* ſi non nunc *quando* tunc? indicet. Conſtat quoque, uti ſuperior, ex *duabus* partibus, *deſiderii* enixiſſimi explicatione cum aliquali expoſtulatione ſuper diu dilata liberatione, & ex *precibus* pro liberatione cito facienda. *Prioris* partis *duo* ſunt articuli, quorum *prior* vehementiam deſiderii, indeque ortam expoſtulationem, continet, *poſterior* eam ulterius urget ex ſtatu adflicto, vitæ miſeræ diuturnitate, & perſecutorum reatu. *Prior* ita habet verſ. 81, 82. *Deficit, ſalutem tuam deſiderans, anima mea, verbum*, ſeu promiſſum, *tuum lentus exſpecto. Deficiunt oculi mei ad dictum*, ſeu promiſſum, *tuum* reſpicientes, *dicendo*, *quando conſolaberis me?* Significat 1. *ſalutem*, ſeu perfectam liberationem, &

in tuto ac profpero ſtatu collocationem, quam poteſtatem hic & alibi exſerit vox תקוה, ſibi eſſe *promiſſam*; quod voces *verbum* & *dictum* Jehovæ exprimunt, uti conſtat. 2. ſe quoque ejus inplementum patienter & multa cum lentitudine exſpectare; quod verbo יחל, proprie *volvi* in luto, obhærefcere, luctari, & cunctari, eſt involutum. 3. in longum jam eſſe protractam, & diu dilatam, *ſalutis* præſtationem, adeo ut conquerendi, & rogandi, occaſio fuerit data, *quando conſolaberis*, rem ſcilicet promiſſam, & deſideratam, ſiſtendo, & omni adflictioni finem inponendo? quo ipſo illud ante fores eſſe, ſeu diutius differri non poſſe, innuitur; ut ſit, ſi non nunc aut propediem, *quando* tunc? Denique 4. deſiderium eſſe enixiſſimum, ita ut *anima* & *oculi* fere deficiant, adeo ut ferri amplius nequeat, quo verbum כלה tendit, ut Pſ. LXXXIV: 3. & alibi habuimus.

§. XLII. *Poſterior* articulus ita ſonat, verſ. 83, 84. *Quia factus ſum inſtar utris in fumo*, vel fumo pleni, *inſtitutorum tuorum oblitus non ſum. Quot dies erunt ſervi tui? quando judicium in meos perſecutores exercebis?* h. e. Cum vir ventoſus videar & habear, nullius pietatis, & vanæ ſpei, præcepta tamen tua ſemper in animo & oculis habens, & ad eam normam me componens; quamdiu dies adflictionis meæ durabunt? quando perſecutores meos judicabis & punies? Significat, tempus adflictionis ſuæ jam diu duraſſe, & hoſtes ſuos diu manſiſſe inpunitos, indeque ortum eſſe, quod in oculis hominum factus fuerit vir, omni pietate & virtute caſſus, ſeſeque vana ſpe lactans; ita ut inſtar utris ſit, qui, loco aquæ aut vini, repletus eſt fumo & vento; cum tamen legi Dei manſerit ſemper adfixus; qui talem ſortem non mereatur, tantis calumniis & præjudiciis amplius obrui non debeat. Nihil, quod obſervem, habeo, niſi prius membrum, verſ. 83. *factus ſum inſtar utris in fumo*, non eſſe cum Interpretibus de utre in fumo ſuſpenſo, indeque exſiccato, & corrupto, capiendum, phra-

ſi quippe vetante, & emblemate nimis inſolito, ſed de utre fumoſo, vel ventoſo, fumo repleto, oppoſite ad *utrem vini*, Jud. IV: 4. 1 Sam. XVI: 20., vel *lactis*, Jud. IV: 19. ut in *fumo*, ſit pro utre *fumi*, fumo pleno, uti Pſ. CIV: 3., *coenacula in aquis*, pro aquarum plena, habuimus: poteſt etiam ב *in* eſſe periphraſticum, & cum emphaſi redundans, ſatis uſitatum. Cui cum ſe ſimilem eſſe factum declarat David, ſe pro viro ventoſo, inanis ſpei, & pietatis, qui ſe & alios vento paſcit, & fumum vendit, haberi in oculis hominum, ſignificat. Quod quam apte huc quadret, facile intelligitur. Ceterum כמה eſſe *quamdiu*, & *dies* pro diebus calamitatis ſumi, tralaticium, & ſatis obſervatum eſt.

§. XLIII. *Poſterioris* partis, preces complexæ, *duo* quoque ſunt articuli, quorum *prior* his verbis continetur, verſ. 85, 86. *Foderunt mihi foveas tumide elati, qui non ſecundum legem tuam (omnia præcepta tua ſunt veritas) falſo perſequuntur me, patrocinium mihi præbe.* h. e. Cum homines, viribus & opibus fidentes, & ſuperbientes, mihi varias ſtruxerint, ſtruantque, inſidias, ad me capiendum & delendum, uti a Saulo, ejusque conſiliariis, & fautoribus, factum erat, & adhuc fiebat, illique legum tuarum, ſeu juris & æqui, cujus naturæ ſunt leges tuæ omnes, veritatem, fidelitatem, & juſtitiam ac charitatem, inculcantes, nullam habeant rationem, meque falſo, vaniſque prætextibus, perſequantur, patrocinium meum unice apud Te eſt, illudque inploro, ut tandem me omnibus illis periculis & malis eripias. Urget preces cum ex injuſta perſecutione, quippe falſo, ſeu ſine ratione vera & cauſa, inſtituta, tum ex peſſimis perſecutorum qualitatibus, a lege Dei longe alienis: quo refero voces, *qui non ſecundum legem tuam (omnia præcepta tua ſunt veritas)* me perſecuti ſunt. Voces itaque, *omnia præcepta tua ſunt veritas*, parentheticæ ſunt, eo ſcopo inſertæ, ut, eos *non*, vel nihil minus quam, *ſecundum legem Dei* agere, demonſtretur,

 uti

uti in paraphrasi expressi. *Posterior* articulus his verbis comprehenditur, vers. 87, 88. *Parum afuit, quin me consumserint in terra* ista (fere ad nihilum me redegerunt in terra Israelitica, eximie sic dicta *terra ista*, opposite ad locum peregrinationis in terra aliena, ubi nunc versabatur,) *nec tamen ego deserui statuta tua* (adeoque tali sorte non sum dignus, quippe statutorum tuorum studiosus observator) *secundum benignitatem tuam vivifica me*, (cum tui sim studiosus, dignusque cui te beneficum præbeas, qualem te mihi obstrinxisti, precor, ut vitam mihi concedas lætam, securam & prosperam) *& observabo instructiones oris tui* (gratum me tibi præstabo, & scopo beneficii tui respondebo, præcepta tua accurate observando.)

§. XLIV. *Duodecima* in pericopa, vers. 89--96., fiduciæ & exspectationis suæ, supra memoratæ, fundamenta tradit, in veracitate ac constantia Jehovæ perpetua sita, dein præcepta Dei sibi in adflictione sua fuisse solatio, nec unquam oblivione esse a se delenda, declarat, denique preces, illis fundamentis nixus, pro plena sui liberatione, ut antea, fundit, ac præcepta Dei fore perpetuæ suæ meditationis materiam, uti præ amplitudine & utilitate inde carpenda esse possunt, profitetur. Sunt itaque pericopæ *tres* partes, eo, quo dixi, ordine dispositæ. *Prima* veracitatem & constantiam Dei in promissis inplendis, certam & perpetuam, celebrat, tanquam fiduciæ suæ fundamentum, vers. 89, 90. *In æternum Jehova* tu es (hæ enim voces secum construendæ & ita supplendæ sunt, ut feci. Quod a nonnullis quoque recte observatum est. Emphasis residet in nomine *Jehova*, veracitatis Dei pignore; sensusque est, Deum illo *nomine* esse æternum, & invariabilem, seu in perpetuum esse & manere Jehovam: sicut Ps. CII: 13. *Tu Jehova æternum sedebis, & memoria tua in omnes generationes*, habuimus & explicuimus.) *Verbum tuum fixum est in coelis* (promissum tuum firmum stat & inmotum, instar coelorum. Præfixum enim כ comparationi inser-

inſervit, uti Pſ. LXXXIX: 38. vidimus, ubi etiam, ut & verſ. 3. & alibi, eadem inſtituitur comparatio) *in ætatem ac ætatem veritatem tuam firmaſti terram, & ſtabit* (firmam in omnes ætates duraturam fixiſti veritatem tuam in promiſſis faciendis, ſicut terram, quæ inmota ſtabit, plane ſicut Pſ. LXXXIX: 3. *coelos firmabis veritatem tuam:* ubi vid. dicta.)

§. XLV. *Secunda* pars teſtificationem conſolationis ſuæ, & firmæ conſiſtentiæ, in mediis adflictionibus, ex ſola meditatione & obſervatione præceptorum Dei hauſtæ, exhibet, verſ. 91--93. Præmittit generalem propoſitionem, eam veritatem complexam, reſpectu ſervorum Dei in genere; eamque dein ad ſe, ſtatumque ſuum, adplicat. *Generalis* theſis his verbis profertur, verſ. 91. *Ad judicia tua conſtiterunt hodiedum*, vel quotidie, *quia univerſa complexio* eſt, *ſervi tui.* Statum ſuum firmiter tuiti ſunt ſervi tui ad hunc diem usque, vel quotidie (utroque enim modo capi poteſt היום, prout ſuppleatur, vel עד *usque*, vel כל *omni*, ſicut verſ. 97. plene occurrit) ad jura & ſtatuta tua audienda & facienda parati, (quod hic eſt *ſtare ad judicia;* uti ab aliis jam eſt obſervatum) eſt enim hoc *univerſa complexio* virtutis nimirum & felicitatis, (hanc enim poteſtatem exſerit הכל, uti Eccleſ. XII: 13. *finis verbi* הכל *univerſa complexio*, quæ *audita eſt:* & ſuppleri debet זה, vel זאת, ſicut haud raro fit.) Senſus itaque eſt, ſtare ad judicia Dei eſſe univerſam complexionem virtutis & beatitatis; uti Eccleſ. XII: 13. adfirmatur. Notandum inſuper eſt, verbum עמדו *ſteterunt* conſtruendum eſſe cum nomine plur. עבדיך *ſervi tui*, quocum facile poteſt, ſed & debet, cum nullum aliud occurrat, quocum poſſit. Theſin generalem mox ad ſe, ſtatumque ſuum, his verbis adplicat, verſ. 92, 93. *Niſi lex tua* fuiſſet *oblectatio mea ſumma*, *tunc in adflictione mea periiſſem* (niſi, quo tempore ingruit in me graviſſima adflictio, & perſecutio, me legis tuæ meditatione & præſtatione oblectaſſem, tunc temporis mecum fuiſſet actum, & vel triſtitia me obruiſſet.) *In ſeculum*

non, vel nunquam in perpetuum, *obliviscar ſtatutorum tuorum*, *quia per ea me vivificaſti* (talem conſolationem cum a Te ope ſtatutorum tuorum nactus fuerim, eorum oblivio me nunquam capiet, ſed ea mihi ſemper obverſabuntur, iisque meditandis & obſervandis me occupatum tenebo.)

§. XLVI. *Tertia* pars preces pro liberatione ab inpiorum inſectationibus comprehendit, in relatione ſua ad Deum, & legis ſtudio, fundatas, verſ. 94, 95. *Tuus ſum ego* (a te ſelectus, & unctus, ſervus quoque tuus, tibi devotus) *ſerva me*, *quia ſtatuta tua quæro* (adeoque ſervus tuus ſum, qui perſonam illam recte tuetur, ſeſeque liberatione tua non indignum præſtat) *me recta petunt impii* (quod hic eſt קוה, a primigenia *rectæ tenſionis* poteſtate, unde eſt recta linea confluere, petere, deſiderare, recto curſu aliquo contendere) *ad me perdendum*, *inſtructiones tuas adtente conſidero* (cum hoſtes me petant, precor *ſerva me*, ſum enim ſervus tuus, tibi obſequioſus, & tuorum præceptorum ſtudioſus inveſtigator ac obſervator. Repeti enim ex præced. debet, *ſerva me*, *quia.*) Terminat pericopam, & ad ſequentem ſimul viam ſternit, laudatione præcepti Dei a ſumma ejus latitudine, oppoſite ad quamcunque perfectionem humanam, arctis conſtrictam limitibus, & finiendam, adeoque inperfectam & evanidam, verſ. 96. *Omnis perfectionis video finem*, *latiſſimum eſt præceptum tuum.* h. e. Quicquid homo habet & agit, quam etiam illud ſit, vel cenſeatur, perfectum, & conſummatum, ſive ſapientia, ſive virtus, ſive felicitas, ſive quid aliud, ſit, illud omne clare & diſtincte percipio, (quod hic eſt *videre*) tale quid non eſſe, ſed arctis limitibus concluſum, & finem habiturum, multa inperfectione præditum, & minus durabile: ſolum præceptum tuum, in omni complexu ſumtum, ſumma eſt *amplitudo*, nec limites, nec finem habens, quod itaque ampliſſimam præbet ſpatiandi, ſeu meditandi & ſeſe exercendi, anſam & mate-

materiam, ſimul puriſſimam & perfectam adfert *latitudinem*, ſeu conſolationem, & felicitatem æternam.

§. XLVII. Superiori theſi, verſ. 96., illuſtrandæ, & ad ſtatum ſuum adplicandæ, inſervit, eoque fine ſubjuncta eſt, pericopa *decima tertia*, verſ. 97--104. Quæ cum declaratione amoris legis Divinæ, indeque fluentis continuæ meditationis & exercitationis, incipit, ac in ea terminatur, fructum vero & utilitatem, quam inde carperet præ hoſtibus, doctoribus & ſenioribus, exponit. Amorem, quo in legem Dei fertur, & continuam ſuam in ea diſcurſationem, inde ortam, his verbis teſtificatur, verſ. 97. *Quam diligo legem tuam! quotidie ipſa eſt diſcurſatio mea* (legem tuam ardente proſequor adfectu, & vehementer deſidero, ut eam meditando ſubigam, in ſuccum & ſanguinem, ut dicitur, vertam, & obſervem; quod etiam quotidie facio, in ea diſcurſando, & me exercendo. Radix אהב non *diligere* tantum, ſed & *adſpirare*, adſpirando *adpetere*, denotat; quæ etiam propria ejus eſt notio, ab ipſo ſono ficta.) *Fructus*, quem inde ad ſe redundaturum ſperabat, & ſibi promittebat, in *ſapientia* & prudentia longe majore & meliore, quam hoſtes, & reliqui ea arte & experientia excellentiores, habebant, collocatur, verſ. 98--100. *Præ inimicis meis ſapientem me reddent praecepta tua, quia in perpetuum iſta erit mihi*, vel *mea diſcurſatio* (vox enim שיחה ex præced. & ſeq. eſt addenda; qua ratione ſermo recte fluit, alias intricatior.) *Prae omnibus doctoribus meis prudens ero, quia inſtructiones tuæ diſcurſatio mea* erunt. *Præ ſenioribus diſtincte me præſtabo intelligentem, quia ſtatuta tua obſervabo.* h. e. Meliorem & majorem ſcientiam, ſapientiam & prudentiam, a legibus, & inſtructionibus, tuis, per earum continuam meditationem & obſervantiam, mihi comparabo & præſtabo, quam ab hoſtibus, vel doctoribus aut ſenioribus, ſapientia licet & prudentia celebribus, majorem etiam, quam ipſi illi omnes poſſident. Duo in primis notanda ſunt, *unum*, omnia ad futurum tempus ſpectare,

quo

quo votorum compos factus, & ad regni administrationem admotus, occasionem haberet virtutes & dotes suas explicandi. De quo verba fut. temp. vers. 98 & 100. clare testantur, nec abhorret verbum præt. temp. vers. 99. insertum, cum futuri temp. subjunctum ejus potestatem sequi soleat. *Alterum* est, Davidem in laudem legis divinæ & ad eam extollendam, declarare, sese inde meliorem ac majorem scientiam ac sapientiam hausturum esse per continuam exercitationem & observantiam, quam aut ab aliis hominibus, cujuscunque sint peritiæ & experientiæ, possit, aut ipsi illi tenent. Præf. enim מ hic dicet, *plusquam*, & duplicem admittit usum, quo denotat *plusquam* habent, ac *adferunt* alii illi.

§. XLVIII. 2. *Alter* fructus, quem hucusque inde carpserat, vitæ puritatem & innocentiam complexus, his verbis subjungitur, vers. 101, 102. *Ab omni via mala cohibui pedes meos, ut verbum tuum observarem. Non recessi a judiciis tuis, quia Tu me informasti.* h. e. Legibus tuis, quas promulgasti, earumque amori & meditationi, acceptum fero, quod viam pravam vitaverim, pedes meos ab ea calcanda inhibens, ut verba tua custodirem; sed insuper, quod ab institutis & juribus tuis non discesserim, non mihi, & viribus meis, tribuo, verum tuæ instructioni & ductui. Terminat dein pericopam, sicut inceperat, summam suam delectationem in dictis Dei testificando, & effectum ejus in vita dirigenda exponendo: vers. 103, 104. *Quam mollia & edulcata facta sunt*, (Radix enim מלץ, ut ex dialectis Orient. patet, proprietatem habet in *molli* & glabro, unde *dulcedinis* notio facile est orta) *palato meo eloquia tua, prae melle ori meo.* (quod idem est, ac palato oris mei dulciora sunt melle; adeoque suavissima. Sensus est, judicio & adfectui esse acceptissima & gratissima eloquia Dei. Conf. Ps. XIX: 11. & de *gustus* figurato sensu ad Ps. XXXIV: 9.) *Ex statutis tuis* (ea scilicet meditando, seu in iis discursando, summa cum oblectatione; ut supra dictum

ctum erat) *distinctam comparabo intelligentiam* (seu claram boni & mali, utilis & noxii, notitiam adsequar) *propterea odio habeo* (sicut antea, ita postea) *omnem viam mendacii*, seu falsam & fucatam (omnem hypocrisin, idololatriam, & quodvis flagitium aversor, & aversabor semper, quia ex lege tua veram illam hauriam scientiam, cujus consequens & effectum est, odisse omnem viam malam & mendacem.)

§. XLIX. *Decimaquarta* pericopa, vers. 105--112., repetit preces pro perfecta liberatione sua, convenienter promisso Dei, easque fundat in eo, quod sese ad legum divinarum observantiam sponte & solenniter obstrinxerit, eamque hucusque constanter præstiterit, in mediis etiam adflictionibus, quibus se ab ea non passus fuit dimoveri, præstiturus etiam in perpetuum, obiter inserta supplicatione opis & auxilii Dei ad perseverantiam in ea facienda. Scopus est, in hac pericopa demonstrare, se talem esse & gerere, qualis debeat, quem Deus favore suo prosequatur, & jam satis hac parte per adflictiones videri probatum, adeo ut plena liberatio, & instauratio, diutius non sit differenda. *Prima* parte declarat, se in vita & fatis suis legem Dei tanquam normam & regulam sibi præscripsisse, seseque ad ejus observantiam juramento obstrinxisse, in signum serii & bene fundati propositi, præterea illud hucusque actu præstitisse, & præstiturum in posterum, vers. 105, 106. *Lucerna est pedi meo verbum tuum, & lux viæ meæ*, (seu, verbum tuum est lucerna prælucens mihi in via regia, ut ea recte & debite incedam: hac enim ratione voces sunt ordinandæ. Significat itaque, se pro norma actionum, & totius conversationis, sumsisse legem Dei, eamque, tanquam prælucentem & ducentem, esse secutum, eaque ratione viam stratam, & regiam, quam vox נתיב denotat, ut alibi observavi, tenuisse.) *Juravi & stabilivi ad observandum judicia justitiæ tuae* (juramento me ad justas & æquas tuas leges observandas obstrinxi, in

signum sinceri & firmi, deliberatoque animo sumti, propositi, illudque huc usque pro viribus ratum feci, & præstiti, idem facturus in posterum. *Stare* enim *facere* non est juramentum semel factum confirmare, quod minus ad rem facit, sed illud ipso facto inplere, & ei convenienter agere; qui verbi Hebr. etiam usus est receptior, & supra vers. 38. occurrit. Usus autem est verbo fut. temp. cum ו convertente, sicut adpellatur, ut se de præterito quidem loqui, sed futurum una intendere, significaret.)

§. L. *Secunda* pars duas continet preces, *unam* pro liberatione ab adflictione, *alteram* pro gratia illuminante & adjuvante ad juramentum suum constanter præstandum. *Prior* ita habet, vers. 107. *Adflictus sum valde* (& intensissime, omni nisu, & diu admodum, a persecutoribus meis: quam posteriorem notionem non respuit vox מאד, & series sermonis requirit: vid. vers. 82, 84.) *Jehova! vivifica me secundum verbum tuum* (promissum tuum inpleas, qui es *Jehova*, Deus verax, meque *vivifices*, seu secura, læta ac prospera conditione me frui facias, cujus spem mihi fecisti.) *Posterior* his verbis effertur, vers. 108. *Spontanea oris mei effluvia grata & accepta quaeso habeas, Jehova! & judicia tua doce me* (juramentum meum ad judicia tua observanda, sponte & lubenter factum, ostende Jehova! tibi gratum esse, instar oblationis spontaneæ, docendo me judicia tua, & ad ea efficaciter *instigando*, ut, ad quod me tam sancte & solenniter obligavi, illud exacte præstem. Respicit omnino ad juramentum, modo memoratum, quod hic *spontaneum oris effluxum*, quæ vocis נדבה nota potestas est, adpellat, non sine adlusione ad oblationes spontaneas, eo nomine insigniri solitas, quo verbum רצה *acquiescere*, gratum habere, etiam ducit, præterea indicat, se juramento præstando esse inparem sine instructione & *instimulatione* Dei; quam emphasin, satis notam, habet verbum למד proprie *pungere*, pungendo *instimulare*.)

§. LI. *Tertia* parte, sese in præsentissimis vitæ periculis, quibus

quibus per hostes, eorumque insidias, continuo fuit expositus, a fide & obsequio Dei non defecisse, tradit, eo scopo, ut, sese fidelitatis suæ sufficientia dedisse specimina, sat diu esse tentatum & exploratum, adeoque nunc videri liberandum esse, quod modo precatus erat, significaret, eàque ratione preces, modo fusas, urgeret, vers. 109, 110. *Anima mea* fuit *continuo in vola mea* (summo vitæ periculo jugiter fui expositus, instar ejus, qui, rem manu aperta tenens, eam vel facile excidere patitur, vel projicere paratus est, phrasi proverbiali a lapidibus, *cava* manu *projici* solitis, petita, uti 1 Sam. xxv: 29. Quem sensum alii, in primis Gatakerus *a*, abunde adfirmarunt ac illustrarunt; citatis quoque locis Jud. xII: 3. 1 Sam. xIx: 5. xxvIII: 21. Job. xIII: 14. nec non Xenarchi dicto apud Athenæum *b*, *plenum formidine*, *animamque gestantem in manu*) *nec oblitus fui legis tuæ* (non obstante præsentissimo vitæ discrimine, me a legis tuæ obsequio abstrahi non fui passus,) *Tetenderunt* (quod hic est נתן *dare*, proprie *tendere*) *inprobi mihi laqueum* (insidias struendo, ut me capiant, & occidant, uti in aula Sauli, & deinceps in fuga coram ipso, factum esse constat) *nec a statutis tuis aberravi* (nihil commisi, statutis tuis contrarium, ne quidem ad me liberandum.)

§. LII. *Quarta* parte firmum fixumque suum testificatur propositum ornamenta & statuta Dei *in perpetuum* observandi, sicut se hucusque fecisse supra declaraverat, vers. 111, 112. *Excerpsi mihi*, & tanquam præstantissimam meam partem selegi (quam notionem verbi נחל sæpe alias observavi) *ornamenta tua in perpetuum*, *quia cordis mei ferocúlum gaudium* sunt (adeo jucunda & grata, ut iis exsultem, & quasi superbiam, & alios despiciam: quam emphasin adfert vox ששון.) *Inclinavi cor meum* (fixo, & juramento firmato, proposito,) *ad facienda statuta tua in ater-*

a Advers. Misc. l. II. c. 6. *b* Lib. XIII. p. 569.

æternum, vicibus continuo repetitis (quam notionem vocis עקב jam supra ad vers. 33. adstruxi.)

§. LIII. *Decimaquinta* pericopa, vers. 113–120. liberationis suæ exspectationem illustrat & confirmat ex justis & æquis Dei judiciis, in mundo conspicuis, quibus pios, legi Dei unice adfixos, & Deo fidentes, protegit & defendit, impios vero, a Deo, ejusque obsequio, deficientes, & sibi fidentes, e medio tollit: ex quo colligit, se a Deo servandum, & hostes suos impios delendos esse, seu longe diversam fore suam & illorum sortem. In *prima* parte, se legem Dei unice & ardenter amare, & in Deo, tanquam protectore suo, fiduciam collocare, omnibus turbulentis, animum perturbantibus, simul superbis & adrogantibus, cogitationibus ac adfectionibus circa normam agendi & fiduciæ objectum longe facessere jussis, declarat, vers. 113, 114. *Cogitationes & adfectiones* insanas, turbulentas & superbas, *odi, & legem tuam amo, latibulum meum & clypeus meus Tu es, ad verbum tuum patienter exspecto.* h. e. Vanis, elatis, & cor occupantibus, ac turbantibus, adfectibus variis, qui animum in se vertunt & distrahunt, circa normam agendi & viam optatum bonum consequendi, longe, tanquam mihi odiosis, a me remotis, legi tuæ unice & firmiter intimo adfectu adhæresco, tanquam vitæ meæ regulæ, in te unicum meum refugium & patrocinium colloco, tuoque nixus promisso patienter exspecto ejus inplementum in plenissima mea liberatione. De voce סעפים, ejusque usu, Cl. Schultens [a] satis exposuit: tantum addo in plur. occurrere ad varias ejusmodi cogitationes & adfectiones denotandas, quæ animum distrahunt, simul elatas & superbas innui, cum de eminentioribus, & in sublime elevatis, partibus, ex. gr. montis, arboris, capitis, usurpetur, denique hic in primis tales indicari, quæ circa normam agendi, & fiduciæ fundamentum, opposite ad legem Dei, & fiduciam in Jehova, versantur, uti ex serie sermonis liquet.

§. LIV. Hinc

[a] Ad Job, VI: 13.

§. LIV. Hinc colligit & confirmat, quæ *secunda* pars est, longe diversam fore suam & sceleratorum, variis illis adfectibus actorum, sortem, dum ipse a Deo sit tutandus & liberandus, isti autem mala morte judicio Dei perituri: vers. 115–119. Quam thesin *α*. summatim proponit, sermone ad inprobos, in signum adfectus commoti & fiduciæ, qua id adserit, elegantiæ & emphasios ergo, verso, vers. 115. *Discedite a me malefici*; *&*, vel *qui*, *custodiam præceptum Dei mei*. h. e. cum vos sitis inprobi, & scelerati, ego vero præceptum Dei mei accurate custodire velim, adeoque a vestra conversatione ac vita longe remotus sim, vel mihi vobiscum nihil hac parte commune sit; longe quoque alia sors me ac vos manet, quum Deus judicium exercebit, adeo ut in judicio & poena a me longe recedere debeatis, nec ego vobiscum eodem judicio sim involvendus. Significat itaque, 1. per epitheton *maleficorum*, quo eos, quos adloquitur, insignit, & sui animi, ac propositi *præceptum Dei custodiendi*, testificationem, quæ duo sibi tanquam opposita respondent, quantum hac parte, respectu adfectionum & actionum, inter se & ipsos sit discrimen. 2. Huic discrimini convenienter declarat, se & ipsos esse a Deo, justo judice, tractandos, ita ut a se longe remoti sint seorsim puniendi, nec ipse partem in misera ipsorum sorte sit habiturus. Hunc enim sensum hic fundit verbum *recedere*; sicut & Ps. CXXXIX: 19., ut ibi videbimus.

§. LV. *β*. Thesin propositam deducit & amplificat, *α*. respectu suæ sortis, quam per modum precationis, cum fiducia fusæ, describit, vers. 116, 117. *Fulci me* (firmiter me consistere facias & in altum erige; quæ notio est verbi סמך, proprie *fulcire* palis, & elevare) *secundum dictum tuum* (convenienter promisso tuo) *& vivam* (ut secure & læte degam, quod etiam inde sequetur: utrumque enim & scopum, & eventum, recte admittit præf. ו *&*.) *& ne pudefacias me* (absit ut facias, nec facies, me confusum &

 perple-

perplexum: hanc enim emphasin habet vocula אל *ne*, *non*, pro absit ut facias, non fiet; quod alibi observavi) *a mea exspectatione* (vel *præ* ea, ejusque respectu, vel, sensu verbi *pudefacere* divite ac prægnante, pudefacias *excidere me* sinendo exspectatione mea. Quod utrumque jam est observatum.) *Adjuva me* (animum firmando, vires suppeditando, & felicem moliminum successum concedendo. Quam verbi סעד amplitudinem alibi *a* notavi) *& servabor* (in lato & amplo prosperitatis statu collocabor) *& intuebor statuta tua jugiter* (aciem oculorum mentis continuo vertam ad statuta tua, tanquam vitæ meæ normam, & fontem consolationis ac felicitatis.)

§. LVI. *b.* Improborum & legum Divinarum transgressorum longe aliam, & miseram, sortem his verbis paulo fusius subjungit, vers. 118, 119. *Laxe pendulos facis omnes a statutis tuis aberrantes, quia fallacia est fraus eorum. Scorias*, vel sicut *scorias*, *cessare facis*, aut *deles omnes inprobos terræ.* h. e. severum tuum judicium non effugiunt quicunque, sese inplicantes, a statutis tuis eorumque observantia aberrant (שגה enim proprie dicit *inplicationem*, inde aberrationem) est enim omnis eorum *fraus*, qua se inplicant, sibi & aliis inponunt, multiplici quoque fraude utuntur in statu suo felici reddendo & tutando, aliisque nocendis, pura puta *fallacia*, omni valore & virtute cassa, quæ nihil juvat, nec effugiunt, qui inprobitati palam student, & eam exercent in terra; quippe *scoriis*, pretiosi metalli sordibus, illudque deturpantibus & corrumpentibus, adeoque auferri & ejici solitis, similes, eademque ratione tractandos, uti est Prov. xxv: 4, 5. Etenim, judicio suo tempore instituto, defectores a lege tua *laxe pendulos* reddis, corpore & animo debilitatos, omni firmitate & solatio cassos, opposite ad firmitatem & felicitatem piorum, modo memoratam, inprobos quoque terræ *cessare* facis, vel, proprietate verbi השבית in *pangendo*, *figen-*

a Ad Ps. xx: 3.

figendo, sita, *adpingis* terræ, eos delendo & exterminando; de qua verbi significatione alibi *a* egi. Nihil restat notandum, quam radicis סלה proprietatem a Cl. Schroedero, ut aliunde intellexi, recte poni in *laxitate pendula*, uti in *bilancibus*, ut libero motu sursum ac deorsum ferri queant, unde inter alia cum ad corporis debilitatem, qua flaccessit & laxe propendet, tum ad animum metu ac terrore fractum, uti Thren. I: 15. & alibi, transfertur. Cui & hic eo aptius datur locus, quod præcesserit piorum statuminatio & fultura a Deo, cui opponitur.

§. LVII. *c.* Definit in utilitate exponenda, quam diversa hæc piorum & impiorum sors, a judicio Dei profecta, piis adferat, suo exemplo proposita, vers. 119. fin., & 120. *Propterea diligo ornamenta tua. Horripilat præ tremenda tua Majestate caro mea, & præ judiciis tuis horreo.* h. e. Sicut per felicem piorum, qui legem tuam observant, sortem valide excitor ad ornamenta felicitatis, a te præscripta, animitus diligenda, & desideranda, uti facio, ita tremendæ tuæ Majestatis judiciorumque tuorum consideratio in tremorem me conjicit, & horrorem, quo a peccatis, & sceleratorum commercio, absterreor. Hac ratione verba connectenda & capienda esse, censuerim, nec habeo, quod præterea observem, cum de verbo סמר *horripilare*, vel *clavare*, *clavos fixos* referre, exposuerit Cl. Schultens *b*, præter elegantem & emphaticum vocis פחד usum, quem hic præfert, quod tremendam Dei Majestatem exprimit, uti יראה Ps. xc: 11. quemadmodum ibi observavi, & exemplis adstruxi: nec commodiorem sensum admittit epitheton Dei, quo פחד *timor Isaaci* adpellatur Gen. XXXI: 42. Ceterum pavorem, & tremorem suum fortius exprimit, ut terribilitatem judicii Dei in inprobos amplificaret.

§. LVIII. *Decimasexta* pericopa vers. 121--128., *exspectatio-*

a Ad Ps. VIII: 3. & Jer. XXXVI: 29. *b* Ad Job. IV: 15.

ctationi suæ, modo illustratæ & confirmatæ ex justis & æquis Dei judiciis, in mundo conspicuis, apte subjungit *rationes*, Deum ad liberationem cito præstandam movere aptas; quas ab innocentia sua & puritate morum, a summo desiderio suo, magnam molestiam ex diuturna dilatione creante, denique a temporis opportunitate desumit; additis, pro more, precibus pro gratia Dei illuminante & adjuvante ad leges Dei recte cognoscendas & observandas, suique in eas adfectus testificatione. Sunt itaque, pro rationem moventium numero, *tres* pericopæ partes. *Prima*, innocentiam vitæ & actionum complexa, precesque pro liberatione in ea fundatas, his verbis continetur, vers. 121, 122. *Feci jus & justitiam, ne laxata manu me permittas oppressoribus meis. Suscipe servum tuum valde, ne me opprimant superbi.* h. e. Cum nihil mali non tantum fecerim, propter quod a meis insectatoribus opprimi debeam, contra juris & æqui fuerim studiosus, bene de iis fuerim meritus, cuique suum tribuens; cum fiducia precor, ne me ipsis ad me fraude aut vi opprimendum tradas; quin ut causam meam suscipias, mihique vadem & vindicem præbeas eo cum effectu, ne mihi noceant, aut exitium adferant. Respicit ad multiplices insectationes, quas a Saulo & aulicis passus erat, plenissimamque ab iis liberationem petit, provocans ad earum notoriam injustitiam, cum ipse sese juris & æqui sectatorem semper præstiterit, nihil iniqui molitus, ipso Saulo quoque judice; cui bis pepercit. Nihil præterea habeo notandum, cum de verbis alibi egerim, nisi 1. verbum ערב hic notionem *spondendi*, & *vindicandi*, exserere, uti alibi, origine ducta a *sidendo*, inde leniter *subeundo*, penetrando atque *insidendo*, unde *dulcedinis* usus fluxit *a*, denique sese alterius negotiis *inmiscendo*, & ita sponsorem ac vindicem agendo *b*, sive solvendo *lytrum*, sive injuste oppressum hostium vi & injuriis

a Schultens ad Prov. XIII: 19. *b* Vid. Cl. Scheidius in Disp. inaugurali ad Jes. XXXVIII. p. 33.

juriis eripiendo. 2. Vocem לטוב *in bonum*, absolute sumtam, usum adverbialem, uti alibi *a*, habere, & vertendam esse *valde*, *perfecte*, ut sensus sit, Deum sese sponsorem, seu vindicem, præstare debere, qui valide, cum effectu, & perfecte causam suam agat. Quod huc aptius quadrat, quam, ut solet accipi, *in bonum* & *commodum*, cum ipsa sponsoris & vindicis notio illud per se involvat.

§. LIX. *Secunda* instantia petitur ab enixissimo, & diuturno, desiderio salutis, seu liberationis Dei, nec non inplementi promissi Dei, firmi & veracis, addita petitione instructionis & instigationis divinæ ad legem Dei recte intelligendam & faciendam, in signum aptitudinis suæ ad promissum inpetrandum, cum studio legis cognoscendæ & observandæ sese dignum præstet, qui bonum promissum consequatur, vers. 123-125. *Oculi mei deficiunt ad salutem tuam*, (liberationem tuam desiderando, & diu dilatam exspectando, oculis in eam continuo defixis, fere consumor, ita ut ferre vix amplius queam. Vid. vers. 82.) *& ad dictum justitiæ tuæ* (ut promissum, invariabilis tui rigoris & veracitatis, adeoque inmutabile & irrevocabile, inpleatur. Id enim hic omnino significat *dictum* Dei, uti vers. 82. vidimus. Adpellatur *justitiæ Dei* dictum, ad ejus constantiam, & invariabilitatem, exprimendam, secundum vocis צדקה originem, in *recto rigido* sitam, & usum de *veracitate* & constantia: uti nunc satis constat, & alibi etiam sæpe a nobis observatum est) *Fac cum servo tuo secundum benevolentiam tuam* (age mecum, qui servus tuus sum, convenienter benignitati tuæ, liberaliter & continuo sese exserenti, me *vivificando*, uti vers. 88. habuimus.) *& statuta tua doce me: servus tuus ego sum, distincte me intelligere fac, & cognoscam ornamenta tua* (cum a te selectus sim, tibique dicatus, adeoque ad tuam voluntatem faciendam obligatus, simul inclinatus, peto, ut intellectum meum illumines tuo Spiritu, ut cognoscam, & mente recondita

a Vid. ad Jer. XII: 11.

habeam tua instituta, veræ vitæ & felicitatis *ornamenta*; quod etiam mox ex tua illuminatione sequetur. Conjunctio ו & in verbo *& cognoscam*, non tantum finem & scopum, sed & effectum, cum influxu Dei connexum, denotat.)

§. LX. *Tertia* ratio, a temporis *opportunitate* exercendi judicii in inprobos, & ad sui liberationem, in eo sita, quod illi legem Dei penitus infregerint, ipse vero eam ardenter observatam & restitutam cupiat, ac intendat, desumta est, vers. 126-128. *Tempus agendi est Jehovæ* (judicium pronunciandi & exsequendi tempus opportunum est Jehovæ, quo caussam suam legisque suæ vindicet, impios puniendo, & pios remunerando. *Facere*, vel *agere*, absolute positum subinde de judiciali actione adhiberi, notum, & alibi *a* etiam observatum est. Quod si quis ad id offendat, quod de Jehova in tertia persona fiat mentio, cum mox & ubique eum adloquatur poeta, pro ליהוה recte legere possit לי יהוה ut sensus sit, *tempus agendi pro me*, in meum favorem, & ad meam vindicationem, *adest*, *o Jehova:* uti 1 Sam. XIV: 6. *faciet Jehova* לנו *nobis*, inquit Jonatan, quod modo vers. 124. dixerat, *fac cum servo tuo secundum benignitatem tuam*. Quo forte hic respexit in verbo *facere mihi* absolute posito. Ita etiam Ps. CIX: 21. *fac mecum secundum nomen tuum*) *infregerunt legem tuam* (ideo tempus opportunum, quo hostes punias & me vindices, adesse dixi, quod leges tuæ per ipsos omni vigore & observantia destitutæ jaceant, dum ipsi obstinate eas violent, & alios suo exemplo & tyrannide ab earum observantia, & religionis exercitio, abstrahant: uti sub Saulo contigisse constat, sacerdotibus quoque occisis, & ne arca quidem requisita, 1 Chron. XIII: 3.) *Propterea*, vel *propterea quod* (utrumque enim usum ferunt voces על-כן *b*, & hic admittunt, ut vel *consequens* superiorum, vel eorum *rationem* contineant. Sensus enim esse potest, se *propterea* etiam magis accendi ad legem Dei ardenter amandam & facien-

a Ad Jer. XVIII: 23. & Mal. III: 17. *b* Vid. ad Ps. I: 5.

faciendam, quod adeo nunc enerventur, & violentur, ut Deus non possit non illud vindicare, vel, ideo quoque Deum hostes punire & se vindicare debere, quod, cum leges ejus prostratæ jaceant, ipse iis observandis, ac instaurandis totus sit incubiturus,) *diligo praecepta tua prae auro quin purissimo* (quod est פז ut alibi *a*, notavi) *propterea*, vel *propterea quod*, *omnia statuta universitatis complanavi.* (Sic proprie sonant verba textus Masorethici, quæ sensum non admittunt tolerabilem; cum quod *omnia statuta* in genere intelligi nequeant, sed ad Dei debeant referri, tum quod phrasis, *omnia statuta omnis*, seu universitatis, quid sibi velit, plane non pateat. Varie quidem instituunt Interpretes, sed nihil adtulerunt, in quo acquiesci possit. Priori difficultati, quam movi, recte succurritur per antiquas versiones, quæ omnes habent *omnia statuta tua*, adeoque legerunt non פקודי, sed פקודיך, quæ vera lectio est, facile restituenda ex seq. voce כל, cum eadem littera כ incipiente. Sed altera difficultas, ex repetita voce כל nata, tolli nequit commodius, quam, sicut fecit Chaldæus, emphasios causa censeatur illud *omne* repetitum, ad universalem obedientiam eo fortius exprimendam, ut sit; *omnia mandata tua*, *omnia* inquam, nullo excepto: qualia non desunt exempla. In quo si quis acquiescere nequeat, sicut vere quid insoliti habet, is, littera כ præcedenti voci adjuncta, & ex sequente repetita י, recte legere possit לי ut sit, *omnia mandata tua mihi complanavi.* Sed quid sibi ישרתי, proprie *aequavi*, inde cum *rectum*, oppositum inflexo & curvo, tum *planum*, tumido & depresso oppositum, *feci;* quod utrumque hoc verbo involutum est, hoc loco vult? Equidem, ut aliorum opiniones mittam, vix dubitaverim, quin in verbo ישר respiciatur ad *viam* rectam & planam faciendam, cum quod de *via* passim adhiberi soleat, uti constat, tum mox sequatur, *omnem viam mendacii odi;* adeoque sensus sit, se omnia Dei mandata sibi *complanasse viam*, quam continuo & cum voluptate, sine inpe-

a Ad Jer. x: 9.

inpedimentis, calcaret, seu stravisse & sibi parasse in viam planam, adeo ut in via mandatorum Dei propositum fixum habeat ambulandi, tanquam in via plana, normaque agendi recta justa & æqua. Conf. Ps. LXXXIV: 6. & ibi dicta, ut & Jes. XL: 3. & ibi Cl. Vitringa.] *omnem viam mendacii odio habeo* [omnem *fucum*, seu hypocrisin, omnem falsitatem, seu oris, seu operis, omne vitium & peccatum, abominor, & viam legum tuarum unice mihi tanquam planam, & facilem, præscripsi.

§. LXI. *Decimaseptima* pericopa, vers. 129--136. pergit in lege, ejusque utilitate, extollenda, suoque in eam adfectu testificando, præterea in precibus pro sua illuminatione, constantia, & perfecta liberatione, fundendis, desinens in vehemente sua tristitia explicanda super neglectu & contemtu legis divinæ. *Partes* itaque *tres* sunt. *Prima* legis præstantiam, & desiderium ejus cognoscendæ & faciendæ, quo adfectus erat, comprehendit his verbis, vers. 129--131. *Mirabilia* sunt *ornamenta tua, propterea intuetur ea micante oculo anima mea.* [Instituta tua, quæ vera sunt ornamenta & instrumenta felicitatis, reconditi & abstrusi sensus, quam notionem continet vox פלאות, uti vers. 18. vidimus, plena cum sint, tota anima, seu summo desiderio ea accurate ac studiose contemplor, quod hic est נצר, uti notavi ad vers. 2. cui vers. 18. respondet verbum אביטה.) *Aperitio verborum tuorum* [libera & clara, ore *aperto* facta, prolatio verborum tuorum, seu eorum promulgatio & institutio: vox enim פתח proprie *apertura*, apertio, divite sensu hic ore aperto prolationem denotat, uti verbum פתח Ps. XLIX: 5. *aperiam aenigma meum*, sicut ibi observavi] *illuminabit*, *intelligentes faciens simplices* [tanta luce animos *simplicium*, qui faciles sunt per illecebras mundi deceptu, prudentia & fortitudine ad resistendum orbi, quales dicuntur פתיים, perfundet institutio legis tuæ, ut *intelligentes* fiant & prudentes, sibique a tentatione caveant, & in officio faciendo constantes sint. Conf. Ps. XIX: 8. & ibi dicta]

dicta] *os meum distendo* [quod est פער, cujus primaria potestas est in hiatu oris patente] *& auram capto* [quam notionem continet שאף *anhelo, auram haurio. a,*] *ad tua enim præcepta adspiro* (quam significationem, verbo יהב tribuere liceat ex vicinitate אהב *adspiravit*, spirando adpetiit *b*, sono ansam præbente.) Exprimit itaque summum & vehementissimum suum desiderium legis, ejusque instructionis, metaph. ab animante ducta, quod siti quasi enectum ore dispanso hiat, & auram naribus adtrahit, indeque ortum continuum exercitium, quo, ore quasi distento, instar esurientis & sitientis, doctrinam, ad suam consolationem ac directionem, e lege petit, uti Job. XXIX: 23. *Exspectabunt tanquam pluviam me, atque os suum deducent ad pluviam serotinam.* Ubi vid. Schultens.

§. LXII. *Secunda* pars exhibet preces, quibus in genere constantiam in virtute ac conservationem in statu suo, dein in specie plenam liberationem ab hoste nunc premente, denique illuminationem Divinam ad præcepta Dei recte cognoscenda, supplicat, vers. 132--135. Preces α. summatim proponit, vers. 132. β. per partes deducit, vers. 133--135. α. Summaria propositio his fit verbis, vers. 131. *Respice ad me, & tenerrimum tuum amorem mihi demonstra, secundum legitimum morem amantium nomen tuum.* h. e. Talem te mihi præstes inspectorem & patronum, talem erga me tenerrimum exseras adfectum, peto & exspecto, qualem sibi promittere & experiri juste & legitime solent illi, qui nominis tui glorificandi studio ducuntur. Hunc existimo sensum esse posterioris membri, *secundum jus*, vel legitimum & justum morem, *amantium nomen tuum;* secus ac vulgo solent Interpretes, qui *secundum jus*, seu *morem*, ad Deum referunt, & de consuetudine agendi, quam Deus tenet cum piis interpretantur: non enim *secundum jus tuum* habetur, sed *jus*, & cum *amantibus nomen Dei* cohæret: *jus* autem *amantibus* nomen

 Dei,

a Schultens clav. p. 191. *b* Idem ad Har. conf. IV. p. 60.

Dei, ut voces proprie ſonant, eſt jus amantium, vel quod iis competit, ut recte Coccejus, qui prope a mente noſtra abeſt, & hic conſulendus eſt. Tantum obſervo, non tantum ſignificare poetam, ſe eodem jure, & legitimo more, quam notionem hic, & alibi, exſerit משפט, uti conſtat, petere & ſibi promittere, quo *amantes* nominis Jehovæ, ſed & ut talem, qualem exſpectare legitimo jure ſolent amantes Dei, ſeſe ſibi præbeat Deus, adeoque *judicium* etiam & *jus* ſibi faciat, ſeque hoſtum inſectationibus eripiat, & plene liberet, uti mox ſequitur. Ceterum *amantes nominis* Dei non ſunt ſimpliciter *amantes Dei*, ſed & *nominis* ejus, ſeu *Jehovæ*, Dei veracis, juſti et æqui, ſimul ejus demonſtrationis et glorificationis in promiſſis inplendis, et piis beneficiendis.

§. LXIII. β. In propoſitionis deductione α. firmitatem animi & ſtatus ſecundum promiſſa Dei in genere petit contra omnem qualemcunque violentiam conſumentem, ne ejus dominanti inperio ſubjiciatur & ſuccumbat, verſ. 133. *Greſſus meos firmos redde per dictum tuum, & ne dominium in me exercere facias*, aut *ſinas*, *omnem qualemcunque exinanitionem*, vel *violentiam conſumentem.* Ad quorum intellectum *duobus* tantum opus eſt obſervatis, uno ad prius, altero ad poſterius membrum. *Prius* habet, poetam non ſupplicare, ut in legis Dei obſervantia firmos greſſus faciat, vel ei conſtanter adhæreſcat, ſicut capi ſolet, ſed ut firmo conſiſtat talo, ſtatu fruatur ſtabili & inmoto, nec violentiæ qualicunque ſuccumbat, vi promiſſi Dei. *Firmos enim reddere greſſus, & non dominari facere violentiam* ſibi reſpondent, ſeu opponuntur, adeoque firmitatem conditionis, oppoſite ad violentiæ ſubjectionem, hic ſupplicat, ſeſe in *promiſſo* Dei fundans, quod hic, ut ſæpe in hoc Pſ., per *dictum* Dei intelligendum eſt. *Poſterius* obſervatum eſt, poetam in poſteriore membro moralem peccati ſervitutem non deprecari, quæ communis eſt opinio, ſed omnigenæ violentiæ conterentis dominium in ſe, oppoſi-

posite ad *firmos suos gressus*, ne itaque qualicunque tyrannide opprimatur, & statu suo deturbatus succumbat. Præterquam quod Deo minus apte tribuatur *dominari facere* alicui peccatum, probabile non est, poetam scelerati facinoris dominium, ne illius reum sese agat, tantum & expresse deprecaturum fuisse. Accedit, phrases longe rectius in tyrannicam oppressionem, qua quis violenter premitur & consumitur, convenire. Verbum enim שלט sedem habet in acri & penetrante vehementia, cui resisti nequit, quæ etiam adtenditur Eccles. VIII: 4. & Ez. XVII 30., indeque ad dominium cum absoluto inperio transiit. Vocis vero און nativa indoles est in *vacuitate*, & transitive in *exinanitione*, qua res tota exhauritur: unde inter alia transfertur cum ad atrocissima crimina violentiæ, & tyrannidis, quibus alii cruciantur, & exhauriuntur, uti in phrasi, qua scelesti adpellantur פעלי און *facientes vacuitatem* & *consumtionem*, alios plagis conficientes & vexationibus, tum ad *virium vacuitatem*, & transitive ad *consumtionem*, uti Prov. XXII. 8. *qui seminat iniquitatem, metet* און *consumtionem virium*, per poenas excruciantes, & alibi. Quæ recte illustravit Cl. J. W. Schroederus *a*.

§. LXIV. *b*. In specie petit perfectam liberationem ab hoste nunc ipsum insequente, ne ab ipso opprimatur, addita propositi præcepta Dei observandi testificatione; vers. 134. *Redime me ab oppressione hominis, & observabo statuta tua.* Respicitur ad fraudulentas & violentas persecutiones Sauli, epitheto *hominis* in sing. hic & alibi insigniti. *c*. Subjungit felicitatis & prosperitatis petitionem, una cum interna mentis illuminatione ad legem Dei recte intelligendam, & faciendam, vers. 135. *Faciem tuam lucere fac in servo tuo, & doce me statuta tua.* Prius membrum, quod solum illustratione aliqua indiget, plenissimam non tantum denotat, & illustri modo factam, liberationem, uti Ps. IV: 7. XXXI: 17. & alibi, sed & gratiosæ Majestatis divinæ communicationem, qua tanquam vicarius Dei & ipse effulgescit: quare non dicit,

a Ad Ps. X: 7.

cit, *ſuper*, ut alias ſolet, ſed *in* ſervo tuo. Quam perſonam ut digne gerat, ſupplicat gratiam illuminantem & adjuvantem, ad ſtatuta Dei recte cognoſcenda & obſervanda.

§. LXV. Terminat pericopam, quæ *tertia* ejus pars eſt, in ſummæ ſuæ triſtitiæ propter publicam & contumacem legis Divinæ violationem declaratione, eo non tantum ſcopo, ut flagrantem ſuum erga legem Dei adfectum in genere exprimeret, ſed in ſpecie Deum ad judicium exercendum, quo hoſtes puniat, & ſe vindicet, permoveret, ex conſideratione temporis corruptiſſimi, a Deo non amplius ferendi, quo per hoſtes fiebat, ut lex Dei jaceat contemta, & pii ſumma triſtitia propterea ſeſe adfligant, ipſe inprimis ſeſe maceraret, totus inflammatus ſtudio legem Dei inſtaurandi, eoque etiam nomine dignus, qui plena fruatur libertate & proſperitate, ut illud cum ſucceſſu efficere poſſit. Verba ita habent, verſ. 136. *Rivos aquarum intrant* lavatum euntes *oculi mei*, *propterea quod legem tuam non cuſtodiunt*. Nihil hic difficilis, niſi in priore membro: ſed quod jam expedivit Cl. Schultens *a*, qui ex verbi ירד *aquatum deſcendere* poteſtate, ac ſolenni Arabum ſtructura, *oculus aquatum deſcendit in fletum*, pro eo quod plenius effertur, multo flumine aquarum ora genaſque humectare, lacrymarum veluti rivis ac imbribus inmerſum lavari, noſtrum locum & ſimilia alia luculenter illuſtravit. Tantum obſervetur, phraſin in poſteriore membro *non ſervare*, eſſe emphatice pro nihil minus quam hoc, ſed palam violare, & *infringere*, uti verſ. 126. habuimus, eſſe ſumendam: quod ſatis uſitatum, & alibi ex voculæ לא *non* pro *nihil minus* uſu obſervatum eſt. De ſcopo verborum cum modo dixerim, nihil addo, niſi ad dicta illuſtranda conferendos eſſe verſus, verſ. 126—128.

§. LXVI. *Decimaoctava* pericopa verſ. 137—145. vero ſuo conſpectu, minus animadverſo, ſpeciem habet piæ expo-

a Orig. lib. I. c. 6.

expostulationis cum Deo, justo & æquo, poenas & præmia secundum legem suam, violatam aut servatam, dispensante, super hostium suorum, legem Dei infringentium, forte ad invidiam usque fortunata: & sua, non obstante exacta præceptorum Dei observantia, & fide in promissa Dei, contemta & valde adflicta; sed eo scopo institutæ, non ut Deum injustitiæ accusaret, cujus contrarium propterea expresse adfirmat; verum ut eum permoveret ad judicium, convenienter justitiæ & veracitati suæ, exercendum, in puniendis inprobis hostibus, ac se plene liberando: quare in hisce precibus terminat pericopam. Omnes pericopæ partes in hanc hypothesin conspirant, & inde verum, simul facilem, sensum, alias inpeditiorem, acquirunt, ut mox patebit. Respondet fere simili disceptationi, Jer. XII: 1--4. ibi a nobis expositæ, & cum ea conferenda est. Constat autem pericopa ex theseos positione, expostulatione ipsa, & conclusione, seu ad scopum adcommodatione, adeoque *tres* ejus partes sunt. *Prima* generalem thesin, *Deum esse justum & omnia ejus judicia recta*, continet, quam præmittit, cum ut fidem suam hac parte exponeret, & expostulationem suam a temeritate liberaret, ne Deo injustitiam se adscribere velle putaretur, tum ut Deum, quippe justum & rectum in judiciis suis, hac ratione ad hostes inpios reprimendos, & se vindicandum, compelleret; quare in precibus illis desinit. Conf. Jer. XII: 1. & Ps. LXXIII. ac ibi dicta. Verba ita habent, vers. 137. *Justus Tu es, Jehova! & rectum sunt judicia tua.* h. e. Licet mihi ægre sit, & quandam æmulationem concitet, inpios meos hostes florere, et me, legis tuæ studiosum, cum miseria multiplice luctari, quod cum justitia tua, & rectitudine judiciorum tuorum, vix conciliari posse videtur; agnosco tamen & confiteor, te talem esse, & judicia tua esse *recta*, seu justa & æqua, sapienti, & rectæ, gubernationi mundi congrua, sed & eo fundamento superstruere ausim spem meam, fore ut ho-

ſtes meos ulciscaris & me liberes; quod a Te peto. Nihil in verbis obſcuri eſt, aut noſtræ opis indigum.

§. LXVII. *Secunda* pars diverſam impiorum ac piorum conditionem, juſtitiæ & rectitudini Dei & judiciorum ejus, ut videtur, contrariam, tanquam materiam querelarum & expoſtulationis, exhibet *α.* impiorum, *β.* piorum. *α.* Hoſtes ſuos, legum Dei violatores, ad invidiam usque florere, non obſtante manifeſta Dei declaratione, qua cum lege ſua obſervata jus ad proſperitatem conſtanter copulavit, tradit, & conqueritur, verſ. 138, 139. *Præcepiſti juſtitiam ornamenta tua, & firmitatem valde. Stupore & ægritudine me confecit æmulatio mea, quia verborum tuorum obliti ſunt hoſtes mei.* h. e. Cum tu leges tuas, felicitatis inſtrumenta, conſtitueris tanquam juſti & æqui judicii normam, & proſperitatis juſtum fundamentum, idque fideliter & valde firmiter, hoſtes nihilominus mei, legem tuam ſusque deque habentes, vigeant, & cuncta ex voto agant; tanto ſtupore & indignatione correptus ſum, ut tanquam lethali vulnere confectus jaceam. Cum de vocis קנאה *æmulationis inflammantis* ſignificatu, quem hic unice præfert, & verbi צמת poteſtate, quæ hic locum habet, ſicut in paraphraſi expreſſi, alibi *a* expoſuerim, hoſtes autem, legum Dei, violatores, hic ſiſti tanquam fortunatos, ex voce *æmulationis*, & ſerie orationis, facile pateſcat: verbo tantum obſervabo, צדק hoc loco normam juſti & æqui judicii, nec non *jus* in aliquam rem, denotare, ſenſumque eſſe, Deum leges ſuas præcepiſſe, & conſtituiſſe in talem normam & tale jus; addi vero *firmitatem* & *fidelitatem valde*, ſeu ſummo gradu, ut, leges Dei talem habere conſpectum & uſum juſtitiæ & juris in perpetuum & inmutabiliter, fortiter adſeveraretur.

§. LXVIII. *β.* Longe diverſam & contrariam ſuam ſortem, non obſtante accurato ſuo ſtudio legis Divinæ, *duplice* articulo, *uno* verſ. 240, 141. *altero*, verſ. 142. 143., repræ-

a Ad Pſ. XXXVII: 1, LXXIII: 3. LXXXVIII: 17. & CI: 8.

repræsentat. *Prioris* hæc sunt verba, vers. 140, 141. *Conflatum est dictum tuum valde* (promissum tuum, instar auri purgati, est fidele, ab omni falso & fuco purum: vid. ad Ps. XII: 8. XVIII: 31.) *illudque servus tuus amat* (animitus illud expetit, & *adspirat;* quod proprie est אהב, hic recte quadrans, ad *desiderium* promissi, ejusque inplementi, exprimendum.) *Exiguus ego sum et spretus* (viribus & dignitate, instar *pueri*, tenuis & debilis, insuper *spretus*, seu per terram *raptatus*, pedibus conculcatus, ac contumeliis obrutus; quam verbi בזה emphasin sæpe observavi. Ceterum etsi in titulo צעיר ad virium & dignitatis exiguitatem respiciat, eo tamen usus videtur, ut ad ætatem suam juvenilem digitum simul intendat:) *mandata tua oblivione non delevi* (nihil minus quam hoc, sed contrarium: quam emphasin sæpe adfert לא *non*, & hic omnino exserit.) Sensus, ut ex dictis patet, est, se, non obstante fidelissimo Dei promisso, & sua legis Dei observatione, qua promisso Dei sese non præstiterat indignum, esse & manere tenuem, & abjectum, ac conculcatum: quod cum justitia & veracitate Dei vix conciliari posse videbatur: eo enim hic tendit. *Posterior* articulus, ejusdem tenoris & scopi, his verbis subjungitur, vers. 142, 143. *Justitia tua recto-rigida est in perpetuum* (constans perpetua & inmobilis, semper eadem: צדק enim hic originalem suam notionem *in recto-rigido* sitam exserit, & *justitiæ Dei* additur, ad ejus rectum, constantem & inflexilem rigorem adfirmandum,) *& lex tua veritas est* (seu *firma* stabilitas, semper durans, tanquam norma agendi, & felicitatis medium.) *Angustum & arctum premens invenerunt me*, (summe stringente adflictione undiquaque correptus sum) *præcepta tua sunt oblectamenta mea.* Quorum sensus eodem plane redit, quo superioris articuli verba: quare nihil addo.

§. LXIX. *Tertia* parte, per modum conclusionis, & adplicationis thesios ad se & statum suum, leges Dei, quas ornamenta & instrumenta felicitatis adpellat, adfirmat

mat esse *justitiam*, seu normam justi judicii, & juris ad vitam fundamentum, in perpetuum, supplexque petit, ut Deus illud distincte se intelligere faciat, eo scopo & eo cum effectu, ut per diversam impiorum florentem, & piorum ac suam adflictam, conditionem non amplius perturbetur, sed consolatione fruatur, & plene liberetur, vers. 144. *Justitia* sunt *ornamenta tua in seculum*, *intelligere me fac*, *& vivam.* Quæ cum ex modo dictis clara sint, nec verba quid inpediti habeant; nihil observo.

§. LXX. *Decimanona* pericopa, vers. 145--152., *judicium* Dei, justum & æquum, quo inprobi hostes sint puniendi, ipse in libertate & prosperitate collocandus, de cujus dilatione proxima pericopa conquestus erat, & quasi expostulaverat cum Deo, certo non tantum, sed mox habendum & ante fores esse, declarat, rationibusque confirmat, ex clamore, quo vindicem inclamavit, & nunc cum fiducia inclamabat, Deo sese in primo diluculo diei vindictæ sistens, præterea ex signis propinquitatis judicis, quæ scelestorum consiliorum diuturnitas, & obstinatio, præbebat, cum Dei justitia comparata, denique ex perenni præceptorum Dei stabilitate, quorum itaque violatio vindicanda & observantia remuneranda erat, deductis. Qui pericopæ conspectus, sicut ex omnibus partibus, inprimis vers. 150, 151. sese offert, ita clavim præstat rectæ explicationis ejus. *Partes* itaque, ut ex dictis liquet, *tres* sunt. In *prima* parte declarat, se, sicut antea, ita nunc in primis, idque primo mane, post studiosam veracitatis Dei meditationem de nocte factam, Deum judicem & vindicem toto animo & cum fiducia inclamare, indicio, vindictam Dei esse in propinquo, cum Deus suorum clamores semper audiat, & tunc illi excitari soleant, cum mox exaudiendi sunt. *Primum* membrum paulo generalius est, quo, sese exauditionem & adfluxum Dei toto animo clara voce postulasse, & nunc quoque enixe petere, testificatur, addito fixo proposito statuta Dei observandi, in signum, se non esse

esse indignum, qui votorum compos fiat; vers. 145. *Clamavi toto corde; responde mihi Jehova! statuta tua custodiam.* (Serio, sincere, & summo studio clamavi, & clamo etiamnum, ut mihi, meisque desideriis, adnuas, opemque feras; nec sum indignus, cui succurras, cum statuta tua mihi ratum fixumque sit accurate adtendere & observare. Clamoris, ut videtur, materiam præbent voces, *responde mihi*, *observabo statuta tua*; cum alias reticeretur, quid clamaverit.)

§. LXXI. *Secundum* paulo specialius est, quo Deum servatorem & liberatorem, ad se in statu libertatis ac prosperitatis ponendum, inclamat, eodem, aliis verbis, addito proposito, vers. 146. *Inclamo te, serva me, & custodiam instructiones tuas* (magno studio, & cum fiducia, quippe servus tuus et legum tuarum studiosus, te advoco servatorem et patronum meum; dicens, adsere me in liberum felicitatis campum.) *Tertium* magis adhuc speciale est, et majorem continet fiduciam, ex meditatione promissorum Dei conceptam, quo citissimam liberationem, mox hoc ipso die faciendam, inplorat, seseque sibi promittere testificatur; instar clientis, qui primo mane sese patrono cum quiritationibus suis sistit, auxilium petens, posteaquam animum de nocte jam confirmasset, et de bona patroni erga se voluntate certiorem reddidisset, vers. 147, 148. *Officiose compareo in diluculo, & quiritor*, (sisto me tibi patrono et vindici clientem oppressum et quiritantem, tuamque vindictam inplorantem, compareo autem coram te officiose, et devote, idque primo diluculo auroræ, liberationem cito, et hoc ipso die, vel tempore, efficiendam petens; cum tempus opportunum, instar auroræ et lucis, ante fores sit. Hac omni emphasi donandas censeo voces, quibus poeta utitur. Verbum utique קדם absolute positum in Pih. proprie dicit *præmittere*, dein *comparere* coram principe, et gratiam ejus inplorare, pro more orientalium, quo id, promisso munere, faciebant. De

quo

quo alibi *a* dixi, et monuit Cl. Schultens *b*. *Comparendi* significatum amplexus quoque jam est Gejerus. *Diluculi* auroræ mentio fit, ad studium clientis quiritabundi, simul citissimi patrocinii necessitatem, et tempus opportunum, indicandum; non sine adlusione ad *auroræ*, et *lucis*, sensum figuratum, pro libertate et prosperitate. De verbo *vociferari*, seu *quiritari*, cum sæpe exposuerim, nihil dico.) *ad verba tua lentus exspecto* (cum fiducia patrocinium tuum inploro, quia in *promissis tuis*, quæ per *verba* Dei solent in hoc Ps. intelligi, spem habeo repositam,) *vigilias* (matutinas, ante diluculum) *præverterunt oculi mei* (evigilavi ante ipsum illud vigiliarum tempus) ad *discursandum in dicto tuo* (ut liberis meditationibus me in promissis tuis, eorumque certitudine, & instante inplemento, occupatum tenerem; eaque ratione spem & fiduciam meam alerem, meque tibi in primo diluculo sisterem, bene animatum, & de instante auxilio tuo persuasum.) *Vocem meam pro benevolentia tua audi Jehova! secundum judicium tuum vivere me fac* (hæc mearum precum, quas primo diluculo comparens cum fiducia fundo, summa est: querulas meas voces exaudi, Jehova, & *vitam* mihi concedas liberam, tutam ac prosperam, convenienter adfectui tuo benevolo erga me, & *judicio* tuo justo & æquo, quo inprobos, cum mensuram scelerum inpleverunt, punis, & adflictos pios tempore opportuno vindicas.)

§. LXXII. *Secunda* pars instans judicium Dei inde derivat, quod scelerati, destinatum suum consilium ad finem usque jam persecuti, & a lege Dei observanda ad ultimum gradum usque remoti, judicio Dei propinqui sint, & Deus quoque ad illud habendum adsit, vers. 150, 151. in priore membro. *Adpropinquarunt persequentes facinus, a lege tua longe remoti sunt: propinquus tu es, Jehova!* (facinus suum inprobum, destinato consilio, & animo obstinato, quam notionem continet vox זמה, ut sæpe notavi, tantopere perse-

a Ad Ps. XXI: 4. *b* Ad Job. III: 12.

persecuti sunt scelerati, ut mensuram inpleverint, & ad judicium subeundum pervenerint, a lege tua ad ultimum terminum usque longissime remoti; tuque, Jehova! a judicio exercendo prope absis. Sceleratorum & Dei *propinquitatem* absolute positam referendam esse censeo ad judicium, cujus modo facta erat mentio; voce itaque illa ex præced. repetita, & mente intellecta: adeo ut sensus sit, illos, mensura scelerum plena, & legis observantia longissime ad finem usque spreta, judicio esse maturos, & Deum, qua judicem, adesse ad illud pronunciandum, ac executioni mandandum. Qua ratione cuncta sunt facilia, & scopo ac nexui orationis congrua. Cum enim scelerum sectatores absolute dicantur *adpropinquasse*, & Deus quoque *propinquus*, modo vero ad *judicium* Dei provocasset poeta: eo illam adpropinquationem respicere, facile patet.)

§. LXXIII. *Tertia* pars illud ipsum a stabilitate, ac perpetua duratione, præceptorum ac institutorum Dei repetit, cum illa sine hoc judicio subsistere nequeat: nisi enim Deus tales legum transgressores puniat, & observatores oppressos vindicet, actum foret cum lege Dei. Verba ita habent, vers. 151. in membro posteriore, & 152. *&*, vel *etiam*, *universitas præceptorum tuorum est veritas*, vel *firma stabilitas* (firmo quoque talo stant omnia tua præcepta, nullo modo loco movenda, adeoque a te tutanda, & vindicanda, ne inter homines deficiant.) *Antiquitatem novi de ornamentis tuis*, novi *quod in perpetuum fundaveris ea* (leges & instituta tua, veræ felicitatis ornamenta & instrumenta, probe novi, & animo reconditum habeo, esse & antiqua, dudum viguisse & stetisse, & vim ac autoritatem habitura in æternum, secundum tuam fundatissimam institutionem & ordinationem. Duo tantum notanda habeo, *unum*, vocem קדם *anterioritatem*, & sic antiquitatem construendam esse cum מעדתיך *de institutis tuis*, ita ut eorum adtributum constituat, sensusque sit, instituta Dei

esse

esse antiqua; præpos. מ, ex מן *ex*, *de*, autem hic cum emphasi abundat, ut alibi *a* observavi. *Alterum* est, in posteriore membro repetendum esse verbum *cognovi;* ut in versione expressi: quod facillimum est.)

§. LXXIV. *Vigesima* pericopa, vers. 153--160. cum præcedente connexa, & ad eam uberius deducendam subjuncta, *preces* in primis, obiter tantum ibi insertas, & summatim traditas, fusius exponit, & rationibus moventibus a pietate sua, jam satis explorata, ac hostium inemendabili inprobitate, Deique justitia, veracitate & gratia, petitis, urget. Partes vero *tres* sunt. *Prima* citissimæ liberationis, & litis cum adversariis decisionis, supplicationem continet, convenienter pietati suæ, & promissis Dei, vers. 153, 154. *Micante oculo intuere adflictionem meam, & extrahe me, quia legis tuæ non sum oblitus* (cum legis tuæ studiosus sim, nec in mediis adflictionibus me inde fuerim passus abstrahi, adeoque me probatum demonstraverim servum tuum: supplex peto, ut tandem finem iis inponas, easque tanquam judex oculis micantibus intuearis, meque potente manu extrahas. In oculis habet præcedentes adflictiones sub Saulo, easque eo jam esse adductas indicat, ut tempus sit eas finiendi, cum satis exercitus & probatus videri possit, & inprobitas hostium requirat *visitationem* Dei, qua justi judicis, qui ad *videndum* sese adcingere dicitur, cum tempus opportunum judicii exercendi advenerit. De quo verbi *videre* usu egi ad Ps. XIV: 2.) *Litiga litem meam & redime me, ad*, vel *secundum*, *dictum tuum vivifica me*, (instar patroni & vindicis mei causam meam age contra litigatores meos, qui me sinistris ac malignis suspicionibus & accusationibus onerant, & tanquam sceleratum insectantur, ac ad necem quærunt, me ab iis iniquis actionibus liberando, & hostes pudore confundendo; quod & Ps. XXXV: 1. eadem phrasi, ibi explicita, expressit, dicens, *causam meam age contra contendentes mecum;* eaque ratione

a Ad Ps. XII: 9.

ratione me libere, tuto, ac prospere, fac vivere, *convenienter promisso tuo:* quod hic est *vivificare ad dictum tuum.*)

§. LXXV. Urget preces suas, quæ *secunda* pars est, pro liberatione & felicitate sua ex eo, quod secundum justum & æquum Dei judicium salus non nisi ab inprobis sit remota, misericordiæ vero Jehovæ multiplices sint super piis, vers. 155, 156. *Longe remotum quid est salus ab inprobis, quia statuta tua non requirunt* (veritas est notoria & generalis, salutem qualemcunque non nisi ab inprobis esse alienam, quia statuta Dei a se removent, ea nec inquirentes, nec consulentes, nec observantes; quod omne involvit verbum דרש. Concinit sententia Salomonis Prov. xv: 29. *longe remotus est Jehova ab inprobis.*) *misericordiæ tuæ spissæ* sunt, *Jehova!* (nec minus verum & testatissimum est, multas & magnas esse miserationes tuas, quibus ex intimo adfectu bene vis & copiose benefacis piis, & statuta tua requirentibus. Quod mente intelligendum est & addendum ex superioribus per legem oppositionis; sicut Prov. xv: 29. expresse habetur, *& precationem justorum audiet*,) *secundum judicia tua vivere me fac* (ejus cum sint naturæ judicia tua, quibus præmia & pœnas dispensas, ut ab inprobis removeatur salus, piis autem copiosa fiat misericordia; hoc nixus fundamento a te submisse, sed fidenter quoque, peto, ut me liberum & felicem præstes. *Judicia* itaque Dei sunt, quibus bonis bene, malis male facit; seu inprobos salute privat, & pios misericordia prosequitur.)

§. LXXVI. Subjungit, quæ *tertia* pars est, innocentiæ & pietatis suæ testificationem & demonstrationem, eo scopo, ut se non ad inproborum, a quibus salus est remota, sed piorum, quorum Deus miseretur, classem pertinere, adeoque se jure a Deo supplicasse vivificationem secundum hæc æqua Dei judicia; evincat, vers. 157-159. *Tria* vero profert argumenta, quibus pietatem suam demonstrat. *Primum* inde repetit, quod, a multis & poten-

tibus licet acerrime infestatus, & sæpe ad incitas redactus, nihil ab institutis Dei desciverit, adeoque pietatis suæ sufficientia dederit testimonia, vers. 157. *Spissi* [multi & potentes; quales רבים adpellari solent] fuerunt *persecutores mei et arctatores mei* [qui me vehementer insectati sunt, & subinde ad incitas redegerunt, uti sub Saulo factum est; quo hic respicitur; adeoque de præterito, non tam præsente, suo statu loquitur] *ab institutis tuis non declinavi* [nullis violentiis, periculis, angustiisve, me a legum tuarum studio & observantia passus sum abripi; adeoque tentationes omnes superavi, meque probatum tuum servum præstiti, & virtutem meam, quippe per adflictiones exploratam, satis adserui. Eo enim verba, ut dixi, tendunt.]

§. LXXVII. *Secundum* a tædio & fastidio disrumpente, vel intensissimo, ex prævaricatione transgressorum legis Dei, cum eam viderit, concepto, desumtum est, claro & certo quippe indicio animi leges Dei amantis, & earum studiosi, vers. 158. *Vidi perfidos* (malum in animo occulte *foventes*, indeque ad perniciem aliorum promentes, cum *matura* est res, & occasio favet; quales sese Saulus & aulici erga Davidem quoque præstiterunt. De verbi בגד originali potestate *fovendi*, indeque orta notione *perfidiæ*, alibi *a* dixi,) *& tædio ac fastidio disruptus fui* (ingentem animi dolorem, & aversationem inde concepi, adeo ut discruciatus fuerim, & fere disruptus. De quo verbi קוט significatu vid. Cl. Schultens *b*,) *qui dictum tuum non custodierunt* (legem tuam susque deque habuerunt, omnem perfidiam tam severe vetantem, & virtutem ac charitatem & sinceritatem inperantem.) *Tertium* a visitatione & exploratione sui, quam a Deo fieri vult, derivat, cum tale quid petere bonæ conscientiæ sit manifestum indicium, vers. 159. *Vide me mandata tua diligere, Jehova! secundum benignitatem tuam vivifica me*, (explorando me & intimas meas

a ad Mal. II: 10, & Jer. V: 11. *b* ad Job. X: 1.

meas adfectiones inspiciendo, videas me mandatorum tuorum esse studiosum. *Videre* Dei hic est explorare, & intuendo cognoscere, ac agnoscere: uti Ps. cxxxix: 23, 24. ubi plura de eo dicam. Ceterum posterius membrum, licet postremo argumento sinceræ pietatis adjunctum, ad superiora, eodem tendentia, etiam respicit, adeo ut, pietate sua tot modis comprobata, eo nixus fundamento supplicet vitam lætam & jucundam a Deo, non ex merito suo, sed gratia Dei. Quæ satis facilia sunt.)

§. LXXVIII. Terminat pericopam eodem modo, sensu & scopo, quo superiorem, his verbis vers. 160. *Caput*, sive *initium* aut *summa*, *verbi tui* est *stabilitas*, *& in æternum* est *universitas judicii justitiæ tuæ*. h. e. Verbum tuum, quo voluntatem tuam nobis declarasti, vel mox ab initio, quo prolatum est, vel totum, est ipsa firmitas; nullo tempore aut modo mutatum, eritque totum quantum justum tuum judicium in æternum; plane sicut vers. 152. habuimus. De ambiguo quid trahit vox ראש *caput*, cum & *summam*, & *initium*, denotare possit: alterutrum enim hic omnino, vel utrumque, obtinere debet, ac potest. Si *summam* vertas, sensus erit, verbum Dei in *summa* sua tota ipsam esse stabilitatem, cui robur addit, quod mox כל *universitas* judiciorum Dei quoque memoretur. Sed si *principii* notionem adoptemus, dicet, verbum Dei statim, in ipso initio suo, fuisse tale, ita ut illud mutare, aut emendare, non fuerit opus, nec etiam loco moveri potuerit.

§. LXXIX. *Vigesima prima* pericopa, vers. 161.-168. intimas animi sui *adfectiones*, ex instante rerum mutatione, qua persecutores suos videret punitos, & se plena donatum libertate, quam in præcedentibus pericopis prope adesse declaraverat, & precibus confirmaverat, ortas, & ad eam relatas, exponit, *horroris* circa judicium severum in hostes, *gaudii* exsultantis super promisso Dei sibi facto, *certæ* denique *exspectationis* salutis suæ; inserta, pro mo-

 re,

re, amoris sui erga legem Dei, ejusque observantiæ semper præstitæ, testificatione. *Tres* itaque ejus partes sunt pro triplicis generis *adfectionibus*, quas ordine repræsentat. *Primam* respectu sententiæ judicialis in persecutores suos a Deo latæ, & mox executioni mandandæ, in submisso pavore & horrore animi sitam, his verbis, ut puto, explicat, vers. 161. *Principes me gratis persecuti sunt, & præ verbo tuo pavore horrido correptum est cor meum.* h. e. Horret animus, nec sine pavore sese submittit, dum sententiam tuam condemnatoriam in viros dignitate & potentia eminentes, qui me sine causa, quippe innocentem, summa injuria, contra mea merita, acerrime sunt persecuti, jam pronunciatam, & mox exsequendam, ad animum revoco. Sermo est ellipticus in priore membro, ex posteriore facile supplendus, cum hoc, recte intellectum, pro hypothesi habeat, persecutores esse gravi poena adficiendos. Cum enim mox subjungat, se *præ verbo Dei pavore* esse adfectum, haud obscure indicat, sententiam condemnatoriam, causam quippe *horroris*, in principes hosce persecutores esse latam. Sermo, suppleta ellipsi, hac, vel simili, ratione flueret: *principes me gratis persecuti sunt*, ac terribile tuum judicium experientur, cujus causa tremiscit cor meum. *Verbum* itaque Dei, quod ipsi *pavorem* trepidum incussit, aliud esse nequit, ac quo principes persecutores, modo memorati, ferirentur, & condemnati poena gravissima adficerentur. Quem usum judicialem verbum & nomen דבר haud infrequenter habet, sive sit controversiam judiciariam agitare, & litem deducere, sive sententiam condemnatoriam pronunciare; ut Jer. I: 16. LII: 9. Ez. XXXVI: 5. & alibi. De quo sæpe egi. Utriusque, & litigationis, & condemnationis, ratio hic recte habetur, cum & supra vers. 154. petierat, ut Deus *suam litem litigaret.* Ceterum, cum ejus causa se pavore & horrore esse adfectum declarat, litis & sententiæ Dei severitatem, ejusque terribilia effecta, simul commiserationis suæ adfectum,

ctum, homini proprium, exponit: ficut Prophetæ fubinde quoque fecerunt, etiam refpectu gentilium, populi Dei hoftium, uti Jef. xv: 5. xvi: 9, 11. Jer. xlviii: 31. & alibi. Interpretes longe aliter in pofteriore membro inftituunt, fed nihil phrafi & nexui congruum adferunt. De quo hic agere non licet.

§. LXXX. *Secundam* adfectionem, longe diverfam, *gaudii* exfultantis & victoriofi, ex promiffo Dei, mox inplendo, adeoque ex bono, quod fibi contingeret, natam, tradit, verf. 162., & ex ftudio legis divinæ, quo flagrabat, confirmat ac illuftrat, verf. 163, 164. Ipfum *gaudium*, quo adfectus erat, cum ejus caufa, his verbis profert, verf. 162. *Summopere lætor fuper dicto tuo, inftar ejus, qui multum reperit fpolium.* h. e. Sicut perfecutorum meorum, fententia tua terribili puniendorum, refpectu pavore & horrore corripior; ita, mei ratione habita, & ad meam fortem refpiciens, fummo, eoque victoriofo, adficior gaudio, ex confideratione promiffi tui, mox inplendi, orto, quo omni bono copiofe fruar, adeo ut meum gaudium, & gradu & natura, haud abfimile fit ejus, qui multo fruitur fpolio. Ad cujus paraphrafios intellectum notandum eft, 1. pronomen *ego* expreffe additum effe, ut fe nunc de fuo ftatu agere, oppofite ad principes perfecutores, indicaret, 2. *gaudium* intelligi feroculum & victoriofum, quæ vera eft verbi שׂושׂ emphafis, ab *oculo obliquato*, quæ propria ejus eft notio *a*, fumpta anfa, adeoque infinuare, ftatum ejus fore hoftibus fuperiorem, & triumphabundum, cujus caufa tantopere lætabatur, 3. *dictum* Dei hoc loco, ut fæpe in hoc Pf., & alibi, effe *promiffum* Dei, ipfi factum, nunc inplendum; denique 4. comparationem cum gaudio *invenientis copiofam prædam*, tendere quidem ad fummum gaudii gradum indicandum, uti Jef. ix: 2. & fupra verf. 14. fed fimul infinuare, fimile bonum & fibi effe concedendum, cum qualicunque gauderet profperitate, &

שׁוּ *a* Vid. Schultens ad Job. iii: 23. & Prov. xxiii: 24.

& libertate, hostibus omnibus superatis, & eorum bonis ad se translatis; sicut Davidi notum est contigisse.

§. LXXXI. Subjungit odium suum cujuscunque falsitatis, & amorem legis divinæ, ejusque signum in diurno suo exercitio, quo Deum propter justas & æquas ejus leges laudavit, cum ut, se gratis & sine causa passum esse persecutionem, demonstraret, tum ut, sese non esse indignum, declararet, qui promissum Dei consequatur, vers. 163, 164. *Falsitatem odi, & aversor valde, legem tuam diligo* (omnem hypocrisin, mendacium, & injustitiam odio habeo, & vehementer detestor, legem quippe tuam, fugiendorum & faciendorum normam, amo, meque ad eam componere gestio. vid. vers. 29, 30.) *Septies de die laude te propter judicia justitiæ tuæ* (in signum amoris mei erga legem tuam profero quotidianum meum exercitium, quo sæpius de die corusca laude te celebro, quod tam justa dederis & æqua jura. Quæ satis expedita sunt.)

§. LXXXII. *Tertiam* animi adfectionem, in spe & *exspectatione* salutis ac liberatione Dei sitam, una cum ejus fundamento, in pacifica conditione amantium legis Divinæ posito, repræsentat, vers. 165--168. Ubi generalem thesin, fundamenti instar, præmittit, vers. 165. *Pax copiosa amantibus legis tuæ* competit & contingit, *& non*, vel *ita ut non*, sit *iis ullum offendiculum* (legis tuæ studiosis, eamque accurate & ex animo observantibus, non potest non contingere, solet quoque, ut pace & prosperitate tandem fruantur, omni periculo lapsus & infortunii sublato. Convenit dictum Davidis ad Salomonem. Ps. XXXVII: 37. *Observa integrum, & considera rectum, quod postremum ejus sit pax*, &c. ubi vid. dicta.) Applicat hanc thesin ad se, legis quippe Dei studiosum cultorem, & eo fundamento suam exspectationem superstruit, vers. 166--169. *Exspecto* prospectans *ad salutem tuam, Jehova! & præcepta tua facere* (cum præceptorum tuorum studiosus sim observator, adeoque jus ad pacem sine offendiculo, amantibus legis tuæ

tuæ repositam, habeam, salutem illam tuam, seu liberationem meam ab omni qualicunque malo, a Te procurandam, adcurate considero, adpeto & exspecto, tanquam mihi competentem, & inveniendam. Quam sensus amplitudinem continet verbum שׂבר, de quo ad Ps. CIV: 27. monui, & uberius agam ad Ps. CXLV: 15.) *Custodit anima mea instructiones tuas*, *easque diligo valde* (cum summopere amem tuas leges, ad felicitatem me instruentes, eas animo continuo conservo præsentes, ut in omni mea conversatione mihi semper præsto sint) *observo mandata tua & instructiones tuas* (ipso facto etiam præsto leges tuas, quas amore complecti, & animo insitas habere, modo adfirmavi.) *quia omnes viae meae coram Te sunt* (vel tibi notæ sunt & observatæ, vel tibi curæ cordique, prout cum proxime præcedentibus, vel paulo remotiore vers. 166. *exspectare* salutem Jehovæ, construantur verba. *Posteriore* ratione sensus erit, se & eo nomine sibi promittere liberationem, quod *omnes suae viae*, quas calcavit, omnia sua fata, a Deo ex amore curentur & dirigantur; quod non nisi in *salutem* suam exire poterit. Quo sensu phrasis *coram Deo esse* sumitur Ps. LXXXIX: 37. Jes. XLIX: 16. & alibi, sicut &, quod Deus *nosse dicatur viam justorum*, Ps. I: 6. & alibi. *Priore* vero ratione, vel sinceritatis suæ in modo data professione erit demonstratio, in provocatione ad Dei scientiam sita, ut sensus sit, me tua præcepta observare ex vero dixi, & tu probe nosti, *quia omnes meae viae* coram te sunt, tibi probe notæ & exploratæ, uti Ps. CXXXIX., vel ratio dabitur, quare præcepta Dei tam accurate observaret, inde petita, quod coram Deo, omniscio & omnipræsente judice, ambularet; cui itaque vias suas adprobare debeat, & gestiat: sicut in phrasi *coram facie*, aut *oculis*, Dei ambulare.)

§. LXXXIII. *Vigesima secunda*, & ultima, pericopa, vers. 169--176., per modum conclusionis, preces, in superioribus fusæ, supplicat, ut Deo gratæ sint acceptæque,

que, ac sortiantur effectum in se eripiendo, propositum Dei propterea celebrandi repetit, denique preces ipsas, quas protulerat, summatim profert, & recapitulat. Sunt itaque *tres* pericopæ partes. *Prima* exauditionem precum, supra factarum, continet, vers. 169, 170. *Adpropinquet querula mea vociferatio* (vox enim רנה, cujus proprietas est, a sono ficta, in *tremulo* & *tinnulo*, æque ad tristem & querulum, ac lætum sonum transfertur, uti Ps. XVII: 2. CXLII: 7.) *coram te* (sit admissa, & tibi grata, ut effectum nanciscatur) *Jehova! secundum verbum tuum intelligere me fac* (convenienter promisso tuo, a Te quippe *Jehova*, verace justo & bono, certo certius inplendo, me, vel *intelligere* fac coram Te accessisse querelas meas, ut de eo certus consolationem percipiam, vel sapientem me fac & prudentem, ut res meas ita instituam, ut votorum compos fiam. In quo si acquiescere quis nequeat, nihil rectius suppetit, quam ut pro הבינני legat הכינני *firmum me fac*, in tuto & stabili statu me pone: quod forte cum seq. versu, eodem modo desinente, aptius convenit, etiam supra vers. 5. habuimus.) *Intret supplicatio mea coram te* (penetret in sacrarium tuum, ubi resides, & audire ac benigne recipere soles preces tuorum: quo verbum בוא *introire*, opposite ad *foras*, ducit; ut sæpe notavi) *secundum dictum tuum* (seu promissum, ut sæpe habuimus) *extrahe me* (ab omni angustia, violentia, & miseria me libera, potente manu tua exserta: sicut sæpe supra oraverat.)

§. LXXXIV. *Secunda* parte propositum Deum, precibus auditis, & liberatione præstita, propterea laudandi, quod sæpe testificatus erat in superioribus, renovat & amplificat, vers. 171, 172. *Ebullient labia mea*, vel *scaturiendo proferent copiose*, *coruscam tuam laudem* (gloriosas tuas perfectiones & virtutes, in legibus & operibus tuis conspicuas, copiosa oratione & carminibus, nobiliore vena fluentibus, celebrabo. Verbum enim נבע, proprie *scaturire*

a Schultens ad Har. conf. 1. p. 11.

rire cum crepatione, e ſono fictum, utrumque comprehendit, de quo ad Pſ. CXLV: 7. dicam) *quia docebis me ſtatuta tua* (ut ea in omni complexu, amplitudine & *mirabilibus*, ſeu ſenſu reconditiore, cognoſcam, & præſtem; quod ſicut te facturum eſſe confido, ita me ad laudes tuas canendas aptum reddet, & excitabit.) *Fluendo proferet lingua mea eloquium tuum* (copioſa oratione & ubere fluxu verborum enarrabo, etiam cantabo, eloquia tua. Origo verbi ענה eſt in *fluendo*, unde inter alia tranſiit ad fluxum verborum, & cantationem *a*.) *quia omnia praecepta tua* ſunt *juſtitia* (æqua, juſta, bona; adeoque quavis laudatione ac celebratione digna.)

§. LXXXV. *Tertia* parte repetit, paulo diſtinctius, preces, ſæpe antea memoratas. *α. Prima* petitio, una cum ratione movente exauditionis, his verbis profertur, verſ. 173, 174. *Sit manus tua* (ſeu promte & firmiter ſeſe exſerat) *ad mihi opem ferendam* (me ſuſtentando, ne ſuccumbam, & patrocinium præſtando, ſimul perfecte liberando, & omni bonorum copia donando: quæ verbi עזר nota eſt emphaſis, origine ſita in *copioſo fluxu*, & *abundantia*, uti in ubere animalis largiter fluente *b*,) *quia mandata tua ſelegi* (excerpſi mihi tanquam optima & opima.) *vehementer deſidero ſalutem tuam, Jehova!* (animo æſtuante feror in omnem illam felicitatem hujus & futuri ſeculi, quam tu, *Jehova!* qua talis promiſiſti, & piis tuis concedis: nulla enim ratio eſt vocem *ſalutis* reſtringendi. De verbo תאב ſupra, verſ. 20, 40. expoſui.) *& lex tua eſt ſumma mea oblectatio* (unica quippe ad hanc felicitatem conſequendam via.)

§. LXXXVI. *β. Secunda* petitio ita habet, verſ. 174. *Vivat anima mea*, (vita fruar diuturna, læta & proſpera) *& laudabit te* (ut laudet, ſicut faciet, anima mea; ſcopum, ſimul propoſitum petitionis pium, & ſibi ſalutare, indicat.)

a Vid. Cl. Kuypers Diſſ. Acad. ad V. T. loca p. 19.
b Rev. Lette ad Jud. v: 23.

cat.) *et judicia tua mihi copiose adfluant* [materiam laudationis mihi abundanter præbeant, meque quovis bono donent, sive *judicia* tua, quibus præmia & poenas dispensas, sive *jura* tua, justa & æqua, a me observanda, & meditatione in succum & sanguinem vertenda. Eum enim verbi עזר significatum, in *copioso fluxu* situm, modo observatum, hic adoptaverim.) *γ*. *Tertia* denique petitione omnia desideria complectitur, & concludit, vers. 176. *Oberravi instar ovis pereuntis, require servum tuum, quia præceptorum tuorum non sum oblitus.* Aberrant, meo judicio, qui ad moralem aberrationem a via virtutis & pietatis referunt, quia totus Ps. contrarium spirat; ipsum illud *aberrare a lege* Dei a se removet, vers. 110. & mox addit, se præceptorum Dei in ipsa hac oberratione fuisse studiosum: adeoque rectius instituunt, qui de statu calamitoso & periculoso cogitant, quo quis a societate civili & religiosa resectus, domo & opibus excussus, incertis sedibus quaquaversum vagatur, & quibusvis discriminibus vitæ, ac hostium insidiis, est expositus, instar *ovis*, a grege & caula avulsæ, & pastoris cura orbæ, oberrantis, & variis modis facile perituræ. Qui status Davidis fuit tempore fugæ sub Saulo: uti constat. *Ovis* autem אבר est, vi verbi, cujus proprietas est in *secando*, scindendo, & ita corrumpendo, quod jam notavit Rev. Abresch *a*, quæ, uti observo, superest, Ezech. VI: 3. & Ps. XXXII: 13. quæ, ut dixi, a grege & caula *resecta*, vagatur sine pastore, ac facile *laceratur* ac perit. Cum autem supplicat, ut Deus ipsum *quærat*, liberationem ab hoc statu, & restitutionem plenariam, qua in tuto collocatus, societati civili ac religiosæ redditus, secundum vota vivere, & bonis promissis sub tutela Dei gaudere possit, eum in oculis habuisse, facile patet; nec uberiore explicatione opus habet. Conf. Jer. XXIII. & Ezech. XXXIV.

a Specim. Philol. ad Obad. 1. p. 88.

PSALM.



PSALM. CXX.

1. *Canticum graduum*, vel *adſcenſionum. Jehovam, cum in ſummis eram anguſtiis, invocavi, & exaudivit me.*
2. *Jehova! extrahe animam meam e labio mendace, & lingua doloſa.*
3. *Quid dabit tibi, & quid adjiciet tibi? o lingua jaculatrix!*
4. *Sagittas herois acutas cum prunis geniſtarum.*
5. *Vae mihi! quod diverſer Meſech, habitem apud tentoria Kedar.*
6. *Plus quam ſatis habitavit anima mea cum pacis oſoribus.*
7. *Ego ipſa pax* ſum, *ſed ſtatim ac loquor, ipſi ad bellum.*

PROLEGOMENA.

§. I.

EX Pſalmi inſcriptione, quam cum aliis quatuordecim ſequentibus habet communem, nihil aliud lucramur, ac fuiſſe cantilenam popularem & liberiorem, certis numeris minus adſtrictam, nec ad muſicæ leges adeo compoſitam, ore etiam magis quam inſtrumentis canendam. Tale enim odarum genus vox Hebr. שיר exprimere ſolet, in quo ab alia voce מזמור, quæ *Pſalmum* dicit, carmen numeris alligatum, & majore cum arte compoſitum, diſtinguitur. Altera vox המעלות, quæ inſcriptione continetur, ſi-

ve vertas *graduum*, ſive *adſcenſionum*, adeo in obſcuro jacet, & diverſiſſimis præterea Interpretum conjecturis obſcurata eſt, ut ejus inveſtigatio tædium quidem, nullum vero fructum, parere queat. Vulgata eſt opinio, 15. gradus, quibus ab atrio mulierum ad illud Iſraelitarum adſcendebatur in Templo II., originem huic inſcriptioni dediſſe, acſi a Levitis in illis gradibus cantari fuiſſent ſoliti. Sed, præterquam, quod unico Miſnæ teſtimonio *a*, tanquam fundamento, quod nemo neſcit quam ſit leve, & eſt præterea ſenſus loci in hanc rem minus liquidus *b*, innitatur, nec atrium mulierum ab illo virorum diverſum, nec totidem gradus demonſtrari queunt. Contra, in Templo Ezechielis, atrium exterius 7, & interius 8, habuit *gradus*, qui cum 15 faciant, ad eos gradus hi Pſ. rectius referrentur; modo caveatur, ne *Levitis*, tanquam publicis cantoribus, adſtringantur; potius populo, quam Levitis, cantandi deſtinati ſunt, in uſum privatum magis, quam publicum. Sunt enim *cantilenæ* liberiores & populares, nec *præcentoris* hic ulla ſit mentio.

§. II. Quod Coccejus conjectavit, titulum *aſcenſionum* ad varias gradationes fatorum N. T. eſſe referendum, quibus Eccleſia Chriſti ab usque initiis ad perfectionem tenderet; nimis ſubtile non tantum & remotum eſt, ſed & ab argumento & ſcopo harum odarum abhorrens, ut ex ſingularum pertractatione patebit; ne nunc dicam, plures alios Pſ. hoc titulo fore inſigniendos ex hypotheſi Cl. Viri.

§. III. Mihi nihil ſolidi de titulo dici poſſe videtur, cum nimis generalis ſit. Vox enim *adſcenſionum* abſolute poſita ad varia referri poteſt, ex. gr. ad *tonum* elevatiorem, quemadmodum Pſalmi *ſuper Alamoth*, qui eſt tonus *virgineus*, quæ voces עלמות & מעלות *Alamoth* & *Maaloth* non niſi transpoſitione unius litteræ differunt, præterea ad *animum* erectum, ejusque *elevationes* ad Deum in precibus & medi-

a Cod. Midd. c. 2. & Succ. c. 5. *b* Vid. Cl. Vriemoet in disp. ad Pſ. CXXXIII.

meditationibus ſacris reſpici potuit, cum *cogitationes cordis* dicantur *adſcenſiones*, Ez. XI: 5. Denique adſcenſiones Israelitarum ad Deum Hieroſolymis in Templo colendum hic in cenſum venire quirent, maxime cum odæ hæ aptisſime in Israelitas ad Templum adſcendentes quadrent: uti CXXII, CXXV, CXXVII, CXXXIII. & aliæ. Quicquid ſit, *cantica adſcenſionum* eſſe poſſunt animi, in Deo erecti, piæ & ejaculatoriæ meditationes eorum, qui Hieroſolymam & Templum adſcendebant ad Deum ritu præſcripto honorandum & colendum, prout cujusque pii & Deo devoti conditio requirebat.

§. IV. Noſtro cantico, ut ad ejus *argumentum* progrediar, perſona pia & pacifica in ſcenam prodit, quæ, a calumniatoribus, iisque hypocritis & pacis oſoribus, potentiſſimis diu vexata, loco cedere coacta erat, & incertis ſedibus vagari debebat, ut perſecutiones violentorum in terra graſſantium evitaret. Quo in ſtatu preces, quibus liberationem ſuam cum calumniantium oppreſſione petit, ad Deum fundit. Perſona, ut ejus lineas paulo accuratius ducam, hic ſiſtitur, 1. pia & pacis ſtudioſiſſima, verſ. 7. 2. atrociſſimis calumniis petita, quibus *bellum* concitabatur in ipſam, verſ. 2, 7. 3. ab hominibus violentis & ſummam rei tenentibus, ſive dominantibus & graſſantibus, adeo ut ſalva vita & fama in terra ſua manere nequiret, verſ. 2, 5. 4. Quæque illis violentiis mota, ut diuturnas vexationes effugeret, vaga & errabunda huc & illuc diſcurrere neceſſe habebat, & latibula quærere, verſ. 5. Denique 5. quæ tandem de hoſtibus ſuis triumphavit, hoſtesque *telis* juſtitiæ Divinæ ſecundum prædictiones ſuas vidit oppreſſos, verſ. 3, 4.

§. V. Methodus *verbalis*, qua hoc argumentum exequitur, eſt concinna & egregia, quæ animi in Deo erecti, & vividi afflictionum ſenſus indicia præbet. Primo ſeſe in precibus ad Jehovam vertit, ejusque liberationem implorat ex calumniatorum poteſtate, mox hoſtes adloquitur,

quitur, iisque ſeveriſſimam vindictam denunciat; inde in acerbiſſimas erumpit querelas de afflicto ſtatu, in quem per calumniatores & perſecutores erat redactus, ut incertis ſedibus vagari neceſſe habuerit. Denique rationem pandit, quæ oberrationes illas ſuas peperit, nulla ſua culpa, ſed diuturnis impiorum vexationibus ad id compellentibus. Cætera, *ſtylus* nihil habet ſingulare, niſi quod inſignioribus figuris, ut luminibus, ſit diſtinctus, & valde emphaticus.

§. VI. Hinc *analyſis* ſponte ſeſe offert. Poſt prologum verſ. 1., de quo mox, I. *primo* occurrunt preces pro liberatione a labiis falſis & lingua doloſa, verſ. 2. II. *Secunda* pars continet denunciationem ſeveriſſimæ vindictæ hoſtibus illis infligendæ, verſ. 3. 4. III. *Tertia* parte querelæ occurrunt de præſente oberratione, verſ. 5. IV. Cujus rationes, a diuturna vexatione impiorum repetendas, pars *quarta* pandit, verſ. 6, 7.

§. VII. Circa *Tempus*, quo canticum a poeta factum eſt, dubium aliquod oritur ex vero verſ. 1. conſpectu, num ſc. in ipſa illa vexatione compoſitum ſit, an poſtquam ea eſſet ereptus. Verſus enim primus, vel ſummam poteſt continere totius cantici, vel fundamentum exauditionis precum. *Prius* ſi obtineat, preces ſeq. ad *illas anguſtias* pertinebunt, in quibus fuſæ erant, & ex quibus nunc vindicatus erat poeta. *Poſterius* ſi locum teneat, verſus primus ad ſuperiores & præteritas anguſtias reſpicit, ex quibus ereptus olim, nunc ſolidum habebat fundamentum, cui novæ preces inniti poterant, de quo ſuo loco.

ANACRISIS.

§. VIII. Altioris eſt indaginis, & utilioris disquiſitionis, verum Pſ. *ſubjectum*, ſeu *perſonam*, ejusque *ſtatum*, cui hæc ode convenit, definiviſſe: unde ejus intellectus cum

maxi-

maxime dependet. Cum *Auctor* Pſ. penitus in obſcuro ſit, & argumentum ſeſe ad plures perſonas transferri patiatur, *ſubjectum* ex mente poetæ determinaſſe, eſt longe difficilius. Sunt, qui de *Davide*, vitam vagam metu perſecutionis Sauli agente, cogitant, nec adeo male, ſi canticum rite explicetur. Characteres enim perſonæ ſupra poſiti in Davidem non male quadrant. Fuit ipſe vir pacificus, calumniis aulicorum Sauli continuo petitus, & propterea vitam quietam relinquere ac incertis ſedibus vagari coactus, qui ſenſus eſt verſus 5., ut ſuo loco patebit. Ipſe denique inſidiatores ſuos vidit judicio Divino oppreſſos, ſeſeque ex anguſtiis in locum apertum & editum eductum. Objici quidem ſolet, Davidem non in tentoriis *Kedarenorum* habitaſſe, ſed ſpeluncis; verum ex prava verſ. 5 interpretatione id ortum eſt, quippe cujus ſenſus eſt, Davidem incertis ſedibus oberraſſe inſtar Kedarenorum in tentoriis habitantium: de quo mox. Illud fortius hanc opinionem oppugnat, quod belli contra hanc perſonam moti cauſam & occaſionem in primis dediſſe dicantur ejus *verba* & *ſermones*, quod de Davide minus conſtat, contra, cum Davidi commercium ſermonis intercederet cum Saulo, tantum abeſt, ut Saulus fortius in ipſum concitatus ſit, ut mitiorem ſemper animum induerit, & ab ipſo vexando abſtinuerit. Multum fateor imminuetur difficultas, ſi ſtatuatur, verba Davidis innocua in malam partem rapta ſæpe anſam dediſſe calumniandi, acſi regnum ambiret, quæ cauſa perſecutionis fuit; dein Saulum identidem quidem fuiſſe mitigatum, ſed calumniatores ſemper acrius inſtitiſſe, ita ut, quo magis ipſe leniret molli oratione Saulum, illi, in deterius verſo ſermone, majores nervos ad Saulum incitandum intenderint: quæ veriſſima ſunt. Addi poteſt, verſ. 7*mum* potius in Davidem adhuc in aula Sauli verſantem, quam exulem convenire, ut ſeq. docebunt. Ergo nulla graviore premitur difficultate, ac quam nomen *Davidis* in titulo neglectum præbet, cum probabi-

le

le minus videatur, ejus nomen oblivioni fuiſſet tradendum, ſi eum auctorem habuiſſet Pſalmus. Sed nec ea tanti eſt, cum non deſint Pſalmi, titulo ſeu nomine ejus carentes; qui ipſum tamen autorem habent; ut ex Commentario noſtro conſtat.

§. XI. Videamus, num verior adferri queat hypotheſis. Miſſis, qui de Judæis in exilio Babylonico cogitant, cum nullum ejus criterium occurrat, plura ei contraria, nihil enim de calumniis Judæis tum impactis, nihil de iis tanquam cauſa perſecutionis, nihil de bello contra ipſos moto, ergo, iis miſſis, aliorum nunc ſatis recepta opinio, qua Eccleſiæ N. T. fata hic depingi exiſtimatur, ſine animadverſione prætermitti nequit. Cl. Coccejus, qui varia illius Eccleſiæ fata, quibus ad perfectionem tenderet, ſibi hic ob oculos ponit, verſ. 1. de Eccleſia per ſanguinem Chriſti ex anguſtiis & terroribus legis redemta interpretatur; verſ. 2, 3, 4. Gentes & Judæos eam petentes calumniis & perſecutionibus deſcribi cenſet, verſ. 5. falſi Chriſtiani, alias Antichriſtiani, repræſentantur. Denique verſ. 6, 7. ad reformatos pacis oſores, & pacificos vexantes, transfert. Cuncta hæc, omni quippe fundamento deſtituta, æque facile rejiciuntur, ac ſtatuuntur, imo longe rectius, cum ſint valde remota & longiſſime quæſita, nec phraſibus congrua: quod cuique facile in oculos incurrit.

§. X. Aptius alii, ut Tillius, ad Eccleſiam Chriſtianam in primordiis Euangelii inter Judæos verſantem, & a moleſtiſſima cum illis cohabitatione ſeparari geſtientem, referunt: non adeo male, cum Judæi Chriſtianos variis calumniis, mendaciis, & artibus petiverint, eosque tandem coegerint huc illuc divagari; deinde *ſermones* Chriſtianorum, fidem profitentium & adnunciantium, Judæos incenderunt, & belli cauſæ fuerunt cum Chriſtianis. Denique & Judæi telis judiciorum Divinorum ſunt proſtrati, & Chriſtiani in libertatem aſſerti. Sed illud obſtat, quod

ea-

eadem ratione ad Christianos inter Gentes versantes accommodari queat, imo & ad pios tempore Antiochi Epiphanis, quando eandem sortem a Syris & impiis Judæorum subire coacti sunt. Nihil hic reperitur, quod huic, vel illi personæ aut tempori, canticum adstringit.

§. XI. Ergo meæ cogitationes ita habent, canticum primo & directe ad ipsius poetæ conditionem respicere; si sit David, cum ipse a Saulo ejusque consiliariis est vexatus, si aliquis prophetarum, ut *Elias* ex. gr., cum a pseudo-prophetis petitus in eundem statum oberrationis & angustiarum est conjectus, si aliquis pius tempore persecutionis Epiphanicæ, cum ipse & socii a Syris & impiis affligerentur ob professionem & pietatem, multis calumniis obruti. Quæ definiri nequeunt. Sed præterea existimaverim, Ps. ad alias similes personas, similesque casus, rectissime, & ex scopo Spiritus, hanc oden in perpetuum piorum usum inspirantis, accommodari, ut ex. gr. ad Christianos, primum inter Judæos dein inter Gentes, hostili in eos animo, degentes, denique ad quosvis alios pios ob confessionem & pietatem suam a popularibus vexatos & agitatos, ita ut pacifice inter eos agere nequeant pacis studiosissimi, sed calumniis, aliisque insidiis, in omnium odium & invidiam adducti huc illuc salutis ergo vagari debeant. Quibus omnibus hæ preces, *libera animam nostram*, hæ denunciationes judiciorum Divinorum recte congruunt, nec effectu carent. Distinguamus itaque inter poetæ primam intentionem, & cantici ulteriorem accommodationem, statuamusque, Spiritum mentem ejus ita direxisse, ut Ecclesiæ & piis sequentium temporum exemplum præberet, ab ipsis in similibus casibus imitandum, adeoque Ps., tanquam generale argumentum complexum, cujus perpetuus foret in Ecclesia usus, contemplemur, & explicemus. Qua admissa hypothesi, nil temere definietur, & sensum Ps. recte percipiemus, ac ad suos cuique permittemus transferre casus, huic respondentes.

EXPLICATIO.

§. XII. Præfatio ita ſonat, verſ. 1. *Jehovam, cum in ſummis eſſem anguſtiis, invocavi, & exaudivit me.* h. e. Mala multa & graviſſima cum me undiquaque premerent, & tantum non opprimerent, ad Dominum, Deum Iſraelis veracem, gratiæ & miſericordiæ plenum, toto animo confugi, eumque liberatorem & vindicem inclamavi, ipſeque clamores meos audivit, exaudivit, &, me liberando ac eripiendo, ipſo facto reſpondit. Verſus nihil habet inpediti, quare paucis defungar. 1. Vox *anguſtia* qualescunque anxietates & preſſuras denotat, quæ cum intus excruciant, tum extus valde premunt, & exitum fere excludunt: qualia cum varii generis eſſe queant mala, & vox generalis ſit, nos ab iis reſtringendis abſtinemus; illud tantum notaſſe contenti, *ſummas* anguſtias per formam vocis, quæ ה habet *paragogicum* emphaticum, exprimi. 2. Deus ad preces reſpondet, ſive cum exitum monſtrat, adeoque fiduciam ac patientiam inſpirat, ſive cum reapſe eripit, & in libertatem exſerit. Quæ ſunt facilia.

§. XIII. Illud denique obſervetur, verſum, vel *ſummam* totius cantici, vel *fundamentum* ſequentium precum continere. Priore ſenſu, connectendus erit cum verſ. ſeq. per לאמר *dicendo*, acſi diceret. Cum mihi arctum erat, invocavi Dominum, ipſeque mihi reſpondit, *dicendo*, vel hunc in modum locutus cum Deum invocarem, *eripe* &c. Ita *anguſtiæ* exprimunt conditionem, quæ mox explicatur; & canticum poſt liberationem erit compoſitum, in gratam præteritæ afflictionis cum læto ſtatu commutatæ memoriam. Sed, ſi poſterius eligatur, nexus hac ratione erit conſtituendus & ſupplendus. In anguſtiis præteritis Deum invocavi, & me eripuit, in præſenti itaque, hoc fundamento fretus, me ad eum converto: *eripe* &c. Difficilis etſi ſit ex his interpretationibus electio, prior tamen oratio-

tionem reddit rotundiorem, & faciliorem; nec non usui Ps., ab ascendentibus Hieros. canere soliti, aptius convenit. Illi enim non possunt tanquam huc illuc oberrantes exhiberi, ut hic fit, sed qui liberati grata mente illas angustias recolunt.

§. XIV. Hoc præmisso præloquio, sese ad Jehovam recta convertit, ab eoque liberationem ex angustiis his verbis supplicat, vers. 2. *Jehova! extrahe animam meam ex labio mendace, & lingua dolosa.* h. e. grassante eorum & dominante violentia, qui me calumniis & mendaciis obruunt, & fraudulentis ratiociniis in perniciem dejicere conantur, me, meamque vitam eripe, Tibique potente manu in libertatem assere. *Labium mendax* & *lingua dolosa* hic non Dei, sed pii hujus respectu veniunt, ut ex toto Ps. manifestum est, adeoque *falsiloquum labium* non est, quod falsos Deos docet, vel *lingua dolosa*, quæ sub prætextu verbi Dei falsam religionem inculcat, sed quibus pii calumniis obruuntur, & fraudulenter evertuntur. *Labium mendax* illius est, qui innocentes apertis impetit *mendaciis*, falsisque eum petit testimoniis, quibus eorum fides aut vita falso accusatur, illique atrocissimorum criminum palam rei peraguntur. Sed *lingua dolosa* ejus est, qui ex occulto tela perniciosa ejaculatur, & insidias struit, quibus inproviso alius evertitur. Vi vocis proprie est *lingua ejaculatrix*, inde *dolosa*, deceptrix. Radix enim רמה *jaculandi* præfert notionem, & a jactu *sagittæ* ad fraudes sese porrexit, proprie a jactu sagittæ, qua quis ex occulto læditur. Complectitur itaque *lingua jaculatrix*, quæ ex occulto ferit, qualescunque fraudes, artes ac machinationes, quibus proximo exitium struitur; uti ex. gr. cum astu, vel sub specie amicitiæ, ex *ore* ejus quid elicitur, quod in crimen trahi queat, cum verba & actiones ejus in deteriorem partem rapiuntur, cum multis consequentibus onerantur ejus opiniones & facta, cum per multas artes immiscetur negotiis ipsi perniciosis, cum occultis calum-

 niis

niis in odium & invidiam adducitur, cum fraudulentis ratiociniis ipse improbitatis, hypocrisios, malarum machinationum reus agitur; cum denique prætextu studii veritatis & gloriæ Dei proximus ob opiniones & confessiones vexatur, agitatur, & in quævis mala præcipitatur.

§. XV. Cæterum, cum a tali labio & lingua liberari petit vir pius, significat *dominium* ejus linguæ in terra sua, ita ut nusquam ab ea tutus sit, nusquam fere reliquum habeat refugium: hoc enim innuitur, cum ad Deum se recipit, & animam suam eripi cupit. Status itaque societatis indicatur, quo linguæ mendaces & dolosæ grassabantur, & summam tenebant, nec piis ac pacificis tranquille in ea licebat agere: quemadmodum cum mendaces & dolosi sunt plurimi, & potentes in terra, quibus resisti nequit. Denique *vitæ* se incurrisse periculum, & de *anima* sua fere actum esse, indicat, cum eam *eripi* petit. Verbum *eripere* potentem involvit *manum*, qua ad liberandum opus sit. Eripitur anima 1. cum *innocentia* in lucem profertur, & ab omnibus agnoscitur, ac *calumniatores* pudore confunduntur; 2. cum potentes consequitur patronos & defensores, qui ejus causam agunt; 3. cum hostes in perniciem præcipites aguntur, quam innocuis paraverant, & hi liberati tranquille ac pacifice degunt.

§. XVI. Poeta, posteaquam liberationem a labio mendace & lingua deceptrice in terra grassante, & sibi exitium minante, supplicasset: mox, sermone ad ipsos calumniatores & insidiatores verso, iis severum Dei judicium denunciat, quo quod piis & innocentibus parabant exitium ipsi experirentur, vers. 3, 4. his verbis. *Quid dabit Tibi & quid adjiciet Tibi? o lingua jaculatrix! sagittas Herois acutas, cum prunis genistarum*, vel *ardoribus*, aut ardentibus genistis. h. e. Væ Tibi, lingua deceptrix! calumniator & insidiator pessime! qui me innocuum telis tuis ex occulto petis, & perniciem mihi machinaris: væ tibi! inquam, Deus, justus judex & oppressorum vindex, *quid tibi*

tibi dabit, *quid addet?* quid Tibi rependet? quid aliud, ac *ſagittas viri fortiſſimi acutas*, & *ardentes geniſtas*, ſeu judicium ſeveriſſimum, & inevitabile, quo graves inter cruciatus male peribis? Ex Interpretibus multi *linguam doloſam* verſ. 3. pro ſubjecto habent, & cum *dabit* conſtruunt, hoc ſenſu; *quid dabit lingua doloſa Tibi*, ſc. o calumniator, quid inde ad Te emolumenti? verſ. vero 4*tum* ad linguæ deceptricis deſcriptionem referunt; eamque cum *ſagittis* & *prunis* ardentibus comparari ſtatuunt. Sed ea interpretatio 1. a genio linguæ abit: nam *lingua* eſt foem. & *dare* in maſc. occurrit, quare *lingua* cum *dare* conſtrui nequit. 2. orationem facit impeditiorem: quid enim hic ad linguæ doloſæ lineas ducendas rediret poeta? & durior ellipſis orationis defectum ſuppleret, nam mente intelligi deberet ante verſ. 4. *lingua doloſa eſt ſicut ſagitta* &c. Aliorum itaque interpretatio, quam in paraphraſi & verſione expreſſi, longe eſt facilior, & ſtructuræ orationis convenientior; ſecundum quam verſus 3*tius* interrogationem, & 4*tus* reſponſum continet; uterque ad *judicii* divini denunciationem pertinet.

§. XVII. Sermo dirigitur ad *ipſam linguam doloſam*, quæ quo occultius, eo certius tela pernicioſa jaculatur, cujus notitiam ſupra dedi. Hosce calumniatores & inſidiatores quæ maneant mala a juſto mundi judice, & piorum vindice, infligenda, inſigni figura per interrogationem & reſponſum effert. *Quid dabit Tibi*, & *quid addet?* ſc. Deus, quod ex verſu ſuperiore nec non ex vulgata in *jurejurando* formula, ad quam hic reſpicitur, facile poterat colligi. Formula, quæ poetæ hic in oculis fuiſſe videtur, habet, *Sic faciat mihi Deus*, *ſic addat*. 1 Sam. xx: 13. xxv: 22. Ruth. 1: 17. quæ & graviſſima & perpetua mala comprehendit. Cum autem hic verbum *dare*, & non *facere*, occurrat, mihi ad *menſuram*, ejusque *additamentum*, quod ſupra menſuram adjicitur, & eam ſuperabundantem facit, reſpici videtur, ut ſenſus ſit: quam tibi Deus dabit remuneratio-

nem? Cæterum, *dare* in malam partem quoque usurpatur, non tantum cum *in manus hostium dedere* denotat, sed & cum absolute ponitur, uti Hos. x: 14. *da ipsis Jehova, quid dabis? da ipsis uterum sterilem* &c. sic hoc in loco: *quid dabit Tibi*, o lingua jaculatrix? *& quid addet Tibi* Deus? quam quantamque Tibi retribuet mercedem? quid amplissima mensura in sinum tuum effundet?

§. XVIII. Respondet poeta, *sagittas* &c. acsi dicat, vis, mercedem, Tibi a Deo retribuendam, exprimam? dabit tibi sagittas acutas validissima manu emissas, addet tibi *prunas genistarum*, longe aliter ac Tu tibi promittebas. Res tuas præclare Te instituisse, me telis calumniarum palam & occulte petendo, putabas, adeoque laudem & præmium a Deo fuisse meritum, tu vanis cogitationibus delusus exspectabas forte; utique exspectant, qui alios occidendo Deo se inservire, ejus gloriæ & veritati se litare, putant. Sed mercedem, amplissimam quidem, at longe aliam tibi magis congruam, dabit: *sagittas* sc. *herois acutas*, ut ex lege talionis tecum agatur, calumnias tu jaculatus es in pium, *tela* acuta & *prunæ* ardentes in caput tuum recident; calumniarum fructus perniciosos tu tibi carpes. Versus itaque mala comprehendit, quæ per calumnias suas piis conabantur adferre, sed quæ ipsis evenirent calumniatoribus, & piorum vexatoribus.

§. XIX. Mala figurate proponuntur, sub imagine *sagittarum*, & *prunarum genistarum*; quæ duo ad *dare* & *addere* respicere videntur: dabit sagittas, & adjiciet supra mensuram *prunas flammantes*; quo structura orationis nos manu quasi ducit: habet enim illa, *sagittas cum prunis*, sc. merces tua erunt *sagittæ*, sed adjungentur iis *prunæ*, adeoque *sagittas* dabit *cum prunis*. Quæ animadversio omnem adimit difficultatem, & rationem reddit, quare poeta *cum prunis*, & non *& prunas*, dixerit. Primum ergo de *sagittis*, dein de *prunis genistarum* dicamus. Utitur poeta in exitii, ipsis divinitus infligendi, descriptione figura

gura

guta *sagittarum herois acutarum*, cum ut in eadem metaphora, qua verf. præced., ubi de *lingua jaculatrice*, ufus fuerat, perfeveraret, uti & Pf. VII: 13, 14. tum quia in Script. & apud Orient. eft ufitatiffima *a*, tum quia emphafios eft pleniffima. *Sagittarum* enim emblema, Deo judici aptatum, certiffimum, feveriffimum, & inevitabile Dei judicium ob oculos ponit, quo impios lethaliter ferit, eosque inter multos cruciatus quam citiffime & inopinato exfpirare facit. In *sagittæ* imagine attenditur *a.* ad *velocitatem*, unde dictum, *sagitta velocius*, & hinc *alatæ* pinguntur fagittæ. *b.* ad lethalem ictum, *c.* qui ex certa jaculantis deftinatione infligitur, unde pro *decreto* Dei ufurpatur apud Arab. *b*. *d.* qui multis cum cruciatibus eft conjunctus. Quæ cuncta exaggerantur per epitheta *herois* & *acutarum*, quæ hic adduntur. Sagittæ herois, feu viri fortis, funt, quæ validiffima & peritiffima manu vibrantur: nec aliud hic intendi exiftimem. Non enim neceffe eft, ut de certa aliqua perfona cogitemus, etfi vel Deum, vel heroas ab ipfo fufcitatos, ut Maccabæos, fi ad ea tempora referatur, vel Meffiam, fi Ecclefiæ Chriftianæ hoftes hic in cenfum veniant, intelligere poffimus. *Acutæ* adpellantur fagittæ, quæ & certo & altiffime penetrant, necemque adferunt.

§. XX. Superpondii loco accederent *prunæ genistarum*, quæ exitium, a fagittis illatum, longe gravius & intolerabilius redderent. Pofteriorem vocem *genistas* verti, licet vulgo *juniperum* intelligant: fed רתם *genistam* potius effe, quam *juniperum*, ipfum thema, quod *jungere*, *alligare*, dicit, evincit; unde ad *genistam* transfertur, quod fruticis hujus *virgæ*, ad flexum nexumque faciles, firmas præftent ligaturas *c*. Prior vox גחלי fignat non *carbones*, fed *prunas* ardentes & flammantes, a rad. quæ *rubrum* dicit colorem, & intenfius urere colore flammante. Cum autem vox ea in ftatu

a Vid. Schultens ad Job. XX: 24. *b* Idem ad excerpt. ex Ifpah. p. 6. *c* Schultens ad Job. XXX: 4.

ſtatu conſtructo occurrat, voces reddendæ ſunt: *cum prunis geniſtarum.* Sed quid ſunt *prunæ geniſtarum?* nihil aliud, ac prunæ ardentiſſimæ, & ſtrepitantes. Tradunt enim, geniſtam vehementisſime *ardere*, & *ſcintillando ſtridere*, ac *crepare*. Forte in oculis fuerunt poetæ arida geniſtarum cremia ardentia & flammantia, quæ æque ac tela, & cum iis in hoſtes mitti ſolebant, ut *faces*, ſicut poeta canit.

Jamque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat.

Metaphorice *faces geniſtarum* iræ Dei ſenſum, & malæ conſcientiæ tormenta, quibus anima cruciatur, exprimunt, quemadmodum *ignis* in Script. S. Chald. vertit cum *carbonibus geniſtarum accenſis in gehenna inferne.* Cæterum hæ *prunæ* flammantes, ſupra menſuram additæ, excidium hoſtium, quod *ſagittæ* expingunt, cum gravisſimis animi cruciatibus, & malæ conſcientiæ verberibus, fore conjunctum, ſignificant. In quibus acquieſcendum eſt, cum nihil melius ſuppetat.

§. XXI. Hoc *væ* in calumniatores ſuos pronunciato, poeta ad ſe ſuumque ſtatum redit, & mox in acerbisſimas querelas, ex præſentis ſuæ conditionis conſideratione ortas, erumpit, verſ. 5. *væ mihi! quod diverſer Meſech, habitem apud tentoria Kedar!* h. e. me miſerum! quod peregrinus alieno in ſolo diverſari, idque incertis ſedibus nunc huc nunc illuc divagari debeam, haud ſecus ac ſi Moſchus esſem, aut apud Kedarenos habitarem. Verba in virum peregrinantem, & oberrantem, unice conveniunt, & perſonam ob oculos ponunt, quæ, ut calumniatorum vexationes & inſidias effugiat, fixum domicilium deſerere, & peregrinantis inſtar incertis ſedibus vagari coacta erat. Huc enim nos manifeſte ducunt *tentoria Kedarenorum*, ſeu Scenitarum, Arabum qui vitam vagam degunt. *Kedareni* ex Iſmaele oriundi, a *fuſco colore*, deſerticolis illis, ſole aduſtis,

com-

communi, sic dicti, Plinio *Cedrei*, sedes habuerunt *Nabatæis*, ejusdem originis, proximas in deserto Arabiæ Petrææ, vitam pastoritiam degentes, & vagis utentes sedibus, quod Ammianus tradit de Saracenis: *errant semper per spatia longe lateque distenta, sine lare, sine sedibus fixis.* Quorum non obscura est in Script. S. mentio, uti Jes. XLII: 11. LX: 7. Jer. II: 10. Cant. I: 5. Jes. XXI: 16. Ez. XXVII: 21. Ad vagam hanc vitam, & nihil aliud, poetam respicere, ipsæ voces evincunt: utitur verbo שכן *habitare*, unde ipsum *scenitarum* nomen, dein *Kedarenorum* meminit, ut ab ea vivendi ratione maxime notorum in Cananæa, tandem *tentoria* memorat eandem ob rationem. Hinc itaque colligendum non est, nostrum loquentem apud *Kedarenos* in specie fuisse diversatum, sed tantum huc illuc vagatum, quemadmodum *Kedarenorum tentoria.* Sunt qui *barbariem* & *sævitiam* populorum illorum hic in censum venire existimant, sed sine ratione, ut ex dictis elucet.

§. XXII. Sed quid vox משך denotat? Interpretes in varias hic abeunt conjecturas. Missis Judæis nonnullis, qui *Tuscos*, Italiæ populos, inepte intelligunt, voci משך substituentes מצן, ut de exulibus inter Romanos capiant, quemadmodum per Kedarenos *Saracenos* & Turcas intelligunt, inter quos nunc exules degunt: alii pro nomine proprio gentis, alii pro appellativo sumunt, venit enim utraque ratione in Script. S., pro populo Gen. X: 2. Ez. XXVII: 13. XXXVIII: 2, 3. ubi *Moschi* intelliguntur, qui *Moschicos* montes, seu quicquid est montium a Phasi usque ad Pontum Cappadocicum occuparunt *a*. Sed cum difficilius sit perceptu, quid hic *Moschi*, longius a Cananæa remoti, nec cum *Kedarenis* conjuncti, sibi velint, alii *appellativum* esse nomen censent, & temporis *protractationem*, quæ vocis est notio, seu diuturnitatem, signari existimant, ut משך dicat *moræ* protractum spatum *b*. Consentiunt fere in hanc

a Vid. Bochartus Geogr. S. p. I. l. 3. c. 12. *b* Id. ibid.

mentem antiquæ *versiones*, si a Chald., quæ *Asiaticos* habet, discesseris.

§. XXIII. Quod ad me attinet; tutius existimaverim nihil definire: dubius hæreo inter propriam & appellativam vim; *populum* aliquem innui, exigere videtur membrum sequens, ubi *Kedareni* memorantur. Quod si cui arrideat, vel scenitas intelligerem, longum montium tractum inhabitantes, vel continuo *progredientes*, fixis quippe destitutos domiciliis, vel potius, cum nomen generali eo sensu non exstet, Moschos & Kedarenos in genere & ex. gr. memorari ad remotiores & propiores scenitas designandos, & vagam oberrationem quaquaversum exprimendam: sicut Citthæi & Kedareni eo sensu junguntur, Jer. II: 10.; ut ibi exposui. Sed forte rectius *appellative* accipitur, sive *tempus* protractum, ut aliis placet, sive quid aliud, voci Hebr. congruum, designet. Mihi tandem succurrit, phrasin esse selectam & sublimioris styli, qua poeta dicit, se adeo divagari, ut fere dici queat se *diversari in ipsa ambulatione.* Vox משך absolute, ut hic, posita, nusquam *temporis*, sed plerumque *pedum* protractionem, seu *itum* & *ambulationem* signat *a*. Verbum גור est *diversari*, peregrinari, commorari in diversorio, hospitio. Conjunge *diversari* & *ire*, phrasis, *diversari* apud *profectionem*, vel *in ea*, exprimet continuam ambulationem, ita ut ea *hospitii* & *diversorii* speciem præstet, acsi diceretur: cum alii fixum habent domicilium, in quo diversari & quiescere queant, mihi in ipsa *protractione pedis* est diversandum, & morandum, h. e. nusquam mihi mora, nusquam quies, continuus sum & perpetuus erro. Quales phrases & in aliis linguis prostant: figura est, quæ dicitur ὀξύμωρον *acuti fatuum.* Ita *desolatione* ædificare Job. III: 14. & *spes eorum crepatio animæ.* Job. XI: 20. *habitare urbes deletas.* Job. XV: 28. & quæ similia alia sunt, satis usitata.

§. XXIV. Ultima pericopa, quæ eandem oberrationem aliis

a Vid. de Dieu ad Jer. V.

aliis phrasibus non proponit, ut vulgo putatur, sed peregrinationis rationem ab hostili civium animo, & pacis inimico, petitam, ita sonat, vers. 6, 7. *Plus quam satis habitavit sibi anima mea cum pacis osoribus: Ego ipsa pax, sed statim ac loquor, ipsi ad bellum.* h. e. Quid mirum, quod vitam solitariam & vagam, quam miseram etiam, prætulerim societati illorum, quanta etiam cum ea cohæreant bona? nil mirum, inquam, cum nimis diu jam versatus fuerim inter homines, qui nihil nisi odia & bella spirant; quibuscum si modo loqui instituerem, statim ac os aperirem, verba etiam innocua & pacifica efferrem: tantum abest, ut pacem sibi persuaderi passi fuerint, ut magis in bellum arserint, quo me opprimerent.

§. XXV. Interpretes passim in ea sunt opinione, eos hic per pacis osores intelligi, qui vers. præced. *Kedareni* fuerant appellati: in quo quin erraverint, vix dubitaverim. 1. Kedareni hic ut *errones* & *vagabundi*, non ut latrones, & hostiliter agentes, citantur; ut supra dixi. 2. De externis hic non queritur hostibus, sed *sociis*, & ejusdem societatis membris, hostiliter secum agentibus, propter quos dulcem illam societatem deserere debuerat. 3. Rationem hic reddit suæ oberrationis; ceteroquin enim idem sine necessitate repeteret.

§. XXVI. Loquitur itaque de *osoribus pacis*, quos ab incredibili & vesano belli ardore describit, vers. 7., seseque apud eos sat diu habitasse dicit, adeoque tandem coactum certas suas sedes cum incertis & perigrinationibus vagis commutare. *Osorem pacis* num. sing. appellat, sive quod in principem, eorum digitum intendat, sive quod *collective* loquatur: utique plures fuisse, eosque dominantes, ex vers. seq. manifestum est. *Osores* pacis, quibus supra *labium* mendax & linguam *jaculatricem* adsignaverat, sunt 1. qui, ab omni pace per pravam indolem abhorrentes, in litibus, rixis, vexationibus, summam collocant voluptatem. 2. qui in specie pietatis & veritatis studiosos odio

habent, omnemque cum iis concordiam ac ſocietatem averſantur, ſive quod perſonarum odio flagrent, ſive quod, ambitioni litantes, eos laudari ac florere lividis intueantur oculis, ſive quod e re ſua non eſſe intelligant, ut diverſe ſentientes, & rectius viventes, pace & proſperitate gaudeant, ſive quod, nimio propriarum opinionum ſtudio ducti, diſſentientes ferre nequeant, ſive quod perverſo gloriæ Dei & veritatis amore flagrantes, diverſarum opinionum & ſectarum homines pro veritatis & Dei hoſtibus habeant, adeoque nihil non ſibi in eos licere autument, ſive denique, quod Eccleſiæ, vel Reip., intereſſe, & ad pacem inſtaurandam neceſſe cenſeant, ſi eos, qui diverſam ab iis viam inſiſtunt, vexationibus ad ſilentium redigant, eosque exterminent, adeoque ſi per bellum ad pacem graſſentur.


§. XXVII. Hi quanto furore in proximum accenſi ſint, explicat verſ. 7. cum dicit, eos de *pace* ne verbum quidem audire tantum nolle, ſed & ex ipſis eorum verbis & ſermonibus, quam innocuis etiam & bonis, bellum ſerere: *ego pax ſum*, dicit vir pius, abſtracto pro concreto emphaſios cauſa uſus; ego ſumme ſum *pacificus*, mitis, lenis, manſuetus, neminem non libenter ferens, qui quicquid poſſum *pacis* cauſa ago, patior: ſed quid *illi?* adeo a pace alieni, ad bellum proclives & inclinati, ut ne os aperire queam, quin ad *bellum* ruant, ſive fidem modeſte profitear, ſive opiniones, ubi neceſſe fuerit, prudenter exponam, ſive pacem, concordiam, tolerantiam, ſuadeam, & quibusvis rationibus moventibus approbare inſtituam, amicitiam etiam ambiam (quem uſum verbum דבר eximie præfert, uti alibi *a* ſæpe obſervavi) ſive innocua fundam verba alia, illi *ad bellum* mox, occaſionem me vexandi per artes, per calumnias, aliasque machinationes, inde extorquent. Illi ad *bellum*, ad *odia* mihi concitanda, ad omnium invidiæ & contemtui exponendum, ad me honoribus,

a Vid. Indices Comment. ad Mal. Pſ. & Jer.

bus, opibus, fama, vita, ſpoliandum, & quæ ſunt ſimilia, quæ homines hominibus infligere poſſunt, mala.

§. XXVIII. Hos inter homines cum diu ſatis vixero, quid mihi reliquum erat, quam ut eorum ſocietatem fugerem, & in ſolitudinibus vagarer? diram profecto conditionem! quare *hei mihi!* ſed tolerabiliorem *bello*, & belli amantium ſocietate Phraſis eſt ſelecta, qua poeta utitur, proprie *multum habitavit ſibi anima mea.* h. e. *nimis diu* habitavi: hæc enim vis eſt vocis Hebr. רב *a*. Vocula *ſibi* cum emphaſi abundat, ut Lat. & aliis quoque in uſu eſt. Si majorem velis in hac phraſi emphaſin, dicet, habitationem illam fuiſſe diuturniorem, quam ſtatui & vitæ ſuæ conveniebat, & utile erat, ſeque *deſiderio*, quod per *animam* exprimunt Hebræi, ſuo, quo in hanc ſocietatem ferebatur, nimis diu indulſiſſe, quam decebat, & ſibi utile erat.

a Vid. Coccejus in Lex.





PSALM. CXXI.

1. *Canticum adſcenſionum. Adtollamne oculos meos ad montes?* dicamne, *Unde veniet auxilium meum?*
2. *Auxilium meum eſt a Jehova*, qui *coelum & terram fecit.*
3. *Non ſinet vacillare pedem tuum: non dormitabit cuſtos tuus.*
4. *Ecce non dormitabit, nedum dormiet, cuſtos Israelis.*
5. *Jehova cuſtos tuus* eſt, *Jehova umbra tua, ad manum tuam dextram.*
6. *De die ſol te non percutiet*, aut *uret, nec luna de nocte.*
7. *Jehova cuſtodiet te ab omni malo, cuſtodiet animam tuam.*
8. *Jehova cuſtodiet egreſſum & ingreſſum tuum ab hoc tempore in perpetuum.*

PROLEGOMENA.

§. I.

ARgumentum cantici, a quo recte conſtituto Pſalmorum intellectus ut plurimum dependet, non eſt, uti Interpretes, quos inſpexi, autumant, conſolatio perſonæ adflictæ, & ad incitas redactæ, nulla ipſi, niſi in Jehova, ſpe relicta, ſed illuſtris & animoſa fiduciæ & ſpei confeſſio, ac teſtificatio, qua certiſſimum & præſentiſſimum

mum ac potentiſſimum ſibi adeſſe protectorem, ſeque de ſtatus felicis, in quo erat, perpetuitate certiſſimam eſſe, publice declarat. Interpretes ſibi hic fingunt perſonam, ſummis anguſtiis preſſam, & omnis auxilii ac conſilii fere inopem, ſive quod hoſtibus undiquaque fuerit cincta, & exitum non reperiret, ſive quod opus, viribus ſuis ſuperius, uti eſt *altiſſimum montem conſcendere*, aggreſſura foret. Quo in ſtatu volunt, eam fiduciam ſuam in Jehova collocare, & promisſione auxilii Divini *corrobari*, ſive Spiritus ipſi hanc conſolationem inſpiraverit, ſive alius introduci cenſeatur oratione conſolatoria eam erigens. Duxit eos in errorem perverſus verſ. 1*mi* intellectus. Eum enim acceperunt, acſi perſona hæc, de auxilio ſollicita, circumquaque oculos flecteret, unde illud veniret, ex quo præterea collegerunt, eam maximis fuiſſe conſtrictam anguſtiis. Sed tantum abeſt, ut hic verſus communi opinioni faveat, ut, ſi recte intelligatur, eam evertat. Senſus enim eſt, ſibi nequaquam opus eſſe, ut oculos ad montes flectat auxilii cauſa, aut anxie quærat, *unde mihi auxilium?* præſidium, cui fidat, & unde ſtatus ſui firmamentum exſpectet. Qui ſenſus ex noſtra verſione ſponte eluceſcit. *Egone ad montes attollerem oculos?* egone quærerem: *unde mihi auxilium?* abſit, abſit, opus nequaquam eſt; auxilium meum eſt Jehova, & de ejus *tutela* ſum perſuaſus. De quo ſuo loco.

§. II. Deinde, *ſtatum* hujus perſonæ hic non repræſentari adflictum & miſerum, ut vulgo cenſetur, illud *a.* evincit, quod ejus hic nulla fiat mentio, nec anguſtiarum, nec hoſtium, nec anxiæ deliberationis. *b.* Inter promiſſa nullum de *liberatione* occurrit, quod probe notandum, ſed omnia in *conſervationem* & *ſtatus perennitatem* exeunt. *c.* Imo, quod dicitur, *pedem ejus non nutaturum*, nec *ſole* nec *luna* eum eſſe *adurendum*, clare demonſtrat, perſonam hanc ab omni vexatione & perſecutione eſſe, & manſuram, immunem. Hic nulla patet exceptio, niſi quis

Eccle-

Ecclesiam adflictam promissis, in posterum repræsentandis, erigi velit: ita ut nunc quidem sit multis angustiis pressa, sed in statum securum & tranquillum educenda. Sed nihil hic de adflicto statu, nihil de liberatione, reperitur, nullum criterium diversorum temporum; cuncta ad Ecclesiam, vel personam, quæ hic repræsentatur, diriguntur, ipsaque, & non posteri ejus, hæc bona consequeretur. Denique cuncta, quæ vers. 3. &c. occurrunt, eo tendunt, ut *auxilii*, a Jehova exspectati, ambitum explicent, adeoque eodem pertinent, quo *auxilii* exspectatio.

§. III. Nec *auxilii* vox statum adflictum designat, cum æque ad præsentis status confirmationem referri queat, ac ex miseria *liberationem*, & *illam*, non *hanc*, intendi, sequentia promissa, ut modo observavi, evincunt, de quo itidem mox suo loco. Ergo, ut meam opinionem clariore in luce collocem, mihi hic obversatur illustris persona, quacum Resp. vel Ecclesia arcte erat conjuncta, recens in statum felicem & gloriosum evecta, quæ cum statum suum non videretur tuitura, hoc in cantico fiduciam & spem suam in Jehova *protectore* suo positam explicat, seseque insignibus hisce promissis, vel ipsa firmat, vel firmari patitur, quod ex *personæ* loquentis mutatione, quæ vers. 3. incipit, dubium est: sed quo sensu capiatur, parum refert. Subjectum Psalmi 1. est singularis quædam persona, & non universus populus, nam & definita persona nominatur, & ab *Israele* distinguitur, cum *custos Israelis* eam dicatur protecturus. 2. Persona haud vulgaris, sed *illustris*, cujus ad populum arcta & singularis erat relatio, quemadmodum, præter alia indicia, evincit, tum quod *custos Israelis* eam sit tuiturus, tum quod *egressus* & *ingressus* ei adtribuatur. 3. Hæc persona in scenam prodit, in *gloriosam* conditionem evecta. Totus enim Ps. in *status* conservationem & perennitatem exit, nihil de liberatione, aut ex miseria eductione reperitur. 4. Denique, quod mihi probabile videtur, in eum statum *recens* erat evecta,

nec eum tuitura videbatur. Ansam mihi hoc opinandi praebuit *a.* quod cuncta promissa circa status *conservationem* versentur, *b.* interrogatio illa, *attolleremne oculos ad montes* &c. & responsum mox additum, *auxilium meum est apud Jehovam*, pro hypothesi habere videantur, de statu illo tuendo fuisse dubitatum inter homines illius temporis, & multos sparsos fuisse rumores contrarios. Quod cum vulgo accidere soleat, quando persona quaedam *recens* est evecta, nondum confirmata in eo statu, hinc colligi posse censuerim, personam hanc haud ita pridem fuisse in altum sublatam.

§. IV. Argumento in lucem protracto, *methodus*, qua illud pertractatur, verbo est demonstranda. In stylo & structura poetica nihil est difficilis, aut singularis, nisi quod dubium quodammodo sit, num una eademque persona loquatur, an *duae*; ita ut persona, quae Psalmi subjectum est, incipiat, altera continuet per modum *responsionis*, orationem. Dubium ex eo oritur, quod, cum persona de se in prima persona fuisset locuta, vers. 1, 2., mox *secunda* persona adhibeatur vers. 3. &c. qua ad aliam flectitur sermo. Quod duplici ratione explicari potest, vel ut eadem persona se alloquatur, suamque fiduciam & spem firmet; vel ut alia persona introduci censeatur, eam promissis luculentis erigens: quod utrumque defendi potest. Forte, cum persona suam fiduciam in Jehova explicuisset, eam Spiritu prophetico correptam fuisse non inepte statuitur; unde personae mutatio facile explicari potest. Cum enim Spiritus propheticus, qui futuram status confirmationem pollicebatur, a vers. 3. sermonem ipsi inspiraret, recte ad ipsam personam dirigitur oratio. Etsi enim idem loqueretur, loquebantur tamen in eo *duo* principia, alterum *humanum*, alterum *Divinum:* humanus Spiritus prima persona affectionem animi explicabat, Divinus promissis confirmabat: in quo acquiescimus. Nec tamen intercedo, quominus in ode cantanda duae personae, vel duo

chori, ſibi per modum ἀντιφωνίας ſuis vicibus verba red-dentes, adhibiti fuiſſe ſtatuantur, ut diverſa loquendi principia clarius repræſentarentur: ſed quod minus urgeo, nec multum facit ad cantici intellectum.

§. V. *Partes* Pſ. duæ ſunt, quæ ſeſe ſponte offerunt. *Prior* eſt, in qua perſona hæc *ſpem* & *fiduciam* ſuam in Jehova protectore ſuo explicat, adeoque ſibi neutiquam opus eſſe, ut ad montes, aut ad alia auxilia, reſpiciat, verſ. 1, 2. *Poſteriore* parte in hac ſua fiducia per luculenta promiſſa de omnipotente protectione, Divinitus concedenda, corroboratur, verſ. 3—8. cujus ſpecialia membra ſuo loco exhibebo.

ANACRISIS.

§. VI. Interpretes circa *ſubjectum* cantici, & hypotheſin ejus interpretandi, in varias ſcinduntur partes, cum alii de *Davide* in caſtris verſante & hoſtibus cincto, in ſpecie cum arcem Tſionis, a Jebuſæis occupatam, oppugnare aggrediebatur, cogitant, alii ad Judæos exules, & ex Babyl. exilio reduces, transferant, alii Eccleſiam Apoſtolicam, mundum ſibi ſubjecturam, in ſcenam produci exiſtiment. Sed *argumenti* Pſ. perverſus intellectus hosce fluctus concivit. Qui ad Eccleſiam Apoſtolicam, ſeu Chriſtianam in principio euangelii, oculos flectunt, præcipue innituntur verſ. 1. *attollo oculos meos* ad *montes*, *unde mihi veniat auxilium?* quem ita interpretantur: cum *montes*, ſeu regna mundi a me ſuperanda, adſpicio, measque ad vires attendo, unde mihi auxilium? Sed 1. a vera ſignificatione phraſios *attollendi oculos ad aliquid* aberrant: illa enim *auxilii* deſiderium & ſcopum complectitur, non *montis* ſubjectionem, de quo mox. 2. *Montes conſcendere* nec denotat *eos occupare*, nec eo emblemate utitur Script., ubi de regnis mundi Eccleſiæ ſubjiciendis loquitur, verum *montes eſſe* *compla-*

complanandos dicit, ut Zach. IV: 7. Dan. II: 34. &c. 3. ne nunc dicam, nimis id esse remotum, quod nemo, nisi speciali revelatione, scire posset, vatem hic per *montes* intelligere regna mundi ab Ecclesia subigenda. 4. Denique vers. 5., ubi de *persecutionibus* agi censetur, quomodo Ecclesiæ Christi applicabitur, quæ *solis æstum* & *lunæ* frigus continuo fere experta est?

§. VII. Aliorum hypotheses etsi sint propiores, & faciliores, quia a sensu litterali non abeunt, partim tamen ab argumento cantici discedunt, partim aliis difficultatibus premuntur. 1. Pro militari carmine, in castris canendo, in genere nequit haberi, cum quod ejus nullum sit indicium, cum ea promissa non habuerint Judæi in bello, nec etiam consecuti sint semper eam protectionem. 2. Nec meliore nititur fundamento, quod ad Davidem, arcem Jebusæis erepturum, applicetur: sublestum enim est, quod phrasis *attollere oculos ad montes* ponit, acsi scopum & desiderium exprimeret montem Tsionis conscendendi & occupandi; mentio enim fit *montium*, & phrasis dicit aliquo respicere *auxilii inveniendi* causa. Deinde reliqua promissa sunt nimis generalia, quam ut ad unicum eum casum restringi queant. Qua difficultate & ea premitur opinio, quæ oden de *reditu* Judæorum ab exilio Babyl. interpretatur: præterquam quod reduces *iis bonis* semper non sint gavisi, nec pacifice nec secure, nec læte ac prospere, egerint in Cananæa; Illustris quædam persona, & non totus *populus*, hic in scenam prodit, ut supra vidimus, & fundamentum est lubricum, acsi *attollere oculos ad montes* sit Judæorum, in Babylonia oculos Hierosol. versus in precibus vertentium, nec enim illud Judæis Babyloniis tantum convenit, nec *montes* Hierosol. hic intelliguntur: ut mox videbimus.

§. VIII. Quid itaque? mihi ad verum personæ conspectum in hoc cantico, cujus characteres supra exhibui, attendenti, tria occurrunt subjecta, a quibus ode censeri

poteſt haud aliena; *David* nimirum recens in regio ſolio collocatus, *Zerubbabel* dux reducum in Cananæa, unus *Maccabæorum*, in ſpecie *Johannes Hyrcanus*. Hi tres fuerunt Viri illuſtres, cum quorum ſtatu ille Reip. & Eccleſiæ erat connexus; viri in ſummam dignitatem evecti, de quibus dubium oriri poterat, num *eam* tuituri eſſent; qui Deum *protectorem* habuerunt prorſus ſingulari modo; & hæc bona conſecuti ſunt per totum, quo in dignitate fuerunt, tempus. Quis vero illorum ſit eligendus, & pro hac perſona habendus, vix determinari poteſt, quia *auctor* Pſ. eſt ignotus; ſi a Davide diſceſſeris, auctor Pſ. vel Zerubbabelis tempore vixerit, vel ipſe Joh. Hyrcanus fuerit, neceſſe eſt, quem, Spiritu Divino ductum, quædam *cantica* edidiſſe, a Doctis obſervatum eſt: cum illud de Zerubbabele non conſtet, cenſeri poteſt Haggai aut *Zacharias*, ex. gr. hanc oden compoſuiſſe, ut huic duci animum adderet; quemadmodum Hag. II. verſ. ult. & Zach. IV. luculenter factum eſt. Attamen cum conditio Davidis & Joh. Hyrcani, pro altero Davide haberi ſoliti, fuerit *florentior*, in qua hæc beneficia luculentius ſeſe conſpicienda præbuerunt, *alterutrum* pro ſubjecto Pſ. eſſe habendum exiſtimaverim. Cum autem auctor Pſ. ignotus ſit, adeoque definiri vix queat, cui illorum ſit attribuendus; nos Davidem pro exemplo potiſſimum ſumemus, & eo ſcopo hanc oden explicare aggredimur.

EXPLICATIO.

§. IX. *Prior* pars, qua David fiduciam ſuam in ſolo Deo poſitam exponit, ita ſonat, verſ. 1, 2. *attollamne oculos meos ad montes? unde veniat auxilium meum*, ſc. dicam? *auxilium meum eſt a Jehova, qui coelum & terram condidit*. h. e. Egone, qui tot tantaque protectionis & auxilii Divini ſpecimina vidi & expertus ſum, in me ab hoſti-

hostibus vindicando, & in sublimem hunc statum educendo, egone, inquam, dubius hærerem, & animi penderem, unde status mei firmamentum sit repetendum? mihine opus foret, oculos ad montes & quaquaversum auxilii causa circumvertere, instar eorum, qui, consilii inopes, quo se vertant, nesciunt? nequaquam, absit, absit! certus sum de protectione omnipotentis creatoris coeli & terræ, nec alio protectore indigeo, nullum quæro alium. Oratio non est viri, ad incitas redacti, cui nihil fere spei supererat, quam in miraculosa Dei liberatione; sed viri summa fiducia præditi, & apud animum suum securi, qui in Divina protectione quicquid ad statum suum firmandum necesse erat, abunde habebat. Schema orationis *a.* indicat, fuisse, qui animum Davidis, in sublime evecti, frangere voluerant, acsi statum illum diu tueri non posset, sed anxius circumspicere deberet, unde auxilium sibi veniret. *b.* præfert aliquam *indignationem*, inde in eos meticulosos, vel male affectos, conceptam: quæ vos cepit dementia me tanquam animi pendentem traducendi, vel status mei conservationem in dubium vocandi? acsi ad montes, & nescio quo, confugere necesse habeam auxilii causa. *Egone ad montes oculos levare debeam* &c. absit, auxilium meum est a Jehova. *c.* Denique oratio est valde emphatica, & summam fiduciam ac spem vividissime ac fortissime exprimit, ita ut dubitationi, vel minimæ, nullus relinquatur locus. Imo *d.* auxilium Dei se esse expertum, & eo nixum stare, adeoque sibi opus non esse oculos circumvertere, & opem anxie circumspicere, sed habere præsentissimum præsidium, cujus effecta jam erat expertus, insinuat: acsi diceret; egone necesse habeam auxilium tanquam a me remotum aliunde quærere? qui illud præsentissimum habeo & possideo, nequaquam; est enim mihi ad manus, & sub tegmine Dei tutus dego. Fere eodem, quo Moses, modo Deut. xxx: 11. de *Verbo* Dei loquitur, adeo propinquo, & facili intellectu, ut nemo necesse ha

beat dicere: *quis ascendet coelum*, aut *trans mare curret* &c. ita hic: auxilium mihi adeo præsto est, ut inepte attollerem oculos montes versus, & quærerem, *unde mihi auxilium?*

§. X. Sensu constituto, paucis ad eum illustrandum defungi potero. 1. Phrasis, *attollere oculos ad montes*, significat, ad eos auxilii causa respicere, & non ad eos superandos, ut illi interpretantur, qui vel montem *Tsionis* in potestate Jebusæorum, vel regna mundi ab Ecclesia occupanda intelligunt; quos supra refutavi. Phrasis eo, quo dixi, sensu & in Script. & apud Exoticos est usitatior, quam ut exemplis necesse habeam confirmare. Vid. Ps. CXXIII: 1. XXV: 1. Jes. XVII: 7. Thren. III: 41. Job. XVII: 1. 2. *Montes* hic nec *coelum*, ut Musculus, nec montes Templi & *Hierosolymæ*, denotant, ut alii, sed vel loca perfugii in genere, vel *idola*, in montibus coli solita. *a*. Quia *montes* in genere appellantur, non *montes sanctitatis*, aut Dei, aut *Tsionis*: quæ epitheta adesse debuissent, si restricte hic occurrerent. *b*. Quia poeta per *montes* inania auxilia intelligit, ad quæ respiceretur frustra; opponit enim mox *auxilium* Divinum. Ergo montes sunt, vel *idola*, vel in genere *loca perfugii*, & *præsidii*. Utrumque locum habere potest. Vid. Jes. XVII: 7, 8. Jer. III: 2, 3. Putem tamen posterius præcipue intendi, & Davidem digitum hic intendere *ad montes*, super quibus vagatus fuerat tempore vexationis Saulinæ; quando animæ ipsius dicebatur, *vagare per montes avicula* Ps. XI: 1. *Attollere itaque oculos ad montes* in genere exprimit, loca perfugii circumspicere; ad quæ te recipias, ut serveris; quod est hominum, quorum res desperatæ sunt, qui nihil amplius habent, quo se tueri queant contra hostes ingruentes. 3. *Tota* phrasis, ut dixi, *interrogative* est capienda, & pro fortissima negatione habenda. *Attollam oculos ad montes?* mihine opus est, ut olim, ad montes & latebras respicere; meæne res ita desperatæ sunt, ut ad montes tanquam perfugia ocu-

oculos flectere debeam, mihine nihil suppetit, quo statum tueri possim, sed fuga mihi consulere debeam? Exempla ejusmodi figuræ proferre supersedeo. Sufficit observasse, responsum, quod mox sequitur, hanc interpretationem extra dubium collocare.

§. XI. 4. Confirmat etiam membrum sequens, *unde veniet auxilium mihi?* vocula enim מאין satis constanter, uno forte loco excepto, *interrogationem* comprehendit in Script., nec necesse est ab hoc ejus usu hic recedere: modo notetur ellipsis verbi *dicere* satis usitata, & sæpe a nobis observata, acsi plene legeretur: *dicam*, vel dicamne, *unde veniet auxilium?* h. e. egone in eam sum redactus conditionem, ut, unde mihi præsidium sit venturum, plane nescius sim? &, cum nihil spei supersit, ad *montes* respicere debeam? Egone *omni præsidio*, & *defensore* destitutus, & *spe* vacuus, ad montes me recipere debeam? quæ sicut est aptissima, ita & facillima, interpretatio; quare aliis producendis supersedeo.

§. XII. 5. Sequitur responsum, quo animi sui judicium & statum in hæc verba exprimit; *auxilium meum est a Jehova, qui fecit coelum & terram.* h. e. tantum abest, ut auxilium anxie & frustra circumspicere necesse habeam, & me ad montes tandem conferre, quod hostes & æmuli de me cogitant, ut *potentissimo* præsidio *fruar* in Deo verace, optimo & potentissimo. *Veracitatem* enim & *bonitatem* exhibet nomen *Jehova; potentiam* designat titulus *creatoris coeli & terræ;* utrumque solidissimum fiduciæ & spei fundamentum: nec plura hic sector mysteria. Tantum de voce *auxilii*, & phrasi, *auxilium meum est a Jehova*, verbo dicendum restat. Primitiva potestas verbi Hebr. עזר est, *copiose fluxit*, *abundavit*, & frequentatur in *ubere animalis largiter fluente*, unde secundario est, *juvare*, *omni copia donare* a, in specie, alicui *robur* & *fortitudinem heroicam* sufficere, Jes. XII: 10. Ps. LXXXIX: 20. *posui auxilium super heroa*,

a Schultens ad Har. p. 110. & Job. IX: 13.

beroa, 2 Chron. XXVI: 15. *mirabiliter adjuvabatur*, *adeo ut potens fieret*. Utramque ideam hic conjungere possumus, & *fortitudinis*, & *copiæ* ac *abundantiæ*.

§. XIII. Videamus nunc de phrasi, *auxilium meum est a Jehova*; per quam significari existimo, 1. *Robur* & *copiam* sibi adesse abundantissime a Jehova; ita ut alio oculos flectere non necesse habeat; cum Jehova sibi *vires* & omnium rerum abundantiam concesserit, quibus se statumque suum contra quoscunque facile tueri possit: adeoque se nihil metuendum habere; sed de *status* sui perennitate esse securum. 2. Si quid desit, si aliquo auxilio opus habeat, sibi præsto esse *auxilium*, & copiam in *omnisufficientia* Jehovæ παντοκράτορος, cui nixus nihil necesse habeat alia circumspicere præsidia. 3. Addatur, ut dictis uberius lumen adspergatur, formulam esse Arabibus in usu, *non adjutor illis*, qua notatur, *eos esse perditissimæ rei & spei*, *quos nemo sua cura velit dignari* a: huic contraria formula, *Jehova est adjutor ipsi*, signat, ipsius statum esse florentissimum, & spem fundatissimam; Deo, potentissimo protectori, eum curæ cordique esse.

§. XIV. Posteaquam poeta, sive David, in sublimem dignitatis & prosperitatis locum evectus, quocum salus Reip. & Ecclesiæ Judaicæ arcte erat conjuncta, fidem & spem, in Jehova collocatam, de status sui perpetuitate, secus ac multi ejus temporis opinabantur, luculenter fuisset testificatus: mox, oratione ad eum versa, in ea exspectatione confirmatur, sive Spiritus hæc promissa ipsi inspiraverit, adeoque nomine Spiritus se ipse alloquatur; sive propheta aliquis, hanc orationem consolatoriam, seu confirmatoriam, fundens, in scenam producatur; quod mihi perinde est. Persona autem, quæ hic loquitur. א. Status firmitatem in genere promittit, cum adseverat, *pedem ejus non esse nutaturum*, ב. Fundamenta promissi jacit in vigili custodis Israelis cura, vers. 3-5. ג. Denique status confer-

a Id. ad Job. XXX: 13.

conſervationem tum figurate, tum proprie, luculentius exhibet, verſ. 6–8. Quæ vera & facilis eſt diviſio.

§. XV. א. Generalis propoſitio, quam mox demonſtrat, & amplificat, promiſſum de ſtatus, in quo hæc perſona erat, continuatione complexa, ita ſonat, verſ. 3. *Non ſinet vacillare pedem tuum*, ſc. Jehova, coeli & terræ creator, de quo tanquam auxilii ſui auctore modo locutus erat poeta; quod eſt facillimum. In hac ſua fiducia confirmatur per hæc verba, *non ſinet vacillare pedem tuum.* h. e. Cavebit Deus, ne de ſublimi hac conditione vel minimum dimovearis, ne mole aliqua preſſus declines, aut lapſus periculum incurras, contra, quam firmisſimum reddet ſtatum tuum, & ſecurum. Negans enim propoſitio involvit contrariam adfirmantem; ut in vulgus notum eſt. Phraſis Hebr., ad verbum ſonans, *non dabit ad vacillare*, vel *vacillationi*, *pedem Tuum*, non tantum ſignificat, Deum ſuo judicio nihil mali, quo de ſtatu dejici queat, eſſe immiſſurum, ſed nec permiſſurum, ut ab hoſtibus, aut aliis caſibus, tale quid contingat. *Dare* ſæpe idem eſt ac *permittere* Pſ. XVI: 10. *non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Sed & hoc tralaticium eſt. Veniamus itaque in rem ipſam, & ſenſum phraſios figuratæ exponamus. Sunt, qui *pedem* ad animum referunt, & de ejus firmitate, in certa *ſpe*, ac *fide*, ſita, interpretantur; ut ſenſus ſit, *fides* & *ſpes tua* ne vacillet, & ſtatu gratiæ excidas, Deus providebit. *Pedem* animo attribui, & de fundatiſſima *ſpe*, ac animi firmitate, uſurpari, ex Pſ. LXXIII: 1. aliisque locis, certum eſt; ſed hic locus num eum patiatur conſpectum, dubitaverim; cum vir ſanctus fiduciam & ſpem in Jehova luculenter explicuiſſet ipſe verſ. 2., adeoque longe aptius in ſpe corroboretur, quam ut de ſpei continuatione certior reddatur. Longe itaque rectius ad *externi* ſtatus firmitatem continuandam, & gloriæ ac felicitatis durationem, referimus, cum quod id ad rem faciebat, ut non *vanam*, ſed *ſolidam* eſſe illam ſpem, quam expreſſerat,

rat, perſpiciat, tum quod ſequentia in ſtatum externum exeant, ut mox videbimus.

§. XVI. Senſus ergo eſt; eum de ſolio non eſſe deturbandum, ſublimi e loco non præcipitandum, ne quidem concutiendum ſtatum, in quo erat, ita ut periculum ruinæ incurreret. *Pes nutare* dicitur, cum quis a lapſu parum abeſt, contra, cujus *firmiſſimus* eſt greſſus, ſine lapſus metu, ejus *pes non* nutare dicitur. Si quis phraſin ulterius velit premendam, *pedem* pro fundamentis & firmamentis ſtatus ſumere poterit, quibus, ut corpus pedibus, innititur conditio noſtra, quibus ſuſtinetur, adeoque ad vires, opes, ſapientiam, aliaque regni & ſtatus glorioſi firmamenta referre poterit; ſi torquere adhuc velit, ad bella & prælia, in quibus qui non *nutant*, quorum pedes non vacillant, felices & victores ſunt. Sed in generali conſpectu acquieſcimus, & *ſtatus* firmitatem, ac durationem inconcuſſam, omnique periculo ac metu vacuam, hic promitti exiſtimamus. Quominus tamen ad vitæ actiones, conſilia, geſta, caſus omnes, quibus *ambulatio* aptari poteſt, applicetur, non intercedo. Sive itaque quieſcat, ſive agat, negotia regni curando, ſive contra hoſtes moveat, *firmis* inſiſteret talis, nec ſpe, nec auſis excideret, ſed *ſolidos* ubique greſſus faceret, & proſpere ageret.

§. XVII. ב. Inſigne & ampliſſimum ſane *promiſſum*, quod non temere fuiſſe factum, ſed *ſolido* eſſe ſuperſtructum fundamento, verſ. 3-5. demonſtratur. *Non dormitabit cuſtos tuus: ecce non dormitabit, nedum dormiet cuſtos Iſraelis. Jehova cuſtos Tuus eſt, Jehova umbra tua, ad manum tuam dextram.* h. e. Quam firmiſſime ſtes, ſine ullo lapſus & ruinæ periculo, ex eo manifeſtum eſt, quod *cuſtodem* habeas pervigilem, & tui ſtudioſiſſimum, in Jehova, creatore coeli & terræ, cui Te fidere teſtatus es. Nihil hic de *potentia*, ſed tantum de *pervigili* cura cuſtodis occurrit, licet utrumque in *cuſtode* requiratur, quia de *potentia* Jehovæ nullum poterat eſſe dubium, cum ſit *coeli* & *terræ* creator;

tor; ſed, num *Jehova* tantam curam ipſius vellet gerere, ut de ſtatu ſecurus eſſe queat, id erat, de quo dubitari poſſet. Quare attentiſſimam cuſtodis curam oſtendiſſe ſufficiebat. Illa 1. adfirmatur, verſ. 3. fin. 2. confirmatur & demonſtratur, verſ. 4, 5. 1. Propoſitio fundamenti ſtatus his verbis fit, *non dormitabit cuſtos tuus*. h. e. potentiſſimum illud Numen tuum tutelare, cui fidis, & a quo ſtatus firmitatem exſpectas, ſicut vere tui *cuſtodem*, ita *pervigilem* agit. Confirmatur, Creatorem coeli & terræ eſſe *cuſtodem* hujus perſonæ, ſed ad ſtatus perennitatem demonſtrandam additur, eum *non dormitare*. Cum dicit *cuſtos tuus*, reſpicit ſine dubio ad verſ. 2. ubi perſona illuſtris dixerat, *auxilium ſuum eſſe a Jehova*. Confesſio hæc confirmatur, ubi dicitur, *cuſtos tuus;* h. e. Creator ille, cui fidis, eſt revera *cuſtos tuus*, qui tui curam & defenſionem gerit, inſtar, vel *præſidii*, vel *paſtoris:* videtur enim, vel ad milites præſidiarios, qui vallum, turres, aut arces cuſtodiunt, & ea ratione populi ſecuritatem tuentur, vel ad *paſtores* reſpici, qui excubias gregis agunt, & continua circa eum verſantur cura, ne quid mali eveniat, aut quid de grege pereat. Cæterum phraſis, *cuſtos tuus*, eſt valde emphatica, & peculiarem relationem hujus perſonæ ad Deum declarat, qua Deus ejus in ſpecie *Numen tutelare* erat, & audire volebat, cujus curam, protectionem, & defenſionem in ſpecie agebat.

§. XVIII. De hoc potentiſſimo cuſtode Davidis traditur, eum *non dormitare*. h. e. nec vere, nec etiam externa ſpecie. Etſi enim Deus ſuorum curam nunquam deponat, nihil quoque ipſum fugiat; nonnunquam tamen ita ſeſe gerit erga eos, ut videatur ad eorum ſtatum minus attendere, vel & *ignorare*, acſi Deus, qua *cuſtos*, dormitaret: de quo queritur Eccleſia Pſ. XLIV: 24. *Excitare, quare dormis Jehova? expergiſcere, ne rejicias in æternum.* Utrumque illud hic negatur, & Deo quid eſſe occultum, aut non curatum, & Deum opem, ac auxilium ſuum, ſubtrahe-

trahere, quod eſt cuſtodum dormientium: adeoque adfirmatur, *a.* Deum ad hanc perſonam, ejusque ſtatum nunquam non adtenturum, eumque ad animum eſſe revocaturum. *b.* ſuo auxilio & protectione ei ſemper præſto futurum: quæ non ſunt difficilia.

§. XIX. 2. Propoſitio ex eo firmatur, quod cuſtos ejus unus idemque ſit ac *cuſtos* Israelis; adeoque nulli obnoxius ſomno: quod argumentum *α.* exhibetur, verſ. 4. *β.* ad ſubjectum applicatur, verſ. 5. Major argumenti propoſitio, ut cum Logicis loquar, ita habet, verſ. 4. *Ecce non dormitabit, nedum dormiet, cuſtos Israelis;* ad verbum, *& non dormiet:* ſed, cum *dormire* gravius ſit, quam *dormitare*, &, ſi hoc negetur, illud per ſe excludatur, emphaſis orationis, quæ non ſolet deſcendere, ſed creſcere, nos illud, *& non dormiet*, recte cum Coccejo & aliis vertimus *nedum*, vel multo minus *dormiet;* adeoque indicatur, profundo non tantum ſomno, ſed vel *leviore* Deum non laboraturum eſſe, verum pervigili & adtentiſſimo oculo ac animo ejus curam geſturum, illudque nullo non tempore, nullo non caſu, ipſo facto demonſtraturum. Sed vis argumenti eſt in titulo *cuſtodis Israelis;* quam perſonam Deus aſſumſit & præſtitit primum reſpectu *Jacobi* Gen. XXVIII: 15. *Ego tecum ſum, ego Te cuſtodiam, quocunque iveris*, Gen. XLVIII: 16. *Angelum Goëlem ſe ab omni malo redemiſſe*, agnoſcit Jacobus; deinde reſpectu *poſterorum* ejus, ſeu *ſeminis* Jacobi, quocum *foedus* erexit ad montem Sinai, quem populum redemit, tulit, portavit omni tempore, Deut. XXXII: 10, 11. Jeſ. LXIII: 9. Huic titulo & relationi penitus adverſatur *dormire* & *dormitare*, quod a *cuſtode* alienum eſt, & ei vitio vertitur.

§. XX. Sed quid hoc ad hanc perſonam? quæ demonſtratio in hoc titulo ad pervigilem Dei curam circa Davidem, aut ejus ſimilem? Eam repræſentat, verſ. 5. *Jehova cuſtos tuus, Jehòva umbra tua, ad manum dextram tuam.* h. e. Cuſtos Israelis non dormit, ille eſt *cuſtos tuus:* ergo

non dormiet Tibi custos tuus. Vis argumenti in eo sita est, quod *custos ejus* sit ipsissimus *Israelis custos:* quo non tantum, idem Numen tutelare esse hujus personæ & Israelis, indicatur, sed & eandem curam agere ejus ac Israelis. *a.* Idem Deus est, qui *custodem* agit Davidis & Israelis, adeoque nulli somno obnoxius, cum Deus Israelis sit *Jehova*, Deus verax, fidelis, gratiæ & misericordiæ plenus, qui affectum & curam suam nunquam denegat, nunquam remittit. *b.* Sed plus hic latet, sc. eo ipso, quod sit *custos* Israelis, qui nunquam Israeli dormitat, etiam est custos illustris hujus personæ, ad quam eandem habet relationem ac ad Israelem ipsum, adeoque *custodem* ejus agit qua *Custos* Israelis. Hanc emphasin si negligas, argumento nervos succidis. *Custodem Israelis non dormitare* quid hoc ad Davidem? nisi eandem ponas Dei ad utrumque relationem, & in ipso totum Israelem censeri statuas. Quo ipso persona Davidis in lucem prodit, qua ipse Israelem præfert, cujus salus & conservatio cum ipso arcte erat conjuncta. Quod latius exequi non licet.

§. XXI. Addamus verbum de reliquis epithetis, quibus amplitudo tituli *Custodis* explicatur. Jehova, qui generali titulo *custos* hujus Viri appellatur, ejus *umbra & ad dextram ejus* esse dicitur. Hæc enim epitheta lubens distinguerem; cum quod distinctos præbeant intellectus, tum quod nulla ratio sit, quare *umbra* magis ad *dextram* sit, quam ad utrumque latus: novi quid rationis dari queat, ex. gr. Judæis, ad ortum versis, solis æstum in Austro esse ad dextram; vel militem clypeo sinistrum latus habere tectum, sed dextrum apertum. Sed hæc longius quæsita sunt. Disjungamus itaque, & seorsim explicemus. *Umbra*, quia æstum, in oriente vehementissimum, *retundit*, & *obtegit*, ne quis ejus insultibus pateat, pro quacunque *protectione*, *tutela* & *præsidio* venit in oratione figurata: ut Num. XIV: 9. *recessit umbra ipsorum.* Jes. XXX. *sperare in umbra Aegypti.* Ps. XCI. *In umbra omnipotentis commorari.*

Sic *umbra alarum* memoratur Pſ. xvii, xxxvii. & ſæpe alibi. Num *columna nubis*, quæ Israelis caſtra obtexit in deſerto, poetæ fuerit in oculis, adfirmare nequeo, cum phraſis ſit generalis, & figura vulgatiſſima; ad *æſtum* tamen ſolis, & *Lunæ* frigus, reſpexiſſe ex ſeq. patet, de quo mox. Titulus etiam *cuſtodis Israelis* conjecturam firmare poſſet, is enim innuit, Deum eandem tutelam præſtare huic perſonæ, quam olim Israeli: ſed hoc non urgeo. Senſum ad verſ. 6. exponam.

§. XXII. Alterum epitheton habet, Deum eſſe *ad dextram ejus*, cujus ſenſum in genere ſimilis phraſis exhibet, Pſ. xvi: 8. *quia ad dextram meam eſt, non movebor*, quæ explicatio nos ad generalem theſin verſ. 3. ducit, *non ſinet pedem tuum nutare.* Jehova itaque *dexter* alicui adeſt, cum tutela & auxilio ſuo ipſi præſto eſt, & cavet, ne labatur, aut declinet. Si quis ulterius velit extendere, *dextra* referri poterit ad quascunque actiones, & præclara facinora, quæ Dei ope & cura feliciſſime caderent, in ſpecie ad regni adminiſtrationem, cujus ſignum eſt *ſceptrum* in dextra, quæ proſperrima foret, quod ex verſ. 8. aliquid roboris acquirit. Quemadmodum enim *umbræ* epitheton, verſ. 6 & 7., ita *dextræ* adeſſe, verſ. 8. cenſeri poteſt explicari. Conf. etiam Jeſ. lxiii: 12.

§. XXIII. 1. Tertia ergo ſequitur partis conſolatoriæ pars, ſupra poſitis epithetis enucleatius tradendis deſtinata, qua *a. Umbræ* emblema, verſ. 6, 7. *b. Dextræ* confirmatio, verſ. 8. evolvitur. *a.* Verſ. 6 & 7. ita habet, *De die ſol Te non uret, nec Luna de nocte: Jehova cuſtodiet te ab omni malo, cuſtodiet animam tuam.* h. e. Obumbratio Jehovæ te ab æſtu Solis, & frigore Lunæ, defendet, quatenus te, animamque tuam, ab omni malo intactum præſtabit ſuo patrocinio. Verſus ſe mutuo explicant, quod enim verſ. 6. figurate, id verſ. 7. clare & propriis phraſibus effertur: quo nihil eſt uſitatius. Verſ. 6. nihil, quoad phraſes, habet, ad quod quis obhæreſcat. Poſterius membrum,

brum, *& Luna de nocte*, est ellipticum, ex antecedente supplendum. Verbum enim *urere* æque *Lunæ ac Soli* competit; cum *frigus* æque urat, ac *æstus*, idemque verbum de utroque usurpetur etiam apud Exoticos *a*. Cæterum similis ellipsis est Gen. XXXI: 38. *die adurebat me æstus, & noctu gelu*, inquit Jacobus. Ad quem cum vers. 4. titulus *custodis* Israelis nos duxerit, & hic ad Jacobum respici, melioremque sortem huic personæ adsignari, non inepte statuitur. Frustra itaque hic laborant Interpretes in ellipsi supplenda, quæ adeo propinqua est, & illis etiam regionibus convenientissima; quippe quæ dies habent per æstum solis *calidissimos*, & noctes rursus frigidissimas, ut Itineratores testantur.

§. XXIV. Majoris operæ fuerit, sensum *figuratum* recte percepisse; non enim proprie, sed figurate verba esse intelligenda, nemini dubium esse potest. Sole & Luna proprie non aduri, nec ad rem multum facit, nec sine miraculo fieri posset, si quis *Soli* & *Lunæ* se exponat, nec *custodiæ* promisso comprehenditur, ut ex *Jacobi* historia claret. Primum & generalem existimaverim esse sensum, liberam & immunem futuram hanc personam ab *omne genus* malo, *omni* tempore. *Dies* & *noctes*, quæ quotidiana est temporis divisio, *continuum* & *perpetuum* tempus signat, uti Ps. XXIII: 4. *interdiu & noctu gravis mihi incumbit manus tua*, seu semper, sine intermissione, Jes. LXII: 6. *Muris tuis imposui custodes, noctes & dies perpetuo non silebunt*, ubi per תמיד exponitur. Vid. & Jer. VIII: 23. Cum autem dies *æstu*, & noctes *frigore* molestiam creent, & plagam sæpe lethalem adferant, ab omni malo, quod homini insignem noxam infligere potest, hunc virum fore liberum promittitur, cum nec *æstu*, nec *frigore* dicatur adurendus. Quam facillimam interpretationem vers. 7. confirmat, & Ps. XCI. illustrat. Quod enim Ps. XCI: 5. *non timebis*, dicitur,

a Vid. præter Bochium h. l. Cl. Drakenborch ad Sil. Ital. IV: 68. ubi & alios citat autores.

tur, *a pavore noctis*, *a telo interdiu volante*, illud hic indicatur per æstum solis, & frigus noctis, non usturum. Sed vers. 7. metaphora exponitur, cum mox subjungitur, *Jehova custodiet Te ab omni malo*, *custodiet animam tuam.* h. e. Te, personamque tuam, ita tuebitur, proteget, & defendet, ut nihil mali, statui tuo adversum & exitiale, te adtingere queat. Agnosco emphasin in repetitione *animæ*, sed ad *statum spiritualem* ut referatur, nihil rationis video. Mihi per *Te* & *animam* videtur & adscititia & propria persona significari; per hanc erat homo, vir pius, per illam vir illustris, in sublimi dignitate positus: unde sensus emergit, Jehova cavebit, ne aut *dignitati*, aut *vitæ* tuæ, aliquid *mali* eveniat, custodiet *Te*, h. e. personam, quam geris inter homines, imo *animam*, quod plus est, id quod Tibi proprium est, & carissimum. Frueretur regno florentissimo, & in eo omnibus bonis, quæ felicem & beatum ipsum reddere possint, quoad animam & corpus. Conf. Ps. XXIII. & ibi dicta. Cæterum, quando custodia ab omni *malo* promittitur, de levioris & minoris momenti malis, vel quæ ab hominis *vita* vix separabilia sunt, non est necesse ut cogitemus, sed de *atrocioribus*, quæ insigne damnum aut dignitati aut personæ infligunt. Nec prorsus *intactum* a malo eum nobis ob oculos ponamus, sed non ita afficiendum, ut succumbat, aut multum damni patiatur, sed, si ingruat, liberaretur, & gloriosius resurgeret.

§. XXV. Hac in emblematis explicatione licet acquiescamus, videamus tamen an majus *mysterium* sectari liceat. Sunt, nimirum, qui per *solem* & *Lunam* intelligunt *potestates* dominantes, & *vexandi* potentia præditas, qua subditis, vel inferioribus, prægraves sunt, adeoque ad *persecutiones*, quas Politici & Ecclesiastici contra pios & veritatis studiosos suscitant, referunt. Dubito, an recte & solide. 1. Quia, etsi *sol* & *Luna* in stylo Prophetico duas hasce eminentes potestates expingant, nusquam *frigus Lunæ* ad persecutiones, sed tantum *æstus solis* refertur.

tur. Ita Jes. XLIX: 10. *non esurient, nec sitient, nec percutiet eos æstus & sol*, seu *æstus solis*, nec non c. IV: 6. XXV: 4. ubi, quod not., *æstus* & *frigus* non conjunguntur, sed *æstus* & *imber*, a quibus Deus se *umbraculum* præberet suis. Ita & Ap. VII: 16. ubi non noster citatur locus, sed Jes. XLIX. noster autem nusquam *citatur*, aut ad persecutiones refertur. 2. *Sol* & *Luna* si potentias persecutrices expingant, quid *dies & noctes* denotabunt? *Reges* quomodo de die, & *sacerdotes* de *nocte* vexare dicuntur? Ergo in generali sensu, modo prolato, subsistimus. Licet haud difficile foret, *politicas* & *Ecclesiasticas* has potentias demonstrasse, quæ Judæis temporibus Maccab. graves fuerunt, sed a quibus sub *Joh. Hyrcano*, quem hic in oculis habemus, prorsus immunes fuerunt. Illud abs re non fuerit notasse, forte statum Davidis, quo a Saulo vexatus huc illuc divagari debuit, & multa pati, hic in oculis fuisse vati, si David sit, & oppositam pacem, tranquillitatem ac prosperitatem, promitti.

§. XXVI. Posteaquam explicuisset poeta, quomodo Deus sese *umbraculum* exhiberet ab *æstu solis* & *Lunæ*, quæ usitata phrasis est locis citatis, nunc finit in exponendo, quomodo Deus *ad dextram* ejus foret: huc enim pertinet, vers. 8. *Jehova custodiet egressum & ingressum Tuum ab hoc tempore in perpetuum.* h e. Omnia tua negotia, domestica publica, togata & sagata, prospere & feliciter faciet succedere; absque ut Tibi, aut gestis, quid sinistri accidat. Phrasis, *egredi* & *ingredi*, in Script. usitata, si de singulari & vulgari persona usurpetur, *domestica* & *publica* gesta comprehendit, si de populo, aut illustri ac publica persona, negotia *politica* & *militaria*, ut *ingredi* sit res regni curare, *egredi* militiæ negotia administrare. Vid. Deut. XXVIII: 6. XXXI: 2. 1 Sam. VIII: 20., adeoque explicetur per *omne, quod quis facit* 2 Sam. III: 25. *Egressus* ille & *ingressus* custoditur, cum cavetur, ne quid infortunii accidat, aut male succedat; ne quid eveniat, quo *turbetur*

quis, & damnum patiatur in vitæ suæ negotiis, & muneris administratione. Præterea insinuatur, tempus *pacis & tranquillitatis* fore, quo quis sine metu & periculo *egredi & ingredi* queat. Denique, cum *in sæculum* illa conservatio extendatur, illud non absolute, sed restricte esse intelligendum, subjectum, cui attribuitur, extra dubium collocat. In *saeculum* ergo est, durante vita, & munere; quamdiu *egressus* & *ingressus* durat; adeoque per omnem vitam, aut quamdiu aptus foret hic Vir *egredi* & *ingredi*. Quod latius non extendo.


IMPLEMENTUM.

§. XXVII. Implementi demonstratio nos detineat, necesse non est, cum sive Davidi, sive Johanni Hyrcano, aut simili, applices, res sponte cuique ex eorum historia in oculos incurrat. David, ex. gr. cum primum in throno esset collocatus, undiquaque hostibus & periculis adeo videbatur expositus, ut, num statum tuiturus esset, multi dubitare potuerint: ab altera parte domus Sauli adhuc per Abnerum defendebatur, ab Israel nondum pro rege agnoscebatur, multi lividis oculis hanc ejus gloriam intuebantur: ab altera parte Philistæi, aliique populi vicini, ipsi, ipsiusque regno, imminebant: denique regnum sub Saulo valde erat turbatum, exhaustum & laceratum. Quæ omnia statum Davidis dubium reddebant. Sed tantum abest, ut ipsius animus fuerit commotus, ut de firmitate status persuasus in Deum secure recubuerit. Expertus etiam est cuncta hæc bona, a Deo custoditus, & in omnibus gestis prosperrimus fuit; nullis ab eo tempore persecutionibus aut malis obnoxius secure & tranquille degit; si casum Absolomi excipias: sed ille fuit *brevis* temporis, & cito felicem habuit ac gloriosam *catastrophen*; quo tempore hanc *Dei custodiam* mirabiliter expertus est: sed hæc speciminis ergo dicta sunto.

USUS.

USUS.

§. XXVIII. Usus Ps., si promissa cum *votis* commutentur, 1. ad illustriores personas recentes in dignitate & munere pertinet &c. 2. ad Israelitas, tribus festis solennioribus Hierosolymam adscendentes; qui generali promisso gaudebant, se illo tempore ab hostibus non esse invadendos, Ex. XXXIV. 3. Ad qualescunque *pios*, qui se, ex hoc Ps., tutela Dei consolari possunt. Habet ergo hic Ecclesia, habent singula ejus membra, quo se erigere queant, habent firmissima *fiduciae* suæ firmamenta; modo *Jehovae* fidant, & se *tutela* Dei haud indignos gerant &c.





PSALM. CXXII.

1. *Canticum adſcenſionum, Davidis. Laetor de illis, qui mihi dicunt: domum Jehovae ibimus.*
2. *Fixi ſunt pedes noſtri in portis tuis, Hieroſolyma!*
3. *Hieroſolyma excellenter aedificata, tanquam urbs, quae ſibi coagmentata eſt uniter.*
4. *Quo adſcendunt tribus, tribus Dei, ſtatutum,* vel *ornamentum, Iſraeli, ad celebrandum nomen Jehovae.*
5. *Quia ibi ſedent throni judicii, throni domus Davidis.*
6. *Petite pacem Hieroſolymae, defoecati ſint amantes tui; Hieroſolyma!*
7. *Sit pax in circuitu tuo, liquida tranquillitas in tuis palatiis.*
8. *Propter fratres & ſocios meos loquar profecto pacem in te.*
9. *Propter aedem Jehovae Dei noſtri quaeram tibi bonum.*

PROLEGOMENA.

§. I.

CUm auctor cantici, teſte inſcriptione, ſit *David*; & Hieroſolyma hic tanquam metropolis regni Davidici, & ſedes religionis, ubi *domus* Jehovæ erat, celebretur: illud mihi omnino videtur compoſitum, quo tempore David Hieroſolymam in ſua non tantum poteſtate habebat, &

& magnifice exædificaverat, sed & promissum acceperat de stabili regni in domo sua successione, & *Templo* a Filio suo exstruendo Hierosolymis, cui cultus Dei foret alligatus. Sive mox post promissum illud factum, 2 Sam. VII., & arcam foederis, in ejus pignus, collocatam in Tsione; sive potius posteaquam sub vitæ finem, concione populi convocata, & de Templo ædificando mandata dedisset, & populi consensum ac vota lætus percepisset: ut narratur, 1 Chron. XXIX., quo forte respicitur, vers. 1. *Laetatus sum* &c.

§. II. Argumentum Cantici est *testificatio* lætitiæ super Hierosolyma, sede Templi summo cum populi consensu constituta, *gratulatio* & celebratio Hierosolymæ de eo, dein *vota* pro ejus pace & prosperitate concepta, cum *promisso*, se quicquid posset eo esse collaturum, ut Hierosolyma sit & maneat quam florentissima, cum propter *populum*, fratres & amicos suos, quorum salus a prosperitate Hierosolymæ dependeret, tum propter *Templum*; ibi exstruendum.

§. III. Quartuor itaque sunt cantici partes, uti ex argumento proposito facile elucet. I. *Prima* est *gaudii* explicatio super Hierosolyma, sede religionis & regni communi consensu constituta, vers. 1, 2. II. *Secunda* in parte Hierosolymæ, qua metropolios regni & sedis Templi, laudes canuntur, vers. 3—5. III. *Tertia* complectitur *vota* pro pace Hierosolymæ, & omnibus imperata, & a Davide concepta, vers. 6, 7. IV. *Quarta* denique *propositum* Davidis exponit de Hierosolyma magis magisque *beanda* pro viribus, vers. 8, 9.

§. IV. *Scopus* mihi videtur, populum confirmare in spe Templi ac regni Davidis perpetui, nec non præparare & excitare, ut Hierosolymam pro sede regni & religionis recipiant, & omni ope ejus pacem & prosperitatem promoveant, cultumque Dei alacres ibi observent. Huc enim directe tendit *mandatum* de *pace* ejus *petenda*, vers. 6., & indirecte *laetitiae* suæ testificatio super promtitudine & stu-

dio eorum, qui Hierosolymam se petere velle *cultus* ergo profitebantur, vers. 1. 2. Cum enim David populo esset acceptissimus, ejusque exemplum lubens sequeretur; his verbis non poterat non excitari, ad cultum Deo Hierosolymis deferendum.

ANACRISIS.

§. V. Quæ cuncta ex hypothesi Ps. exponendi clariora evadent & certiora, quare ad eam investigandam me adcingo. Interpretes in duas in genere scinduntur partes: alii terrestrem & proprie dictam *Hierosolymam*, alii Spiritualem & mysticam intelligunt, sc. Ecclesiam Christi universalem. Quorum posteriores sicut omni fundamento destituuntur, ita in clarissima litteralis Hierosolymæ criteria, hic consignata, inpingunt. Ea enim hic sistitur Hierosolyma, ad quam *tribus* Israelis, vi fixæ legis, adscendebant, Dei colendi ergo, in qua *domus Dei* erat, & thronus judicii, tribunalia domus Davidis, stabilem tenebant locum. Hisce in casibus si a litterali sensu discedendum sit, verbi prophetici & Ps. interpretatione nihil percipi potest incertius, & quod hominum lusibus magis est obnoxium. Sed nec illi, qui *Hierosolymæ* verum sensum retinent, inter se consentiunt, cum alii *Davidem* hic loqui censeant, alii *Apostolos* & primos euangelii præcones in scenam produci opinentur. Horum est hypothesis, Apostolos hic introduci, cum ad Gentes sese convertebant, calumniam Judæorum a se removentes, acsi odio legis & religionis Judæorum ducti in eam conspirassent, & eam e medio vellent sublatam. Hoc scopo effunderent sese Apostoli in laudes Hierosolymæ, & adfectum suum in eam explicarent, tantumque abesse profiterentur, ut populo suo & urbi patriæ male vellent, ut contra nihil magis in voto haberent, nihil majore studio quærerent, quam ut Hierosoly-

rosolyma vera pace & prosperitate gauderet. Sed 1. & hæc opinio nullo nititur fundamento, nullum hic occurrit apostolorum criterium, nullo patet indicio, personas loquentes *calumniæ* illius repellendæ ergo Hierosolymam celebrare. 2. Hierosolyma hic repræsentatur, quo tempore throni *domus Davidis* in ea vigebant, quod ab Apostolorum temporibus abhorret. 3. Personæ loquentes non tam explicant quid præterito tempore, sed hoc ipso tempore agerent, & quo adhuc delectarentur; ut cultus Dei Hierosolymis perageretur. 4. Denique Templi causa pacem Hierosolymæ quærere in Apostolos, qui cultum ritualem cum Spirituali volebant commutatum, minus apte quadrat.

§. VI. A Davide itaque non est discedendum, nec discessissent forte, nisi in communi hypothesi graves offendissent difficultates, quibus ea destruitur. Referunt nimirum, qui de David interpretantur, ad illud tempus, quo ipse *arcam* Domini in monte Tsionis collocavit; quo tempore lætitiam suam explicuisse volunt super studio populi Jehovam ibi quærentis, & colentis. Sed vehementer obstat, quod cultus Dei tunc temporis nondum fixus fuerit Hierosolymis, ut ex hac opinione sequitur, quia *Tabernaculum* Mosis cum *altari æneo*, aliisque instrumentis, adhuc erat *Gibeone*, ibique sacrificia offerri solebant, quod in initiis Salomonis adhuc obtinuit. Vid. 1 Chron. XVI: 37-- 2 Chron. I: 2—. *Domus* Dei non fuit in emphasi Hierosolymis, nisi posteaquam *Templum* ibi ædificatum est a Salomone.

§. VII. Meæ itaque de hoc cantico cogitationes habent, illud esse compositum, posteaquam, arca Hierosolymam translata, Deus per prophetam declarasset, Hierosolymæ Templum haud diu post a Salomone esse exstruendum, & sedem religionis ibi figendam; & populus promtum declarasset animum, Deum nullo alio loco ac Hierosolymis quærendi, vel, ut supra insinuavi, quum de loco Templi, Hierosolymis mox ædificandi, certior factus omnia eum in fi-

nem

nem disposuit & præparavit, & populi vota intellexisset. Hoc tempore & rerum statu David lætus agnoscit hoc in cantico populi studia in Hierosolymam, & ea super re summis eam extollit laudibus, votaque pro diuturna ejus pace & prosperitate concipit. *Hierosolyma* itaque, tanquam iis prærogativis jam beata, ob oculos sistitur, quia mox iis certo certius gauderet, & scopus Davidis est, populum in eo studio erga Hierosolymam confirmare, magis magisque excitare, ut suo tempore illud exacte præstent. Quæ hypothesis ut nihil habet a Davide ejusque tempore alienum, sic cunctis phrasibus egregie respondet: quemadmodum explicatio, quam aggredior, in lucem proferet.

EXPLICATIO.

§. VIII. *Prima* Ps. pars, quæ lætitiam Davidis super studio populi, Deum Hierosolym*is*, cum Templum conditum esset, quærendi, testificatur, ita sonat, vers. 1, 2. *Lætor de illis, qui mihi dicunt: domum Jehovæ ibimus: fixi sunt pedes nostri in portis Tuis, o Hierosolyma!* h. e. Magna me afficiunt lætitia, quos nunc audio promittentes, & dicturos haud diu post prævideo, se domum Jehovæ, quæ Hierosolymis est, petituros, suosque pedes ibi firmiter esse constitutos, ad sacra obeunda, & judicia tractanda: quorum itaque verba sunt, eruntque, *Hierosolymas ibimus ad Templum Jehovæ:* in portis tuis firmum accepimus locum, in quo munia obeamus, & judicia exerceamus, Hierosolyma! Quæ si aliis verbis exprimere velis, dicent; Hierosolymam pro unica religionis sede, & pro supremo tribunali, agnoscimus, & ipso facto demonstrabimus, cum Templum fuerit exstructum, uti nunc *judiciorum* respectu facimus.

§. IX. *David* est, qui loquitur, tum quia auctor cantici est, tum quod persona illustris sit, quæ ad Hierosolymæ

pacem

pacem & prosperitatem multum conferre poterat, ut ex vers. 8 & 9. patet. Rationem lætandi ea de re habebat duplicem: *altera* est, quod ipsius familia stabile haberet regnum Hierosolymis, vers. 5., *altera*, quod metropolis regni sui, ab ipso occupata & exædificata, unica foret religionis quoque sedes. *Materiam* lætitiæ præbuit prona populi & procerum voluntas, qua utrumque hoc assumsit, & se præstiturum esse promisit. Prius ad *religionis*, posterius ad *tribunalium* sedem pertinet. Cum autem *prius* nondum exstaret, *posterius* jam locum habebat, hinc diversitas temporum, quibus hæc duo exprimuntur, repetenda est. *Templum* nondum erat ædificatum, quare fut. tempus adhibetur, *ibimus domum Jehovæ*, sc. cum fuerit exstructa, tunc eo nos conferemus, & mutuo nos adhortabimur, dicentes, *eamus* &c: sed cum *tribunalia* domus Davidicæ jam vigerent Hierosolymis, præt. tempore utuntur dicentes: *stant firmiter pedes nostri in portis tuis, o Hierosolyma!*

§. X. *Prius* illud, *domum Jehovæ ibimus*, nihil habet obscuri: quare verbo suffecerit notasse, *a.* per *domum Jehovæ* hic intelligi *Templum*, mox post mortem Davidis a Salomone condendum; in quo Jehova sese externo symbolo supra arcam exhiberet præsentem; sacrificia, & preces populi susciperet, &, ritus religionis acceptos sibi esse, demonstraret. *b.* Phrasis, *ibimus* &c, promtum animum, & fervens studium exprimit; simul complectitur universum religionis exercitium, Templo alligatum. *Ire domum Jehovæ*, est, eo cultus ergo tendere, quod est facillimum. *c.* Sed majoris est, observasse, *ire* ad *Templum* non esse, ubicunque fuerit, sed restricte ire Hierosolymas ad domum Dei, vel quæ est *Hierosolymis*, aut quæ in medio tui erit, o Hierosolyma; oratio enim ad ipsam Hierosolymam dirigitur in fin. vers. 2. quæ adlocutio sese ad utrumque membrum præcedens extendit, ut existimaverim.

§. XI. *Posterius* membrum, *stantes sunt pedes nostri in portis tuis*, refero ad *tribunalia* judicum, cum quod *portis*

 alli-

alligentur, solebant enim antiquitus in portis urbium erigi, & judicia exerceri, ut ex locis multis in vulgus notum est, tum quod vers. 4 & 5. duo illa eadem ratione conjungantur, ut hic, templum & *tribunalia.* Nec abhorret verbum *stare*, quippe cujus usus est in *præfecturis* & *imperiis.* ut 1 Sam. XIX: 20. Mich. V: 3. Dan. XI: 2, 3, 4. XII: 1. & alibi *stare* dicuntur hoc sensu, qui in sublimem locum evecti aliis præiunt, & populum gubernant, ac judicant. Phrasis, *stantes sunt pedes* nostri, simpliciter non dicit, *stant*, sed majorem involvit emphasin, dicitque, factum est, ut firmam ac stabilem acceperimus præfecturæ & judicii *sedem.* Secundum datam interpretationem judices & seniores populi erunt, qui hic loquuntur, suumque consensum de Hierosolyma, suprema judiciorum & recturæ sede, exprimunt. Quod si quis ad universum populum extendere velit, *stantes* in *portis* erunt cives & subditi, leges & judicia in portis Hierosolymæ accipientes. Quæ eodem redeunt.

§. XII. Posteaquam lætitiam suam super hoc populi consensu, & promto animo religionem Hierosolymis exercendi, & quod eam urbem pro metropoli habiturus esset, exposuisset David, mox ea de causa in laudes Hierosolymæ erumpit, eique quasi has prærogativas gratulatur, *a.* in genere vers. 3. *b.* in specie respectu *religionis* & *tribunalium* Hierosolymis fixorum, vers. 4, 5. *a.* Vers. 3*tius* ita habet. *Hierosolyma excellenter ædificata, tanquam urbs, quae sibi coagmentata est uniter.* h. e. Hierosolyma est *urbs*, eximie sic dicta, quæ sola hoc nomen in tota terra meretur; quæque sicut est magnifice ubique ædificata, multis & splendidis ædificiis ornata, ita & firmiter compaginata, apte connexa, & in totius populi *metropolin* erecta, ita ut in ea & per eam universa terra sit *uniter sociata.* Quæ paraphrasis, antequam Hierosolymæ eam adplicem, ex vocibus & phrasibus eruenda & illustranda est.

§. XIII. 1. Hierosolyma hic appellatur *urbs*, non vulgari

gari, sed excellentiore sensu, seu summa emphasi; sensu enim communi nihil magnifici de ea diceretur, cum plures essent in Cananæa urbes. Quare *urbs* hic appellatur, ut *Athenæ* & *Roma*, aliæque Metropoles, quæ hoc nomine solæ superbire solebant; adeoque *urbs* una & sola, eo nomine insignienda, Metropolis totius terræ. Ita Babylon κατ' ἐξοχὴν *urbs* solet appellari, ut Jes. XXV: 2. XXVII: 10. XXXII: 19. nec non *Hierosolyma* Mich. VI: 9. 2. De hac urbe duo in ejus laudem prædicantur, unum est, eam esse *exaedificatam*, alterum, *uniter compaginatam*. *Prius* una hac voce exprimitur, Hierosolyma *exaedificata* sc. est; sed præmittitur ה demonstrativum, ut dicitur, quod insignem voci addit emphasin; denotat *exaedificatam illam* h. e. insigniter & splendide ædificatam; ita ut summa emphasi, & sola, dici mereatur *aedificata*. Respicitur ergo ad copiam & splendorem ædificiorum, quibus ornata erat; in specie ad aulam regis, palatia magnatum, tribunalia judicum, splendidissimum Templum; aliaque ædificia sumtuosa & magnifica. Ita *palatia* ejus celebrantur Ps. XLVIII: 14. Denique *ornatus*, qui summus erat Hierosolymæ, non erat negligendus, cum ab eo celebretur, Ps. XLVIII: 3.

§. XIV. *Posterius*, quod in laudem ejus profertur, est *arcta ejus coagmentatio*, his verbis, *quae sibi coagmentata est uniter:* sic enim voces esse vertendas, censeo. Verbum Hebr. חבר proprietatem habet in *virgula nectente*, *compaginante*, arctius cohærere faciente; hinc cum ad *aedificii compaginationem* transfertur, ut de *tabernaculo*. Ex. XXXVI: 8. *Fecerunt dein uncinulos aeneos* 50., *ut conjungeretur tentorium*, *essetque unum*, tum etiam ad *societates* hominum uniter aptas, ut Gen. XIV: 3. Ps. XCIV: 20. & sæpe alibi. Arctam illam coagmentationem adhuc arctiorem reddit vocula יחדו, quam *uniter* reddidi, peculiarem ejus potestatem secutus, qua יחד quæ vertitur, *una*, *simul*, *pariter*, idem dicit, quod Lat. *uniter*, seu *arcte* uniter aptum; Ps. II: 2.

Job. x: 8. Pf. LXXXVI: II. CXLI: 10. ita hoc in loco fignat *unitatem*, feu folidiffimam coagmentationem, qua res uniter aptæ & nexæ efficiuntur, & quafi *in unum* coalefcunt. Habet hæc vocula & alium ufum, hic non omittendum, quo *uniter*, *pariter*, dicit *totum quantum*, *omne in univerfum*, ut Job. VI: 2. Pf. LXII: 10. & IV: 9. *in pace pariter cubabo*, h. e. totus quantus fum: nec illud a noftro loco abhorret; *coagmentata fibi tota quanta* egregium fundit fenfum, univerfam fc. civitatem firma compactione cohærere. Denique, *fibi*, *coagmentata fibi*, vel abundat, ut apud Lat., & idem eft, ac *coagmentata* eft, vel etiam ad *partes*, ex quibus conftat urbs, referri poteft, ut *compaginita fibi* fit, partes fuas omnes uniter aptas habet.

§. XV. Hisce in lucem protractis, fenfus non eft in obfcuro. Hierofolyma dicitur *urbs uniter* & *tota compaginata* *a.* quatenus *muris* & *turribus* undiquaque & circumquaque cincta & munita eft; *muri* enim & *turres* urbem conftringunt, & in unum quafi corpus firmiter compingunt: quod Syro videtur in oculis fuiffe, cum fenfum magis quam verba hunc in modum expreffit, *Hierofolyma munita ficut urbs vallata muro. b. preffe* eft ædificata, & præ ædificiorum copia *arcte* inhabitata; ita ut tota fit uniter & arcte compacta, tanquam *corpus uniter aptum*. *c.* Civitatem conftituit *apte* ordinatam, & *arcte* colligatam, in qua omnia cohærent, & in unum confpirant; cum *legibus*, tanquam *nervis* & *juncturis*, totum corpus in unum eft coactum, *civitas* & *religio* indiffolubili vinculo cohærent: quod in nulla verius eft civitate ac Judaica. *d.* Denique addo, Hierofolymam qua *metropolin* uniter *compaginatam* adpellari, quatenus univerfus populus ejus medio in unum corpus coalefcit, vel potius, in eam ut fedem religionis & judiciorum uniter cogitur, ita ut a toto populo uniter inhabitari dici poffit, cum omnes ejus fint *cives*, ubicunque etiam locorum degant. Hac ratione Hierofolyma

lyma urbs audit *uniter compaginata*, quæ universum populum in se, & intra se, in unum corpus compingit.

§. XVI. Quo tempore Ps. a Davide est compositus, ipse ad Hierosolymam ornandam & extollendam jam multa contulerat. Tribunalia non tantum in ea erexerat, & sedem regni eam constituerat, sed & superiorem urbem, Tsionem & civitatem Davidis appellatam, muniverat, & undiquaque exædificaverat. Condidisse enim traditur urbem *circumquaque* a *Millone introrsus*, 2 Sam. v: 9. Imo *Joabus* jam *reliquam urbem* instauraverat. 1 Chron. xi: 8. *Millo* locus Hierosolymæ fuit inter Tsionem & montem Templi. Sed *Salomo*, quicquid ad summum ejus ornatum deficiebat, complevit. Splendidissimum in ea condidit Templum, aulam regiam, palatia alia & tribunalia; præterea *muro* circumquaque cinxit. De eo enim testatur Auctor libr. 1. Chron. ix: 15. eum ædificasse *aedem Jehovae, domum suam Millonem, murum Hierosolymae* &c. Hæc Salominis opera cum David certo sciret paulo post esse exstruenda, ad quæ ipse ingentem omnium rerum apparatum fecerat, cumque de Hierosolyma, sede religionis & regni, clarissima accepisset promissa, a Deo ipsi facta; hinc est, quod ipse lætitiam suam de ea re jam testificetur, & Hierosolymam sibi tanquam illis prærogativis jam ornatam ob oculos posuerit; nec non de ejus splendore & bonis, licet magnam partem *futuris* adhuc, loquatur tanquam jam præsentibus. In quo nihil est remoti, & longe quæsiti.

§. XVII. *Religio* & *judicia*, rite administrata, quemadmodum quascunque urbes felices & celebres reddunt, sic longe felicissimam & celeberrimam constituunt urbem, in qua sola universi populi tribunalia sedent, & religio recte exerceri potest. Quæ ratio est, quare a duabus hisce prærogativis Hierosolyma hic celebretur, vers. 4, 5. Religionis sedem Hierosolymæ alligatam vers. 4. his verbis exprimit. *Quo ascendunt tribus, tribus Dei, statutum*, vel *ornamentum est Israeli ad confitendum nomini Jehovae*. h. e. totus

tus populus in 12 tribus divisus, quæ singulæ *tribus Dei* sunt, adeoque æquali jure in regimine & religione gaudent, huc ascendit solenniter ad laudes Deo canendas, & cultum ipsi gratum deferendum; adscendunt autem tribus per fixam legem, & statutum Israeli datum, cujus summa est, ut non tantum Deum solenniter statis temporibus colant, sed *Hierosolymis* id faciant. *Tria* in laudem Hierosolymæ, quod ad religionem, memorantur, *a.* Eo sese conferre homines ad Deum colendum. *b.* omnes tribus, quæ Dei tribus sunt, eam pro sede religionis unica agnoscere. *c.* fixam esse legem Israeli datam ea de re.

§. XVIII. *a. Primum* est, religionis studiosos Deum quærere *Hierosolymis*, sive ipsi *adscendant*, sive munera & sacrificia eo mittant: quod utrumque fieri poterat, & ad *Deo confitendum* fiebat. Phrasis, *nomini Dei confiteri*, cunctas veræ religionis partes comprehendit, quicquid *fidei* nostræ de Deo testificandæ peragitur; sive preces ad Deum funduntur, sive laudes ipsi canentur, sive sacrificia & munera offerantur, sive quid aliud a Deo præceptum observetur. Cuncta illa sicut *cultum Dei & religionem*, olim Israeli præscriptam, constituunt, ita *confessio nominis Dei* apte & emphatice appellantur; *α.* quia *fidem* & *confessionem* suam de Jehova, vero Deo & unico gratiæ fonte, unico Domino & legislatore suo, eo modo publice edebant Israelitæ; &c. *β.* Quia Deo ea ratione gloria *nominis sui Jehova* publice dabatur, cum agnosceretur & celebraretur, tanquam Deus, qui sese gloriosum & virtutibus gratiæ, veracitatis & justitiæ, & operibus magnificis, in populo redimendo, & beando, exhibuerat, & præstaret in posterum. *γ.* Denique quia sese Deo ad omne genus officia obligatos profitebantur, & *foedus* cum Jehova initum identidem renovabant.

§. XIX. *b.* Hoc etsi gloriosum erat Hierosolymæ, homines religiosos Deum ibi quærere, & religione, Deo accepta, defungi posse, attamen gloriosius erat, *omnes tribus*,

eas-

easque *tribus Dei*, eo ſeſe conferre, ad religionis officia explenda. Reſpicitur, ni fallor, ad ſolemnia feſta, quibus turmatim omnes tribus, ſeu mares ex toto populo, ſeſe *coram Deo* ſiſtere debebant, ſecundum legis præſcriptum. Quod cum *Hieroſolymis* fieri debere adfirmatur, ad laudes ejus vix quidem addi poteſt. Quo fini non tantum *tribus*, ſed & *tribus Dei*, appellari cenſuerim, ut prærogativa Hieroſolymæ conceſſa extolleretur. Cum enim ſingulæ *tribus*, qua tales, eſſent æquales, & ſingulæ, qua *tribus Dei*, jus in locum cultus Dei haberent; Hieroſolymæ ſummæ erat laudi, ſolam eſſe electam, ad quam tribus Dei venire debebant, ut Deo cultum deferant. *Tribus* denominatio univerſum populum complectitur, in *tribus* diviſum; ſive quia unius arboris erant diſtincti *rami*, omnes ex *Jacobo* oriundi; ſive quia ſingulæ ſuprema gubernationis poteſtate gaudebant, & aliæ ab aliis non dependebant, ſed *foedere* tantum & *ſocietatis* lege ſecum copulatæ: vox Hebr. enim *ſceptrum* denotat, ad quod ſingulis idem jus erat. *Tribus Dei* cum appellantur, omnibus eandem eſſe ad Deum, ejusque cultum & favorem, relationem indicatur. Hæ itaque *tribus*, & in ſpecie *tribus Dei*, cum alligatæ ſint Hieroſolymæ, & ibi cultu Dei defungi debeant; maxime glorioſum cenſeri deberet huic urbi, quæ eo ipſo peculiarem ad Deum accepit relationem; per quam *civitas Dei* meruit inſigniri, in quam omne *Divinum* omnium tribuum concurrebat, ſive propter quod *tribus Dei* vocabantur. Jus enim quod ſingulæ, qua *tribus Dei*, in religionis ſedem tenebant, in unam *Hieroſolymam* erat collatum.

§. XX. *c.* Additur denique, fixum hoc fuiſſe ſtatutum in Iſraele, Deum Hieroſolymis tantum colendi, ne ambulatoria hæc crederetur prærogativa, aut arbitrio tribuum relicta. Illuc enim tendere voces, *ſtatutum in Iſraele*, cenſuerim. conf. Pſ. LXXXI: 5, 6. ut ſenſus ſit, *ſtatutum* eſſe Iſraeli, tribus Hieroſolymam adſcendere Dei colendi ergo; hanc

hanc a Deo electam esse urbem, in qua sedem suam collocaret, ubi quæri ac inveniri vellet. Constructio ergo est formanda, acsi voces *statutum Israeli* primum teneant locum: quando oratio facilis fluit. In hoc licet acquiescere possem, addam tamen aliam interpretationem, & his vocibus, & structuræ orationis, forte convenientiorem: secundum quam vox עדות non signat testimonium, aut statutum, sed *ornatum*, quicquid instruit & ornat, unde ad instrumenta & ornamenta religionis & vitæ felicioris transfertur, ut *arcam*, *librum legis*, *tabulas* legis in arca adservari solitas; & quæ similia sunt cultus & favoris Dei instrumenta, & ornamenta, quæ hoc nomine veniunt, a rad. עדה, quæ antiquitus habuit י mobile, עדי, inde עדות. Quo admisso, ipsa Hierosolyma hic eo nomine & titulo insignietur; tanquam præcipuum Israelis *ornamentum*, & cultus Dei instrumentum; quando cum seq. recte construuntur, *ad nomen Jehovæ celebrandum*.

§. XXI. *Altera* Hierosol. prærogativa in *judiciis & tribunalibus* ibi positis collocatur, vers. 5. *Quia ibi sedent throni judicii*, *throni domus Davidis.* h. e. Hierosolyma eo non tantum nomine civitas audire meretur *ædificata*, & *sibi uniter coagmentata*, quod unica sit religionis sedes, & eam omnes tribus Dei colendi ergo adire debeant; sed & quia metropolis est regni, & *throni justitiæ domus Davidis* ibi fixi sunt, locumque habeant pacatum, stabilem & perennem. Ex qua paraphrasi, ut id ante omnia observem, elucet nexus cum superioribus, & vis voculæ *quia*, quæ hic retinenda est: nam altera hic datur ratio celebritatis Hierosolymæ, & quare urbs sit, dicique mereatur, *ædificata*, & sibi *compaginata*, quia locus est *thronorum* justitiæ & *Domus Davidis.* α. *Throni judicii*, & *throni domus David*, sunt *throni* in domo Davidis erecti: vox *throni* elegantiæ & emphasios causa repetitur; *throni judicii*, *throni*, inquam, *domus David*, h. e. throni judicii domus Davidis, vel in ea, & ei alligati; de quo mox.

§. XXII. Vox

§. XXII. Vox Hebræa, ſive propric *ſuggeſtum* notet, a rad. כרס, ut ſit pro כרסא, uti apud Chald., Syr. & Arab. h. e. *congeſſit*, conſtruxit *a*, ſive *ſedem tectam & coopertam*, a כסה, unde cum ה & א ſcribitur promiscue, Job. xxvi: 9. *b*. ſive potius, utraqua radice conjuncta, ſuggeſtum elatiorem, & magnifico tapete coopertum, vox, inquam, uſu ſuo non qualemcunque *ſellam*, ſed ſupremæ dignitatis & auctoritatis, in ſpecie *thronum* deſignat, *ſedem* regis, cum ſeſe in Majeſtate ſua tanquam *judicem* & *rectorem* populi oſtentat; ſive pro tribunali ſedeat, & jus dicat populo, ſive leges ferat: quam poteſtatem & hic omnino obtinet, uti facile elucefcit. Sed quare *throni* in plur. num? vel excellentiæ cauſa, ut *ſupremum* ſolium, thronum thronorum, ſupra omnes alios evectum, denotet, vel perpetuæ ſucceſſionis in familia Davidis ſignificandæ ergo, ut *throni* intelligantur plurium reſpectu *regum* ſtirpis Davidicæ, qui continua ſerie eum inſiderent: etſi enim unus idemque ſit maneatque thronus Davidis, regum tamen ratione habita *plures* dici poſſunt: maxime, ſi verum ſit, quod ex Maimon. obſervat Gejerus *c*, *Solium* regis cum reliquis ejus utenſilibus ſolitum fuiſſe, cum Rex moreretur, comburi; quod non urgeo.

§. XXIII. Vox *judicii*, quæ thronorum illorum conſpectum & uſum definit, in phraſi *throni judicii*, *jus* non tantum ſenſu vulgari ſumtum, ſed vere & proprie ſic dictum *jus* exprimit; adeoque *throni judicii* ſunt, de quibus *jus* ad lites decidendas & finiendas, absque ut *appellationi* locus ſit, pronunciatur, nec qualecunque, ſed *juſtum*, *æquum* judicium, regulis æqui, juſti & boni, exacte reſpondens. Hic enim *character* eſt throni Davidis; quod egregie confirmatur ex Jeſ. xvi: 5. *Et confirmabitur in clementia thronus, & ſedebit ſuper eo in veritate, in tentorio Davidis, judicans & quærens jus, & promtus ad juſtitiam.* Unde *jus*,

Qq ſive

a Schultens clav. p. 249. *b* Idem ad Job. xxvi: 9.
c De luctu Hebr. c. 6.

ſive *judicium* & *juſtitia* ſæpe conjunguntur; ut *juſtum judicium* intelligi indicetur, Jeſ. XXXII: 1. *Ecce in juſtitia regnabit rex; & ipſi quoque principes ſecundum judicium principatum gerent.* Qui locus, ſuperiori Jeſ. XVI. reſpondens, & ad Hizkiam pertinens, nobis novam ſuppeditat rationem numeri plur. *thronorum*; regis & *principum* ſeu procerum, rei *civili* & *judiciariæ* præfectorum, & a rege dependentium; ſed *ſolium* ejus aliquo modo participantium; & e regio ſanguine ut plurimum electorum: qualis fuit, ex. gr., tempore Hizkiæ *Eliakim*, in *Sebnæ* locum evehendus ſecundum Jeſ. XXII. ubi ipſi attribuitur *dominium*, *thronus* & regni adminiſtratio; &c.

§. XXIV. β. De his *thronis* judicii, & *domus Davidis*, habetur, eos *ſedere* Hieroſolymis: quæ ſingularis eſt locutio, cum non *throni*, ſed *reges* & *judices ſedeant* proprie in thronis; nec ſine ratione tamen pro *ſedent in thronis* dixiſſe videtur Pſaltes, *ſedent throni*; quia ea locutio videtur magis emphatica: exprimit enim, præter *inſeſſionem* regum, *ſtabilitatem* & *proſperitatem* thronorum. *Sedent throni a.* cum inſidentur & frequentantur; ut domus, regiones, loca, *ſedere* dicuntur, cum incoluntur, & florent. *b.* cum *ſtabilem* & *fixum* habent locum; non *ambulatorium*, modo huc modo illuc transferuntur; quemadmodum contingere ſolet, quum *metropoles*, vel & *tribunalia* mutantur. *c.* Cum *continuo* & *perpetuo* durant; oppoſite ad everſionem thronorum & deſtructionem. Sic Gen. XLIX: 24. *Et ſedebit arcus ejus in vigore perenni*, h. e. *manebit*. *d.* Denique cum *feliciter* & proſpere degunt, ac tranquille manent: quam emphaſin verbum *ſedere* ſponte ſua ſuggerit, & in omnibus linguis habet.

§. XXV. His prærogativis Hieroſolymam ornatam cum ſibi ob oculos poneret David; ſicut facere poterat, quod partim jam frueretur, partim mox poſt mortem ejus gauderet ſummis illis privilegiis: mirum haud accidit, quod mox in *vota* pro pace & proſperitate Hieroſolymæ erumpat,

pat, cum ab ea ſalus totius populi dependeret. Vota, & aliis juſſa, & ab ipſo concepta, ita ſonant, verſ. 6, 7. *Petite pacem Hieroſolymæ: defoecati ſint amantes tui*, Hieroſolyma! *ſit pax in arce Tua; liquida tranquillitas in palatiis tuis.* h. e. In hunc dignitatis & gloriæ ſublimem locum cum Hieroſolyma ſit evecta, tamque arcta ſit totius populi ad eam relatio, ut nec Deus niſi ibi colatur, nec niſi in ea jus ac juſtitia dicatur, & exerceatur; *petite* itaque *omnes*, qui qualesve eſtis, *pacem, ſecuritatem* & proſperitatem Hieroſolymæ, eamque ei apprecamini: quemadmodum mea habent vota, ſic & veſtra ſint, meque præeuntem ſequimini: *bene valeant amantes tui*, arx tua & palatia omnia *liquida* ſint & defoecata; ab omni miſeria, malo & periculo, ab omni penuria & indigentia, pura & immunia. Hæc cum non ſint difficilia, pauca notaſſe ſuffecerit.

§. XXVI. 1. Ad elegantiam ſermonis facit perpetua vocum Hebr. ad ſe invicem, & omnium ad nomen *Hieroſolymæ* alliteratio; quæ linguæ peritis ſponte ſeſe in oculos ingerit. 2. *Amantes* Hieroſolymæ, quibus liquidiſſimam apprecatur conditionem, non tam ſunt, qui *Hieroſolymam*, ut reliqui homines *civitatem* patriam, diligunt, quam qui eam ut *metropolin* regni, & ſedem religionis magni faciunt, ardente ſtudio in eam propterea feruntur, & omni ope eum affectum demonſtrant ac præſtant: quod cum ex præced., ubi Hieroſ. ab iis prærogativis celebrata eſt, tum ex ſeq. manifeſtum eſt. Sunt itaque homines, quos *bonos* dixeris *cives*, & *pietatis* ac *religionis ſtudioſos*. 3. Prius membrum verſ. 7. *ſit pax in arce tua*, vel *antemurali, propugnaculo* &c: nonnihil difficultatis habet, ob vocis חיל dubium ſignificatum. Id conſtare videtur, cum Hieroſolymæ attribuatur, & cum *palatiis* jungatur, aliquid denotari, quod *muris* adhæret, vel & ad urbem *muniendam* facit, ut manifeſtum eſt ex Jeſ. XXVI: 1. 2 Sam. XX: 15. 1 Reg. XXI: 23. num autem ſit *antemurale, præmunitio*, προτείχισμα, ut Gr. vertunt, an quid ſimile, adfirmare nequeo. Forte

in genere pomoerium, tanquam *circuitus* urbis, intelligitur *a*, cum radix חול, proprie *versari*, inde nacta sit usum *circumeundi* in orbem, rotundo cingendi circulo.

§. XXVII. Votis mox addit propositum de *pace* & *prosperitate* Hierosolymæ pro viribus procuranda, vers. 8, 9 *Propter fratres & socios meos loquar profecto pacem in Te: propter ædem Jehovæ Dei nostri quæram tibi bonum.* h. e. Votis & apprecationibus non contentus, ipso opere me Tibi bene præstabo; pacem, & quævis bona alia, ad Te ornandam, muniendam, opibus accumulandam, statumque tuum stabilem & prosperum reddendum, toto animo & omnibus viribus in Te conferre conabor: idque nec tam *mei* aut *tui* causa, quam in gratiam eorum, qui eandem mecum agnoscunt originem, eosdem majores; quique mihi arcte conjuncti sunt, quorum *salus* in ea Hierosf. sita est: metropoli salva & florente, populus universus pace fruitur, & prospere degit. Imò studium *Templi*, in Te erigendi, unicæ cultus Dei in tota terra sedis, me inprimis compellit, ut utilitati tuæ studeam.

§. XXVIII. David hic *α.* quid Hierosolymæ sit facturus declarat, *β.* quam ob causam. *α.* Phrases, *loqui pacem Hierosolymæ*, & *quærere bonum ejus*, haud multum differunt. *Loqui* enim *pacem alicui* est hoc loco eam procurare, uti *benedicere* bona conferre, phrasi ab eo petita, qui *jussu* suo *rem* sistit, ut loqui nunquam sit irritum: adeoque de *rege* recte usurpatur, qui *pacem* loquendo & jubendo adfert: ita Esth. x: 3. de Mordochæo, qui ibi describitur *secundus a rege*, & *magnus* inter Judæos; quo in statu dicitur *quaesivisse bonum populi sui*, & *pacem locutum toti semini suo.* unde nostro loco lux oritur. Sensus ergo est, *verbis* & *factis* procurabo tibi *pacem*, efficiam omni modo, ut pacifice, secure & prospere, degas: quod ulterius confirmat altera phrasis, *quaerere bonum ejus;* quæ nihil habet difficilis. Tantum observetur, vocem *boni* non esse restrin-

a Vid. Schultens ad Prov. xxxi: 29.


ſtringendam, ſed ad quævis bona, quæ civitatem & populum felicem reddunt, extendendam; adeoque *ſpiritualia* æque ac *corporalia* complecti, quorum *hæc* opibus & ſplendore urbem ornant, *illa* ſapientiorem & meliorem reddunt populum, de urbe ſcientiæ & virtutis ſcholam faciunt. Utrumque pro viribus præſtitit David; & poſt ipſum *Salomo*, cui ſuum hoc exemplum videtur hic proponere imitandum. Quæ cum nemini non nota ſint ex hiſtoria Davidis; iis non immorabor.

§. XXIX. *β*. Verum quid movit Davidem ad Hieroſolymæ pacem & proſperitatem toto animo quærendam? illud declarat, cum dicit, propter *fratres* & *ſocios meos*, *propter domum Jehovæ*. 1. *Fratres* & *ſocii*, ſeu *amici* Davidis ſunt *cives* Hieroſolymæ, tanquam metropolis totius regni, ſive *incolæ* ſint Hieroſolymæ, ſive alibi terrarum degant. Cives illi appellantur *fratres* propter unam & communem *ſtirpem*, erant enim omnes *Jacobi* filii, & ex iis orti; ſed *ſocii* propter vincula ejusdem ſocietatis. *Cives* eſſe poſſunt, absque ut ſint *fratres*, & vice verſa. Sed ubi iidem & *cives* & *fratres* ſunt, arctiſſima inde efficitur conjunctio. Si quis *fratres* & *ſocios* alio modo velit diſtinguere; *fratrum* nomine populus in genere inſigniatur, ſed *amici* illi ex populo ſint, quibuscum arctiore vinculo, vel eorundem ſtudiorum, & animi adfectionum, vel *muneris* aut *converſationis*, erat conjunctus. Horum cauſa cum ſe Hieroſolymæ ſaluti ſtudere profitetur, indicat *a*. ſe *relationibus* ſuis ad eos convenienter agere, & ſe benevolum & bonum præſtare regem ac paſtorem; qui cives ſuos diligit, & ſaluti eorum incumbit. *b*. Se Hieroſolymæ & populi pacem ac proſperitatem pro una eademque re habere, ita ut, ſi floreat Hieroſolyma, totus populus feliciter agat: unde patet, eam hic ut *metropolin* conſiderari.

§. XXX. 2. Altera ratio a *Templo* petita eſt; cujus cauſa & reſpectu Hieroſolymæ quævis bona conciliaret: quo teſtatur, quanto in Deum ejusque cultum feratur

 ſtudio;

ſtudio; quantaque ſit *religionis* & *civitatis* conjunctio; ut propter eam civitas ſit bonis ornanda. *Religio* erat a Deo inſtituta, quæ in regno Davidis vigebat; ſine qua reſp. ſalva eſſe non poterat; quæ nunc demum fixum conſecuta erat domicilium Hieroſolymis, ubi Templum mox conderetur. Hæc Dei *domus* ſalva eſſe non poterat, niſi cum *Hieroſolyma*; quare ſtudium religionis ab eo Hieroſolymæ erat inſeparabile.



PSALM.



PSALM. CXXIII.

1. *Canticum adſcenſionum. Ad Te, qui ſedes in coelis, adtollo meos oculos.*
2. *Ecce! ſicut oculi ſervorum ad manum Dominorum ſuorum, ſicut oculi ancillae ad manum herae ſuae, ita oculi noſtri ad Jehovam Deum noſtrum* ſunt, *donec nobis gratiam faciat.*
3. *Miſerere noſtri, Jehova! miſerere noſtri: ſat enim contumelia ſatiati ſumus.*
4. *Nimium ſatiata ſibi eſt anima noſtra ſubſannatione inſolescentium, contemtu ſuperborum.*

PROLEGOMENA.

§. I.

ARgumentum cantici eſt oratio piorum & ſervorum Dei, ſed externis gratiæ & favoris Dei, Domini & patroni ſui, ſignis carentium, ejusque iram ob peccata ſua ferentium: in quo ſtatu tantum aberat, ut commiſerationem apud alios invenerint, quæ miſerorum aliqua eſt conſolatio, ut eorum irriſiones & inſultationes pati debuerint acerbiſſimas, quæ ipſa nonnunquam adflictione eſt gravior miſeria, & prorſus intoleranda. Hoc in ſtatu conſtituti fiduciam ſuam confitentur, in Jehova poſitam, a qua nondum ſe eſſe depulſos ſignificant, præterea ardens gratiæ Dei

Dei desiderium testificantur, & eam magno cum studio implorant, addita ratione a tranquillorum & insolentium insultatione petita, quæ eam salutem diutius non sinebat differri.

§. II. Illi, quorum confessio & precatio hic exhibetur, *a.* Dei erant *servi* & *clientes*, ipsius servitio dicati, & ab ipso, ut Domino & patrono, alimenta & defensionem exspectantes; *b.* In statu adflicto versabantur, quo & favoris Dei signis destituti, & iræ Dei effecta experti erant: quod quidem hic magis præsupponitur, quam describitur, quia adflicti statum suum miserum aliis æque ac sibi esse notum existimare solent, maxime cum sit miseria publica, & singularis. Tantum eam miseram involutius verbo *gratiam* facere indicasse, contenti sunt. *c.* Eo in statu loco commiserationis omne genus contumelias & insultationes experiebantur, quibus impii, & carnales homines, eorum spem irridebant, & qua verbis qua factis eos contumeliose tractabant. *d.* Hasce irrisiones & insultationes summum jam attigisse gradum, indicant, adeoque non amplius esse ferendas, nec, salva relatione sua ad Deum, ab eo sperni suamque liberationem diutius differri posse. *e.* Hoc fundamento Deum supplices orant, ut piorum spes non amplius eludat, nec *gratiae* ac *favoris* testificationem diutius differat. Rationem, qua Deum ad preces exaudiendas compellunt, ab intolerabili superborum insultatione desumunt, non acsi nil nisi aliorum contemtus paterentur, ut videri posset alicui, sed quia hæ contumeliæ statum miseriæ intolerabilem faciebant, nec amplius sinebant, ut Deus ad suorum *preces* & *spes* oculos auresque claudat. Ex dictis enim elucet, illos *gratiae* Dei effectis caruisse, & eo nomine aliorum sannis ac insultationibus fuisse expositos.

§. III. Partes cantici duæ sunt, quæ sponte sese offerunt. I. *Prior* est fiduciæ & exspectationis gratiæ Dei testificatio, vers. 1, 2. II. *Posterior* comprehendit *preces* inde ortas, & cum ea conjunctas, ut Deus quantocyus succur-

ſuccurrat, & opem ferat, cum hoſtium inſultationes ulteriorem moram non permittant, verſ. 3, 4.

ANACRISIS.

§. IV. Circa hypotheſin cantici exponendi Interpretes in duas generales ſcinduntur partes: alii enim prophetici volunt eſſe argumenti, alii illud ad præſentem eorum ſtatum, quo tempore ode compoſita eſt, applicant. *Priores*, vel de Chriſtianis, qui in medio hoſtium, præcipue Pſeudo-Chriſtianorum verſabantur, & eorum irriſiones ac vexationes experiebantur, hæreditatem mundi in fine temporum exſpectantibus, interpretantur, vel pios, paulo ante manifeſtationem Meſſiæ, eam præſtolantes, & eam ob ſpem a Phariſæis ac Sadducæis ſannis excipi ſolitos, hic loquentes introduci cenſent. Sed utraque hæc hypotheſis lubrico nititur fundamento; cum nullum, vel minimum, hic alicujus prophetiæ reperiatur indicium: adeoque a tempore, quo autor cantici vixit, diſcedere fas non eſt. Ex nullo patet criterio, alios hic in ſcenam produci ac Pſ. auctorem, ejusque ſocios, qui fiduciam ſuam teſtantur, & gratiam Dei implorant. Et, ſi ab auctore cantici ſit abeundum, ſine ulla ratione Chriſtiani ſub jugo Antichriſti gementes, quod eſt longe remotiſſimum, hic in cenſum venirent. Rectius, fateor, de piis paulo ante Meſſiam cogitaremus: ſed illos propter hanc ſpem fuiſſe a Phariſæis & Sadducæis irriſos, ac vexatos, non conſtat, cum Meſſiæ generalis fuerit eo tempore exſpectatio. Nec tamen nego, hanc eorum fuiſſe ſortem, qui Phariſæorum ſuperbiæ ac ſuperſtitioni & hypocriſi, nec non Sadducæorum ſecuritati, cum abjecta ſpe vitæ conjunctæ, ſeſe opponentes, veras de *conſolatione* Israelis habuerunt cogitationes: quales pauci fuerunt; & in quos ode non male quadraret, ſi eo tempore cenſeri poſſet

composita, de quo nihil constat; nec probabile est, aliqua cantica, tam sero facta, in canonem redacta fuisse.

§. V. Sensu prophetico misso, de cantici interpretatione certo constaret, si *auctor* ejus fuisset annotatus. Ejus ignorantia fecit, ut alii de Davide, alii de Judæis in exilio Babyl., alii de iis tempore calamitatis Epiphanicæ, cogitarint. *David* hic in censum venire nequit, quod status ejus characteres hic non inveniantur. Quo tempore a Saulo vexabatur, ad *justitiam* Dei magis quam ad *gratiam* provocavit; & *metu mortis* magis quam *contumeliis* angebatur, licet & hæ non defuerint. De fuga coram Absolomo quominus cogitemus, facit, quod brevissimi ea fuerit temporis; cum hic diuturnior *contumelia* videatur insinuari: sunt, qui ad irrisionem filiæ Sauli, uxoris Davidis, cum David coram arca saltaret, respiciunt, sed quod absurdum est, & vix mentione dignum.

§. VI. Quare nihil superest, quam ut, vel de Babylonica, vel Epiphanica afflictione canticum interpretemur: sed num de illa, an hac, difficile est judicatu; cum characteres status loquentium adeo sint generales, ut in utramque conveniant. Si ultima vox, uti nota Masorethica habet, sit dividenda, & vertenda per *superbos Graecorum*, haud spernendum hic haberemus *Syro macedonum* criterium: sed cum illud incertum sit, in eo pedem figere non licet. Ad exilium Babylonicum nos vocat. 1. *diuturnitas* irrisionis, quæ hic innui videtur; etsi de *gravitate* & *copia* insultationum etiam capi posset illud, *multum satiati sumus*. 2. Quod nil nisi *gratiam* implorent, & nil nisi *irrisionem* tranquillorum & superborum memorent; argumento, ut videtur, eos, quo tempore ode composita est, alias vexationes non fuisse expertos, ac hostium irrisiones, & insultationes, & gratiæ Dei signis caruisse: præterea in miseriæ illius statum non nisi propter *peccata* sua venisse. Quæ rectius in exilium Babylonicum quadrant. Calamitas enim Epiphanica & alium ac *pœnae* propter peccata inflictæ habuit

habuit conspectum, & nullum intervallum fuit, quo præcipuum malum erat hostium *insultatio*, quod patiebantur.

§. VII. Hæ rationes etsi mentem ad exilium Bayl. inclinent, tanti tamen non sunt, ut in ea opinione secure acquiescere possimus; quare alterutram interpretationem hic locum habere, contenti simus statuisse. Forte Ps. in exilio Babyl. est compositus, & a fidelibus tempore calamitatis Epiphanicæ ad eam applicitus, unde nata forte fuit vocis ultimæ divisio in duas, quæ *superbos Graecorum* ob oculos ponunt. Habeat itaque duos illos casus in oculis, qui hunc Ps. interpretari instituit, & ad utrumque applicet, ut ab errore sibi caveat. Quam viam nos in præsentia tenebimus, ita tamen ut in Babyl. exilium oculos præcipue defigamus.

EXPLICATIO.

§. VIII. Prior pars, quæ *exspectationem* liberationis, cum aliqua *fiducia* conjunctam, comprehendit, ita sonat vers. 1, 2. *Ad te, qui sedes in coelis, tollo oculos meos: ecce, sicut oculi servorum ad manum Dominorum suorum, sicut oculi ancillæ ad manum heræ suæ; ita oculi nostri ad Jehovam Deum nostrum, donec nobis gratiam faciat.* h. e. In Te fiduciam colloco, & a Te liberationem ardente cum desiderio exspecto, omnipotens & omnisufficiens Deus! qui coelum tanquam thronum insides, & mundum potenter & sapienter gubernas; solus verus Deus: nec ego tantum, sed omnes nos, quorum arcta est, ut servorum & ancillarum ad heros & heras suas, relatio ad Deum; omnes, inquam, nos oculos desiderii & exspectationis in Jehovam Deum nostrum defixos teneamus, donec tempus optatum advenerit, quo nobis gratiam peccatorum faciat, & benevolum affectum nos liberando præstet; haud secus ac solent *servi* & *ancillæ*, qui a Dominorum & herorum *manibus* non

avertunt oculos, donec, vel munera ipsis largiantur, vel tanquam clientes suos, ab aliis oppressos, vindicent.

§. IX. Ad schema orationis recte percipiendum notandum est, auctorem Ps. gestum precantium auspicari, & mox ut reliqui, calamitatis socii, idem faciant, adhortari; quando omnium nomine *preces* fundit, vers. 3. Vult itaque dicere, se non solum, sed *omnes*, seu universum populum in eadem secum conditione positum, idem facere; quare, cum forte videret, socios in eo esse tardiores aut timidiores, eos ad illud secum faciendum per parenthesin adhortatur. Hunc conspectum habet vers. 2. licet passim aliter instituant interpretes; quod suo relinquimus loco. Vocula הנה *ecce* hic vim *admonendi* & *adhortandi* habet ut Ps. CXXXIV: 1. *Ecce benedicite Jehovae omnes servi ejus:* &c; præterea cum verbum *esse* deficiat, vers. 2. habetur enim, *oculi nostri ad Jehovam*, illudque per *sunt*, vel *sint* suppleri queat, posterius hic locum habet, ut ex dictis patet.

§. X. Personam, quam hic respiciunt, vers. 1. quasi digito monstrant, cum dicunt, *tu qui sedes in coelo;* dein vers. 2. nomine suo appellant *Jehovam Deum ipsorum;* ejusque relationes ad se præterea illustrant per simile *dominorum* & *servorum*. Quæ omnia emphasin habent. *a. Sedere in coelo* dicitur qua omnipotens coeli & terræ creator ac *moderator*, cujus thronus est coelum: quo summa ejus potentia & Majestas ob oculos ponitur, opposite ad idola & falsa numina: *Dii qui non fecerunt coelum & terram pereant de terra:* qua formula Jer. x. voluit ut exules inter Chaldæos uterentur, ad ficta eorum numina refutanda. Si quis ulterius phrasin premere velit, referre eam poterit ad præteritam Dei inhabitationem super *arca* Hierosolymis; qua prærogativa cum nunc in exilio essent privati; oculos flectunt *coelum* versus, utpote propriam summæ majestatis sedem. *b.* Addunt mox nomina, cum verum & summum Deum, tum *suum* in specie Deum designantia,

ubi

ubi eum appellant *Jehovam Deum nostrum. Deus* est, quatenus unicum est & supremum Numen, omni adoratione solum dignum in toto mundo; *Jehova* est, quatenus est Deus Israelis; quo nomine characteristico & proprio insignitus est, ut a reliquis *Diis* gentium distingueretur, cum promissis & dictis *veritatem* præstare incipiebat. Exod. III. *Jehova Deus noster*, est creator coeli & terræ ac summus moderator, qui a nobis colitur, & nostri peculiarem gerit curam, &c: *c*. Quas relationes Deum inter & Israelem comparatio cum *Dominis* & *servis* illustrat. Cum enim dicunt, *oculi nostri ad Jehovam*, ut *servorum* ad *Dominos* &c: indicant, sibi easdem esse ad Deum relationes ac servorum ad Dominos suos; adeoque Deum esse *Dominum* suum, qui tanquam populum sibi eos acquisivit, redemit, & ingentibus bonis mactavit; qui eos *curat*, & *protegit;* cui & ipsi quoque ad omnia officia amoris, obsequii &c: sunt toti obstricti.

§. XI. Ad hunc summum coeli & terræ rectorem, Deum & Dominum suum, veracem, æquum & misericordem, *oculos attollunt*, & quidem ut solent *servi* & *ancillae* ad *manum Dominorum* & *herarum*, *1. Oculi* in aliquem defixi, cum, vel stipis, vel opis & auxilii, petitionem cum summo desiderio conjunctam exprimant, & simul fidem ac fiduciam petentis comprehendant: difficile non est explicitu, quid hic *oculos tollere* significet, flagrans scilicet *desiderium*, quo in liberationem & possessionem terræ suæ ferebantur exules; *fiduciam* in Dei bonitate & potentia positam; denique *exspectationem* illius salutis a Deo, secundum ejus *gratiam* & *veracitatem*. 2. Simile *servorum*, ad manum Dominorum respicientium, a *servis* desumtum est, qui a clementia & *tutela* dominorum suorum unice dependent, ut *vivant*, ac *secure tutoque* vivant, & aliorum oppressionibus & vexationibus eripiantur. Quo sensu phrasis, ad *aliorum manus*, *digitos*, respicere, non est aliis scriptoribus

ignota *a*. Hinc est, quod non sine emphasi dicatur, oculos eorum esse ad *manum Dominorum*. *Manu* enim dextra uti solemus in largitionibus, & defensionibus ac liberationibus. Ad eam qui oculos flectunt, se munus, defensionem & ereptionem, petere indicant. Hunc ad modum se oculos in *Jehovam defixos* habere cum dicunt exules; significant, quo *fundamento*, quo *animo*, & *quid* a Deo exspectent. *Fundamentum* est arcta eorum ad Deum relatio, quæ est *servorum ad Dominum*. *Animus* est, qui *servos* decet, *modestiae*, desiderii & fiduciæ plenus; animus submissus, & obsequiosus, ad quævis officia Deo præstanda pronus. Id, quod petunt, est, quod Deus *manu* sua efficit, & quævis bona comprehendit, quibus nunc carebant in exilio, & præterea *defensionem* ac *liberationem* a dominio hostium, eorumque insultationibus. Non sine ratione addunt simile *ancillae* & *herae* in sing. cum de servis & dominis fuissent locuti, est enim tenerior affectus, & familiarius commercium, inter *heras* & *ancillas*; magis inter *unam ancillam* & *heram*, quæ sola est amoris & protectionis heræ objectum.

§. XII. Hæc clarius exprimunt, cum *finem* & *scopum* respectus ad Jehovam significant, addentes: *donec nobis gratiam faciat*, vel *favorem* & *benevolentiam* ipso opere demonstret. Verbum חנן est ὀνοματοπεποιημένον, a stridulo sono gutturis, quem animantia edunt in signum tenerrimi affectus erga foetus; de quo proprie usurpatur: unde ad *pietatem maternam* & *interiorem teneritudinem* transfertur, & usu teritur cum in bonis benevolo affectu largiendis, tum etiam a malis & periculis liberando. Priore sensu, Prov. XIX: 31. *favet egeno* Gen. XXXIII: 5. *hi sunt pueri, quos pro clementia largitus* est *Dominus servo tuo*, posteriore, Jes. XXVII: 11. XXX: 19. Mich. V: 15. & alibi. Indicant itaque hoc verbo 1. se favoris, & benevoli Dei affectus, signis

a Vid. Doctiss. Anonymus in specimine observ. sacr., *symbolis* Litterariis Cl. Ikenii tom. III. p. II. insertis p. 332. quem amicissimum P. Wesselingium esse, probe novi.

nis & effectis carere, nullo ex indicio patere, se esse Dei populum peculiarem, a Deo redemtum, & in cujus medio Deus habitare consueverat. 2. Se juste & merito suo iis signis esse privatos, & in hunc miseriæ statum, quo a Deo videbantur rejecti, delapsos: id enim manifeste innuunt, cum *gratiam* Dei inplorant, & non ad ejus justitiam provocant. 3. Se magno in pristini status instaurationem ferri desiderio, adeoque submisse instar servorum ad Dei clementiam & benignitatem respicere, ut antiquas largitiones resumat, peccata condonet, & in pristinum statum favoris ac beneficentiæ restituat. Cæterum emphasi non caret, quod se ad Deum respicere testentur, *donec* sibi gratiam faciat: eo enim significant. *a.* Se haud exiguo tempore gratiæ divinæ signis caruisse. *b.* a desideriis & precibus non cessaturos, donec votorum fuerint facti compotes. *c.* Denique *patienter* illud tempus exspectaturos, quo Deus optimum & opportunum judicaverit, populo suo veterem reddere favorem. *d.* Postremo, se interea ad nulla alia media respecturos, quibus calamitatibus & exilio eripiantur, sed, idololatria penitus repudiata, & hominum auxilio spreto, Deo adhæsuros esse.

§. XIII. Altera cantici pars, quæ *preces* continet, & *rationes* ad Deum movendum, quibus *preces* urgentur, a contumelia & insultatione superborum desumtas, ita habet, vers. 3, 4. *Fave nobis, Jehova fave nobis: sat enim contumelia satiati sumus: nimium satiata est sibi anima nostra subsannatione insolescentium; contemtu superborum.* h. e. Ad te tollo, Jehova, oculos, attollamus omnes nos; gratiamque Dei quantocyus nobis faciendam in hæc verba imploremus & imploramus: gratiam remissionis peccatorum, liberationis & restitutionis in pristinam terræ & bonorum possessionem, nobis fac, Jehova, fac quam citissime: contemtus enim, qui in nos effusus est, nobisque devorandus datus, tam diu duravit, & tam magnus ac copiosus est, ut eum concoquere, & vix amplius sine reluctatione ferre

ferre queamus: tam acerbis enim ſannis, tanta contumelia, verbis, & factis, ac geſtibus excipimur, & excepti ſumus, tanto tempore, ab hominibus inſolentibus & ſuperbis, in quorum medio verſamur, ut intimos noſtros ſenſus penetraverit, & animum ita repleverit, ut nihil amplius recipere, nihil dutius ferre queat, ſed reſpuere coactus ſit, ſi ulterius ingeratur.

§. XIV. Preces, *gratiam nobis fac*, *Jehova*, *gratiam fac*, cum ex ſuperioribus ſatis claræ ſint; verbo notaſſe ſuffecerit, verbi duplicationem cum vehementiam adfectus & deſiderii precantium exprimere, tum feſtinam exauditionem complecti; acſi dictum fuiſſet: gratiam fac, fac quam citiſſime. Quam emphaſin ratio, qua preces urgentur, confirmat. Eſt enim ab inſolentium & ſuperborum contemtu amplius non ferendo deſumta: quæ verbo illuſtranda ſunt. Loquuntur de *ſannis* inſoleſcentium & *contemtu* ſuperborum; quibus ſe pleniſſime ad nauſeam usque eſſe ſatiatos confitentur, & hinc *rationem* petunt, qua Deum ad citiſſimam liberationem permoveant.

§. XV. *Perſonæ*, quarum ſubſannationem experiebantur, appellantur *inſoleſcentes* & *ſuperbi* viri: ſic enim voces vertendas & intelligendas eſſe exiſtimaverim. Prior vox שאננים reddi ſolet per *tranquillos*, quibus cuncta ex voto fluunt; ſed majorem habet emphaſin, ſignatque *inſolentes*, & aliorum malis imminentes, ſive quod opum abundantia & ſecuritas homines efferat, ſive quod a radice alia, quæ *ſtrepitus* & *vaſtationis* intellectum præbet, derivari debeat, nim. a שאה, unde שאון, & ultima littera repetita שאנן, quæ vox *ſtrepitum*, *tumultum*, *jactantiam* & *inſolentiam* denotat. Ita ſumitur Jeſ. XXXVII: 29. Zach. I: 15. Altera vox גאיונים *ſuperbos* & *elatos* deſignat, ſi pro una voce habeatur, ut haberi poteſt, & derivari a גאה, unde, ה mutato in י, & addita terminatione ון, erit גאיון, ad formam גליון: ſed ſi dividatur in duas, ut habet nota Maſoreth. margin., reddenda erit per *ſuperbos Græcorum*, & non *opprimentium*; ut

Kimchi

Kimchi inſtituit, יונים enim *Græcos* ſignificat in Scriptura S. & hic *Syro-Macedones* deſignarentur, ſi *ſuperbi Græcorum* intelligantur, quod recte quadraret, ſi ad tempora Epiphanica hoc canticum referatur: de quo ſupra dixi. Mihi probabile ſit, antiquam lectionem fuiſſe גאיונים; ſed tempore adflictionis Epiphanicæ י fuiſſe inſertum, ut ad Syro-Macedon. clarius reſpiceret: quod tamen conjecturæ limites non excedit. Quicquid ſit, *tranquilli inſolentes* & *ſuperbi* ſunt primo *Chaldæi*, in quorum medio degebant exules, dein qualescunque alii populi *vicini*, quotquot *Judæis* male volebant, & eorum calamitatibus inſultabant; homines opibus & potentia ſua elati, & ſucceſſu rerum ſuarum inflati; in primis in Judæos, eorumque religionem animati, quo ipſo titulo inſigniuntur Chaldæi Zach. 1: 15.

§. XVI. His attribuitur *contemtus* & *ſubſannatio* Judæorum; ſive *verbis*, ſive *geſtibus externis*, ſive *factis* fiat, quæ vocum ambitu ſunt comprehenſa. Ad geſtus contumelioſos in ſpecie pertinet vox לעג, quæ apud Arab. continet *vibrantem nictationem* ex. gr. *linguæ*, *oculi* &c. Sed materiam & argumentum ſubſannationis ac contumeliarum pandamus. *a*. Inſultatio illa comprehendit lætitiam ſuper calamitatibus Judæorum, ejusque publicam demonſtrationem. *b*. quæ in irriſionem exit, qua miſeriis eorum inſultabant, &c. *c*. acceſſit contumelioſa tractatio, qua tanquam ſervos viliſſimos, & mancipia eos exceperunt, & tractarunt, ſive eos *vendiderint*, ut eſt Joel. IV., ſive aliis indignis modis tractarint. *d*. Denique ſtatum ipſorum miſerum in dedecus religionis, & relationis eorum ad Deum, verterunt; ſive *Deum* Judæorum tanquam fictum aut infirmum numen traducendo, ſive populum a Deo ſpretum & repudiatum calumniando.

§. XVII. Hanc inſultationem declarant amplius ferendam non eſſe; cum dicunt, *multum ſe ea eſſe ſatiatos & animam nimium ſaturatam*. Omnes voces ſunt emphaticæ.

 a. Mul-


a. *Multum* stylo Hebr. dicit, *satis*, & *nimium satis*, plus quam satis; pertinetque cum ad diuturnitatem temporis, tum rei copiam & abundantiam. Vid. ad Ps. cxx: 6 *b*. Verbum *satiari* indicat, eos tantam contumeliarum copiam, tamque diuturnam & vehementem devorare debuisse, ut nunc amplius nullam aliam ferre aut concoquere queant; sed respuere & reluctari debeant. Met. a ventriculo cibi nimia copia repleto, & alium nauseante ac respuente, petita. *c*. Denique, ubi addunt, *animam suam* esse *satiatam*, indicant, contemtus illos ad intimos sensus pertigisse, sibique quam molestissime accidisse; ita ut ipse animus per eas contumelias jam fuerit fractus, & eas amplius tolerare nequeat. Quamdiu ignominia spernitur, aut patienter fertur, ad *animum* non penetrat, utique eum non obruit & exulcerat: sed cum *anima* ea dicitur satiata, eam intolerabilem esse & vehementissimam indicatur. Quæ emphasis adhuc crescet, cum observavero, vocem רבת verti posse per *totam*, hoc sensu: *tota saturata est sibi anima;* tota, quanta est, omnis *multitudo* ejus. *a*

§. XVIII. Hinc, quod postremo est observandum, *rationem* petunt, ad Deum permovendum, ut quantocyus *gratiam* præstet populo suo adflicto. Quæ ratio multum habebat roboris. *a*. Quia adflictis insultare est *crimen*, a justo mundi gubernatore puniendum. *b*. magis adhuc, quod *insolentes* & *superbi* sint, a quibus illa contumelia proficiscebatur, quos Deus ferre non solet. *c*. Judicium Dei ulterius provocabatur per *relationem* ad contemtos, qui erant *populus* ejus, & quorum contumelia cum veri Dei, ejusque cultus, contemtu erat conjuncta. *d*. Denique *gratia* & *bonitas* Dei requirebat, ut adflictos suos servos per intolerandas hasce insultationes non sineret obrui, & de spe ac exspectatione sua dejici.

§. XIX. Nihil restaret, quam ut ex comparatione cum verbo prophetico, & historia populi in exilio Bab., & calami-

a Vid. Schultens ad Job. IV: 14.

lamitate Epiphanica demonstremus, Judæos hujusmodi contumeliis fuisse expositos: sed cum illud nemini non notum sit, citasse suffecerit Ezech. XXXVI. 20. de exilio Babyl. nec non Ps. CXXXVII. de eodem. Obadj. 12. in primis Dan. IX. VIII. & Hos. VII. 16. sed Jes. XXV: & Ps. XLIV. & LXXXIX. de calamitate Epiphanica. Res ipsa etiam illud confirmat; cum illa afflictio natura sua eo tendat, ut *contemtus* gentium in populum Judæum effundi debuerit. &c.





PSALM. CXXIV.

1. *Canticum adscensionum, Davidis. Nisi Jehova, qui noster fuit, dicat quæso Israel.*
2. *Nisi Jehova, qui noster fuit, cum insurgeret super nos homo.*
3. *Tunc vivos nos deglutiissent, ira ipsorum in nos accensa.*
4. *Tunc aquæ inundassent nos, torrens transiisset super animam nostram.*
5. *Tunc transiisset super animam nostram; aquæ,* puta, *illæ tumidæ superbientes.*
6. *Benedictus Jehova! qui nos prædam dentibus eorum non tradidit.*
7. *Anima nostra sicut avis evasit e laqueo venatorum: laqueus fractus est, & nos erepti sumus.*
8. *Auxilium nostrum in nomine Jehovæ, creatoris coeli & terræ.*

PROLEGOMENA.

§. I.

CAnticum formam gratiarum actionis & celebrationis nominis Jehovæ comprehendit, a populo adhibendam, pro singulari & miraculosa liberatione a truculentissimis & potentissimis hostibus, universo populo Divinitus

nitus concessa, cum ad incitas fuisset redactus, & nulla spes elabendi adfulgeret; ita ut, nisi extraordinario Deus succurrisset auxilio, de civitate & Ecclesia Israelis actum fuisset. Celebratur itaque hac in ode insignis liberatio, *a.* non uni aut alteri, sed universo populo facta, vers. 1. *b.* ab invasionibus hostium *peregrinorum*, eorumque crudelium & populo iratorum, qui totale ejus excidium intendebant, vers. 2, 3, 6. *c.* quæ eo tempore contigit, quo summas in angustias per hostes esset conjectus Israel; ita ut omnis salutis spes penitus decolasset. *d.* Quæ rerum desperatio cum ab hostium, populo imminentium, viribus & potentia, tum a populi imbecillitate, & timiditate orta fuerat, ut ex comparatione hostium cum belluis, & aquis intumescentibus, & populi cum *avicula*, laqueo constricta, elucet. *e.* liberatio denique sine hominum ope sine populi viribus effecta: ut ex vers. 7. colligitur. Simile enim aviculæ laqueo irretitæ, & per laquei fractionem elapsæ, eo manifeste tendit. De quo in seq. suo loco.

§. II. Hoc argumentum ita exequitur poeta, ut I. confessionem liberationis, viribus suis superioris, & solius Dei ope effectæ, imperet Israeli, vers. 1–5. II. gratiarum actionis formulam præscribat pro miraculosa salute, populo præstita a Deo, vers. 6, 7. III. Spei & fiduciæ in benignissimo ac præpotente hocce servatore positæ testificationem populo injungat, vers. 8.

ANACRISIS.

§. III. Interpretes circa elegantissimum hocce canticum explicandum, & ad subjectum accommodandum, in duas partes scinduntur, dum alii *historicum*, alii *propheticum* esse volunt. Priores singularem hanc Israelis liberationem, quæ hic describitur, vel ad omnes extendunt victorias, quas populus inde ab Aegypto usque ad Davidis tempora,

cum in pleniffimam libertatem eſt adſertus, de hoſtibus, ut Aegyptiis & populis vicinis, reportavit, vel ad Davidis victorias de *Philiſtæis*, aut Ammonitis, reſtringunt. De quibus, 2 Sam. VII & X. Sed poſterius lineas modo ductas nullo modo præſtat: nec enim in tantis anguſtiis tunc verſatus fuit populus, nec ſolius Dei auxilio, ſed juſta pugna, cui Deus adfuit, erepti ſunt. Imo quamdiu David præfuit, & hoſtibus caput ſuum objecit, ad eas incitas nec legimus Iſraelem fuiſſe redactum, nec probabile eſt; nihil quoque de tam ſingulari liberatione habet hiſtoria Davidis, nec in ipſius tempora convenit *aviculæ*, laqueo implicitæ, non niſi fracto laqueo ereptæ, comparatio.

§. IV. Nec ſimilis ante Davidem exſtitit caſus, quo populus tantum non fuiſſet ab hoſtibus abſorptus, & divina ſole ope liberatus; cum ſub *judicibus* magis adflictus & in ſervitutem redactus fuerit, quam plenariæ exſtirpationis periculum ſubierit: & per *heroas*, a Deo ſuſcitatos ac animatos, & prælia, fuerit ereptus. De *Aegyptiaca* perſecutione & liberatione forte quis cogitaverit non ſine ratione; ſed obſtat 1. quod emblemata *fluvii* & *aquarum* in extraneos hoſtes, eorumque irruptiones, rectius, & ſtylo prophetico congruentius, quadrent. 2. Quod, niſi de præſenti liberatione intelligatur hæc ode, phraſis, *dicat nunc Iſrael*, omni emphaſi careat. De Aegyptiaca liberatione, tanto temporis ſpatio ante Davidem facta, alio modo locutus fuiſſet.

§. V. Hiſce itaque ſuo loco relictis, num ſenſus prophetici patroni quid ſolidius, in quo pes figi queat, adtulerint, videamus. Oculos ad Eccleſiam N. T. vertunt, ejuſque liberationes a variis hoſtibus, ut Judæis, Romanis, Antichriſtianis & hæreticis, hic celebrari autumant. Sed *a.* ſine ulla ratione Veteris Eccleſiæ fata ſpernuntur, & N. T. obtruduntur prophetis: quod ſi ſine certo argumento, & N. T. criterio, fiat, temere fit. In propinquo ſi ſint caſus,

casus, quibus prophetia respondet, ad remotiora fas non est eam referre. 3. Persecutionum fidei causa, quem conspectum prætulerunt vexationes Christianorum, nullum hic est indicium, nullus character; omnia emblemata nos ad invasiones exercituum hostilium vocant. *c.* Si persecutiones Christianorum hic intelligantur, *liberatio* alia esse nequit, ac qua *persecutionibus* finis est impositus, quod per Const. M. factum est. Sed liberatio Ecclesiæ per eum non est plane *miraculosa* & *Divina*, verum *armis* effecta. Alia mitto.

§. VI. Quid itaque? alterutrum mihi statuendum videtur, vel Epiphanicam, vel Assyriacam oppugnationem, illam sub Antiocho Epiph., hanc sub Senacheribo & ab ea miraculosam liberationem, depingi. In utramque non male conveniunt characteres supra in argumento prolati, sed in *Assyriacam* multo luculentius; cum Epiphanicæ non immediate, sed per Maccabæos & prælia sint ope divina erepti, nec *aviculæ* tantum speciem, verum heroum prætulerint Maccabæi. Sed ovum ovo non est similius, quam liberatio ab Assyrio huic cantico. Assyrius belluæ instar universum populum tantum quod devoraverat, & ad modum diluvii totam terram fere inundaverat, sola restabat *Hierosolyma*, sed ita obsessa, ut brevi eodem exitio videretur involvenda. Judæi ad summas & inextricabiles redacti erant angustias, nihil spei, non in armis aut exercitu, nisi in solo Deo. Is etiam miraculose populo suo succurrit in media desperatione; & laqueus, sine Judæorum & hominum ope, divinitus fractus est, Assyriis una nocte ad internecionem usque deletis. Quæ historia nemini non nota est. Hiskias de eo tempore dixit, *esse diem angustiæ & redargutionis, & probrosæ insectationis, & venisse filios ad collum, sed nullam pariendi vim esse.* Jes. XXXVII: 3. & Jes. VIII: 8. de Assyrio: *& pervadet in Judam, inundabit, & transibit, ad collum pertinget.* &c. eodem fluvii exundantis usus emblemate. Imo eodem modo, ut hic, Jes. I: 9. ni-

9. *nisi Jehova residuas nobis fecisset reliquias, vel tantillas, facti essemus ut Sodoma, similes Gomorrhae.*

§. VII. Nihil est, quod huic opinioni obstat, nisi hoc unum, Davidem pro cantici auctore vi inscriptionis esse habendum, & nullum *prophetiae* occurrere criterium, sed rei factæ ac præteritæ celebrationem. Quæ difficultas tanti visa est erudito admodum Interpreti Patrick, ut eam opinionem, quæ & ipsi in mentem venerat, seposuerit. Obhæsi & ego ad eam, & varia mihi occurrerunt, ut eam e medio tollerem; quorum hoc solum memorabo, Davidem, verum cantici auctorem, illud in usum Ecclesiæ seq. temporis, quando hic casus accideret, composuisse; ut tunc caneretur. Sive Spiritu prophetico præviderit, quo tempore ille casus exstaret, sive in genere præcognoverit simile fatum aliquando esse eventurum: quod hic perinde est. Posuit itaque sibi singularem Ecclesiæ casum ob oculos, quo ad incitas per truculentissimos hostes, populum Dei invadentes, redacta, ut a totali ruina ne vestigium pedis fere abesset, miraculose a Deo eriperetur. Huic casui, quem aliquo tempore futurum præscire potuit, canticum accommodavit, ut haberet Ecclesia, quibus verbis, & quo modo, laudes Deo accineret. Sed tandem eo delapsus sum, ut alterutrum censeam statuendum, vel canticum non esse Davidis, nomine ejus ex superiore cxxij. male repetito, & codici Masorethico inserto, ad quem Chald. versio, ut in aliis casibus, est conformata; utique Gr. & Syr. nomen Davidis ignorant, argumento, in ipsorum codicibus non adfuisse: vel, canticum ad normam alicujus cantici Davidis esse ab aliquo autore, tempore Hiskiæ, concinnatum, & præsenti tempori adcommodatum; sicut Hiskias Deum *verbis Davidis* laudasse legitur, 2 Chron. xxix. Nec desunt similia exempla in libro Psalmorum: uti ad Ps. xiv. observavi.

EXPLICATIO.

EXPLICATIO.

§. VIII. Prima cantici pars, quæ Israeli confessionem liberationis, soli Deo attribuendæ, imperat, ita sonat, vers. 1—5. *Nisi Jehova, qui noster fuit; dicat nunc Israel; nisi Jehova, qui fuit noster, cum insurgeret super nos homo: tunc vivos nos deglutiissent, ira ipsorum in nos accensa: tunc aquæ inundassent nos, torrens transiisset supra animam nostram, tunc transiisset supra animam nostram, aquæ*, puta, *illæ superbientes*. h. e. Tanta, tamque mirabilis est nostra liberatio, quam consecutus est Israel, ut universus populus erumpat, & non possit non erumpere, in gratam & lætam hanc confessionem. Nisi is, qui noster fuit *adjutor* & patronus, *Jehova* fuisset, Deus verus & omnipotens, quo tempore gentes sævæ, a truculento Rege adductæ, in nos impetum fecerunt, nostrisque jam imminebant capitibus, ex instanti nos instar ferarum & belluarum mox devorassent, cum ira in nos arderent, ut nihil mansisset reliqui: vel instar torrentis violenti & rapidissimi, cujus aquæ exæstuant, nos prostravissent, & abstulissent, ut vix vestigia restarent.

§. IX. Significant, qui hanc confessionem edunt, 1. gentes feroces, superbas & potentes, vehemente ira in se accensas, & cupiditate se destruendi latas, in se ingente cum impetu irruisse, ut se totos destruerent & exstirparent; parumque afuisse, quin id effectui dedissent. 2. Se certo certius succubituros fuisse, nisi Deus potente sua manu sibi adfuisset. 3. Liberationem suam fuisse a Deo solo, prorsus miraculose, effectam. 4. adeoque se ad grate hoc agnoscendum & confitendum esse obligatos, & paratos. Eamus per singulas partes, easque eruamus & illustremus ex textu.

§. X. 1. Hostes hic depinguntur, *a.* ut gentes extraneæ, & juris ac æqui parum studiosæ. Quam emphasin

habet, ut existimo, vox אדם *homo*, in phrasi, cum insurgeret in nos *homo*, h. e. gens a civitate Israelis aliena quæque non æqui & justi legibus, sed sola *libidine* agitur ac agit. Vox *Adam* hanc emphasin præfert, cum opponitur *Israeli*, uti hoc in loco Israel signat populum Dei, justis legibus adstrictum; sed *Adam* gentes, quæ nihil habent, nisi quod corrupta natura præbet, eique mancipatæ sunt, gentes pessimæ, quæ humani generis corruptionem summa emphasi demonstrant. Sic Adam & filii Adam pro corruptissimis & carnalibus sumuntur opposite ad *filios Dei*, Gen. VI: 2, 3, 5. I Sam. XXIV: 10. XXV: 29. & *Adam* ac *Israel* opponuntur eo sensu Jer. XXXII: 20. 1 Chron. VI: 29. nec non vulgatissimo forte in loco Hos. VI. *Et illi sicut Adam* sc. *sunt*. h. e. haud secus ac *gentes* se habent ac gerunt *a*.

§. XI. *b. Secundus* gentium harum character est, eas fuisse *superbas* & *truculentas*, & prospera fortuna elatas ac tumidas, quæ nullum ferre poterant populum, qui iis non erat subjectus, aut majestatem earum adorabat; & sævitia ac crudelitate insignes, quæ in quosvis populos sine discrimine sævire, eosque multis modis vexare, ac trucidare solebant. Quem characterem tum *ferarum* emblema, tum aquarum ferocientium & superbientium, clare signat. *Prius* occurrit, vers. 3 & 6. *tunc vivos nos deglutiissent*, quod ferarum & belluarum est, & benedictus Jehova, qui nos non dedit *praedam dentibus ipsorum*. *Posterius* phrasi *superbientium aquarum* involutum est, vers. 5. Vox Hebr. a זוד vel זיד, proprie Arabibus teritur in *aquis fervescentibus cum tumore*, vel *tumescentibus* cum *fervore b*: denotat itaque aquas, interno æstu furentes, seseque supra ripas efferentes, & quaquaversum magno cum impetu sese diffundentes. Sed emphasin forte habet singularis vocis forma, quæ pro זידים habet, addita terminat ון, זידונים; sive a vo-

ce

a Vid. comment. noster ad Mal. III. 8. Jer. XXXII: & Ps. LXXVIII: 60. *b* Vid. Rev. Hackman ad Gen. XXV.

ce זידון *effervescentia*, superbia, ut sint aquæ effervescentia effervescentes, seu summopere & vehementissime, vel intendendæ significationis ergo: quam potestatem habet terminatio ון apud Hebr. *a*. Cæterum versus ita vertendus est, *tunc transiisset super animam nostram* sc. fluvius ille ex vers. 4. emphasios enim causa verba repetuntur, ex vers. 3. additur, *aquis effervescentibus*, h. e. fluvius aquis æstuantibus tumidus, in nos irruit.

§. XII. *c. Tertius* character est, gentes eas fuisse Israeli valde *iratas*, ut vers. 3. dicunt: *cum exarsit ira eorum in nos*, proprie *nasus* illorum, h. e. Cum internus æstus in nares prorupit, & fumum flammasque spiravit. Quæ ingentis belluæ vehementiore ira commotæ viva est pictura. Ita de Dracone, Job. XLI: 10, 11. *Ex ore ejus faces procedunt, scintillationes ignis prosiliunt, e naribus ejus exit fumus, tanquam ollae sufflatae* &c. Unde hæc *ira* gentium in Israelem nata sit, etsi non addatur, ex superiore tamen superbiæ & ferociæ charactere facile elucet. Rex Assyrius, ex. gr. cum præ superbia ferre non posset, ut aliquis se ei opponeret, in Hizkiam vehemente ira concitatus est, quod ejus jugum excutere, & imperio ejus resistere fuerit ausus; maxime quo tempore reliquus Israel jam succubuisset, & victricia arma omnes vererentur: quæ ex verbis Rabsaces in historia obsidionis Hiskiæ facile colliguntur. Conf. Jes. X: 11.

§. XIII. *d. Quartus* character est incredibilis gentium *aviditas* Israelem destruendi, quam vers. 3. hæc verba exprimunt, *tunc vivos devorassent nos*. h. e. summa cum aviditate & flagrantissimo desiderio; quod nullam patitur moram, nec tempus concedit animal occidendi & ad cibum præparandi, sed quo vivum & crudum, ac totum, deglutitur, ut faciunt feræ famelicæ & rapaces. *Vivos* itaque absorbere nihil aliud hic notare videtur, ac subito, sine mora, & avidissime devorare. Quod quam egregie in

a Hiller. de Arbor. p. c. 17.

Aſſyrium conveniat, nemini non notum eſt. *e.* Denique *quintus* eſt, has gentes fuiſſet *potentiſſimas*, tum viribus, quibus reſiſti non poterat, tum *copia* & *multitudine*, quacum impetum fecerunt in Iſraelem. Quam cogitationem ſuggerunt emblemata *ferarum*, & *aquarum intumeſcentium fluvii* majoris & capacioris, qualis hic per vocem *fluvii*, quæ habet ה emphaticum in fin., intelligitur: quæ fuſiore explicatione non indigent.

§. XIV. *f.* Poſtremo de his gentibus dicitur, eas in Iſraelem irruiſſe, terram ejus inundaſſe, & parum afuiſſe, quin univerſum populum penitus deleviſſent. Huc verba & figuræ tendunt omnes. 1. Phraſis, *cum inſurgeret ſuper nos homo*, non ſimpliciter impetum in populum Dei ob oculos ponit, ſed eousque jam provectum, ut tantum quod eum ſuperaſſet. *Stare ſuper aliquo* eſt capiti ejus imminere, & viribus ſuperiorem eum mox ſubjecturum videri. 2. Cum fluvius pervaſurus dicitur *animam*, indicatur, aquas eo jam perveniſſe, ut nil niſi *caput*, ubi vita & *reſpiratio*, quæ proprie eſt נפש, reſtaret ſuperandum: quod Jeſ. VIII: 8. ubi de eadem Aſſyrii expeditione agitur, exprimit per *ad collum jam perveniſſe.* 3. Denique emblema fluvii intumeſcentis & ripas transeuntis, frequentiſſime teritur in expeditionibus hoſtilibus, ingente hominum copia, ac impetu, cui reſiſti nequit, terras pervadentibus, ac quævis obvia deſtruentibus, aut ſecum rapientibus. Quod tralaticium eſt. Vid. Jeſ. VIII. & ſæpe alibi.

§. XV. 2. Hoc in ſtatu cum poſitus fuiſſet Iſrael, ſeſe omnino deſtruendos fuiſſe, niſi Deus potente ſuo auxilio præſto fuiſſet, adeoque illi ſoli ſe acceptam ferre debere ſuam liberationem, porro ſignificant, cum fatentur, aquas jam ad animam usque intumuiſſe, idque repetunt, denique cum dicunt, *niſi Jehova.* &c. 1. Repetitio verborum, *tunc fluvius tranſiiſſet ſuper animam noſtram*, indicat, id certo certius fuiſſe futurum, niſi Deus ſuccurriſſet. Sed phraſis, *niſi Jehova* &c. eſt ſelecta & emphatica. Senſus eſt,

eſt, niſi Jehova fuiſſet, qui noſtrum patrocinium in ſe ſuſcepit, actum fuiſſet de nobis. Phraſis, *qui noſter fuit*, proprie *nobis fuit*, ſignificat, Jehovam populi a partibus ſtetiſſe in hac oppugnatione; ſeque populo præſtitiſſe patronum & defenſorem. Deus *alicui* eſſe dicitur, cum ejus eſt, ipſi adeſt, & ei auxilium præbet. Cæterum cum dicunt, *niſi Jehova*, *qui fuit nobis*, abrupte loquuntur, & præ adfectus commoti vehementia quid reticent; quo ipſo magis emphatice loquuntur: nam ſuppleri poteſt oratio vario modo, ut *a. niſi Jehova fuiſſet*, ſcilicet defenſor noſter fuiſſet Deus verus & omnipotens, qui *fecit coelum & terram*, verſ. 8; quo declaratur, eos non niſi divina potentia ſervari potuiſſe. *b. Niſi Jehova*, *qui nobis adfuit*, divinam ſuam manum exſeruiſſet, & *immediate* nos eripuiſſet ac *miraculoſe*.

§. XVI. Declarat itaque populus hac ſua confeſſione, 1. cauſam ſuam fuiſſe deſperatam, 2. non niſi divina potentia ſe potuiſſe ab hoſtibus vindicari, 3. per eam autem potuiſſe facile: quod indicat oppoſitio *Jehovæ* & *Adami*, ſeu *hominis*. Erat quidem *homo* nobis ſuperior, attamen *homo*, imbecillis, & nihili faciendus reſpectu Dei. 4. Denique, ſe hac potentia eſſe liberatos & faucibus harum belluarum, & ex mediis aquis, ereptum.

§. XVII. 3. Ad hanc confeſſionem cum poeta facer populum adhortatur, *dicat nunc Iſrael*, indicat, populum ad id eſſe obligatum; &, ſi unquam, nunc tempus eſſe in publicas Dei laudes erumpendi; imo populum ad id eſſe paratum, & communem hanc eſſe vocem, qua circumſonat populus, *niſi Jehova* &c: Illud populum omni modo teſtari, & debere confiteri, & verbis & factis; nomen Dei celebrando, laudes ipſi accinendo, & *oblationes* in ejus gloriam & grati animi ſignum offerendo; &c.

§. XVIII. II. Nec contentus hac adhortatione pſaltes, populo formulam præbet, ſecundum quam gratum animum explicaret, verſ. 6, 7. *Benedictus Jehova*, *qui nos non tradidit*

didit prædam dentibus ipsorum. Anima nostra sicut avis evasit e laqueo venatorum: laqueus fractus est, & nos erepti sumus. h. e. Dicat nunc Israel, & nomen Dei in hanc formam celebret: laudes sint Jehovæ, quod nos a truculentis hisce & potentibus hostibus, tanquam prædam a feris, devorari passus non sit, sed, cum nullæ nobis essent vires, quibus nos manibus hostium extricare poteramus, ipse potentiam & consilia eorum disturbaverit, & fregerit, nobisque elabendi dederit occasionem & facultatem; haud secus, ac imbellis avicula, quæ, laqueo constricta, eo fracto, evadit.


§. XIX. Nihil hic occurrit, quod explicatione indiget, nisi *a.* laquei emblema. *b.* ejus *fractio:* de quibus verbo absolvam. *a. Laquei* emblema, quo avicula constricta tenetur, hic nihil aliud designat, ac populum ab exercitu hostili undiquaque adeo fuisse obsessum, & in eas redactum angustias, ut propria potentia & viribus eripi non potuerit, sed certo certius in *manus* hostium venire debuerit, idque mox & e vestigio. Etsi in *laquei* similitudine nonnunquam ad insidias & illecebras respiciatur, earum hic nullam haberi rationem, ex superioribus figuris & Ps. argumento facile elucet. Hic non attenditur, quo modo in eas angustias venerit avicula; sed quantæ illæ sint, & quam ineluctabiles, in quibus versetur populus, similes sc. illis, in quibus avicula est laqueo constricta. *Venatores* itaque hic sint Assyriorum rex & principes; *avicula* Israel, viribus destitutus, ut fuit tempore Hiskiæ; *laqueus* sit exercitus hostilis, tanquam populo capiendo destinatus & aptus, potentia & artes bellicæ, vel quicquid hostes habent & valent, ad alios in potestatem suam redigendos. Hoc *laqueo* irretitus est populus, instar aviculæ, quando ab hostilibus copiis & potentia ita est obsessus, ut nulla supersit elabendi via; & mox in manus eorum sit venturus, ut *occidatur & devoretur*, aut alio transferatur. Quæ ipsissima fuit conditio Hierosolymitanorum, tempore Senacheribi, & Assyrio-

Assyriorum, qui, ut verbis Chrysostomi *a*, quibus hunc casum describit, utar, *civitatem totam velut sagena quadam ac rite conclusam tenuerunt.*

§. XX. *b.* Dictis lucem inspergit, & inde vicissim mutuatur, *fractio laquei*, quæ viam elabendi præbuit populo: qua mirabilis exercitus hostilis destructio, a Jehova facta, ob oculos ponitur. Cum enim exercitus & potentia Assyriorum, Judæos obsidentium & constrictos tenentium, cum *laqueo*, avicula retinente, comparetur, ejus *fractio* nihil aliud ac illam cladem, quæ hostilem exercitum & vim penitus fregit, exprimere potest. Sed cum populus *avicula* hic gerat imaginem; *laquei fractio* non potest non *divinitus facta* intelligi. Accedit, verba, *laqueus fractus est*, ita hic esse posita, ut mirabilem & subitaneam fractionem designent: acsi legeretur: ecce *fractus est*, sine nostra aut aliorum hominum ope; *fractus est*, omnibus stupentibus, *fractus est* nescio a quo. Quo emblemate mirabilis illa Assyriorum clades, quæ eos ad internecionem delevit, vivis coloribus depicta est.

§. XXI. III. Conclusio cantici, *auxilium nostrum in nomine Jehovae, creatoris coeli & terrae*, prout suppletur per *fuit*, *est*, aut *erit*, agnitionem liberationis, divinitus ab omnipotente & vero Deo concessæ, nec non spei ac fiduciæ in ipso positæ in posterum, testificationem comprehendit. In quo nihil est obscuri.

a Orat. v contra Judæos oper. t. I. p. 654. ed. nov.



PSALM.



PSALM. CXXV.

1. *Canticum adscensionum. Qui confidunt Jehovae*, sunt *sicut mons Tsion*, *qui non movebitur*, sed *aeternum manebit.*
2. *Circa Hierosolymam sunt montes; sed Jehova est circa populum suum ab hoc tempore & in perpetuum.*
3. *Quia non recubabit sceptrum inpietatis super sorte justorum, propterea quod justi non sint manus suas admoturi perversitati.*
4. *Benefacit Jehova bonis, & qui recti animis suis sunt.*
5. *Sed eos, qui ad contortas suas vias declinant, perire facit Jehova, operatores* scilicet *vanitatis. Pax sit super Israele.*

PROLEGOMENA.

§. I.

QUemadmodum Jes. XXXIII: 6., cum ad populum, ex afflictione Epiphanica modo liberatum, dicit, *& erit stabilitas temporis tui*, *possessio salutum*, *sapientia* & *cognitio*, *reverentia Jehovae* est *thesaurus ejus*, ei ob oculos ponit, unicam viam conservandi status prosperitatem & felicitatem esse *sapientiam*, *scientiam* & *reverentiam* Jehovæ, pietatis & virtutis studium: ita Divinus poeta eundem forte populum hac in ode docet, Reip. fulcimen & robur ac pro-

prosperitatem non esse in montis Tsionis firmitate, ac Hierosolymæ inexpugnabili situ, sed in *Jehova*, ejusque auxilio & benedictione, positam, nec ab eo exspectandam esse hanc conservationem & benedictionem, nisi, regno impietatis everso, justitiæ & virtuti toto corde operam dent cives; quia Deus bonis & integris unice favet, impios & hypocritas e medio tollit.

§. II. Argumentum enim cantici est totum διδασκαλικὸν *doctrinale;* quo docetur, fidentes Jehovæ firmo stare talo, eosque esse Tsionem immobilem, & Hierosolymam inexpugnabilem; præterea eos, qui sub tutela Jehovæ sunt, esse *virtutis* & *pietatis* studiosos; quos Jehova suo amore solos complectitur, & favore prosequitur, impiis & hypocritis ab ipso exitio tradendis. Poeta, I. eos immobiles stare declarat, non qui Tsionem inhabitant, & montibus Hierosolymæ cinguntur, sed qui in Jehova fiduciam collocant, adeoque non in Tsione & Hierosolyma, sed in Jehova esse firmitatem populi sitam, vers. 1, 2. II. Rationem stabilis eorum status repetit a virtutis & justitiæ studio, & odio ac aversatione impietatis, ut evincat, eos tantum rationem habere fidendi Jehovæ, & ab eo auxilium & favorem sibi promittendi, qui *sceptrum impietatis* inter se dominari non patiuntur, vers. 3. III. Denique hujus *rationis* veritatem ex eo demonstrat, quod Deus *bonis* faveat, & *impios* perdat, vers. 4, 5. Quando IV. voto concludit *pacis super Israele*.

§. III. *Scopus* cantici, ut ex dictis sponte sua elucet, est 1. populo Dei veram monstrare viam, qua statum suum firmare & felicem reddere queat, sefeque ab oppressionibus hostium, quas expertus erat, tutam & liberam præstare; 2. falsa ei eripere præjudicia, quibus a Tsione & Hierosol. eam firmitatem exspectabant: quæ per omnia tempora inter Judæos locum tenuerunt. Opposite ad has præjudicatas opiniones, docetur, fiduciam in Jehova hanc arcem inexpugnabilem adferre, & eam fiduciam eorum

tantum esse, qui, ab impietate alieni, virtuti & pietati operam dant.

ANACRISIS.

§. IV. Investigatione *subjecti*, cui ode adplicanda est, supersedere possemus, cum sit *generalis* argumenti, quod in omnia tempora convenit, nisi aliqui essent ex Interpretibus, qui ad certum tempus illud restringunt, alii ad statum Davidis coram Absolomo fugientis, alii ad Ecclesiam Christi sub Antichristi tyrannide gementem. Qui utrique sese in vers. 3., fundant, illis *sceptrum impietatis* ad Absolomum, his ad Antichristi dominium referentibus: sed utrique & in versus intellectu errant, & a probabili recedunt. Vers. 3. non loquitur de *dominio* alicujus tyranni, Ecclesiam opprimentis, & pios persequentis, sed de ipsa *impietate* regnante; sensusque est; *impietati* locum non esse debere inter *justos*, qui Jehovæ auxilium exspectare possunt; ut mox videbimus. Deinde, textus diserte habet, *sceptrum* illud *non requieturum in sorte* justorum, cum tamen & Absolomus ad clavum regni sederit, & Antichristus diutissime opprimeret Ecclesiam. Denique, cum de auctore Ps. non constet, nec probabile sit eum Davidem esse, & *Hierosolyma* nihil passa sit per Absolomi sceptrum, ne nunc alia proferam, Absolomi imperium hic nullo modo intelligi potest. Opinio de Antichristo aliis adhuc premitur difficultatibus. *a.* Nullum hic sese offert *criterium* distinguens, Antichristo ita proprium, ut in neminem alium conveniat. Si *tyrannus*, qui populum injuste oppressit, intelligatur, Chaldæus, utique Antiochus Epiphanes, æque esset posset, ac Antichristus. *b.* Cum firmitas Ecclesiæ cum monte Tsionis & Hierosolyma comparetur, rectius in eam Ecclesiam illud quadrat, quæ ibi sedem habebat; maxime cum ad præjudicia de eorum locorum

corum firmitate digitus intendatur. c. Denique, ubi subjectum nominatur & in propinquo est, de quo Israelitæ, oden hanc canentes, cogitare non poterant non, nihilque hic occurrit, ab eo alienum: utique sine ratione & temere aliud fingitur.

§. V. Mihi itaque in generali argumento cantici acquiescendum videtur, quod supra in medium adduxi; licet nullus intercedam, quominus, si quis ita velit, ad Israelem referatur, modo ab oppressione Antiochi, & impietatis dominio inter Israelitas, in libertatem vindicatum; scopusque statuatur, populum liberatum veræ viæ ad stabilem prosperitatem cognitione instruere; quemadmodum Jes. XXXIII. in oculis fuisse modo observavimus. Utique vers. 3. ad *impietatem*, quæ populum eo tempore inundaverat, & fere oppresserat, digitus censeri potest intendi, ut vers. 5. ad *impiorum* exstirpationem, eo tempore factam. Confer. visum Zach. v. de *muliere in Epha*, cui nomen erat *impietas*, ad idem illud tempus pertinens, uti ad eum locum demonstrabo. Quo admisso, statuendum erit, canticum eo ipso tempore esse compositum: in quo nihil est absurdi, cum tales plures Psalmi sint. Sed ego hic nihil definiverim.

EXPLICATIO.

§. VI. Fundamentum firmitatis populi, in Jehovæ protectione situm, & ad fidentes Jehovæ pertinens, in hæc verba describit poeta, vers. 1, 2. *Qui confidunt Jehovae sunt sicut mons Tsion, qui non movebitur, sed æternum manebit. Circa Hierosolymam sunt montes, sed Jehova est circa populum suum, ab hoc tempore in perpetuum.* h. e. Prærogativa montis Tsionis, qua supra reliquos montes superbit, sibique immobilem statum ac perpetuam inhabitationem promittit, in eo tantum fundata est, & ab eo unice dependet,

det, quod incolæ Deo veraci & bono confidant, nec aliunde inexpugnabilitas Hierosolymæ, quam a Jehovæ protectione, est derivanda. Etsi enim Tsion firmo stet talo, & æternum censeatur insidendus, Hierosolyma etiam altos ac insuperabiles habeat in circuitu montes: attamen, nisi populus Jehovæ fidat, & Jehova locum illum sua potentia & favore protegat ac muniat, vana erit & Tsionis immobilitas, & Hierosolymæ firmitas. Quare, si res vero suo nomine sit exprimenda, nec Tsion mons dicendus erit immobilis, nec montibus erit Hierosolymæ stabilitas attribuenda, sed *fidentes* Jehovæ ille mons Tsion, æternum incolendus, sunt, & Hierosolyma inexpugnabilis est, quia Divina tutela, tanquam montibus ac muris, cingitur.

§. VII. Respicit poeta ad præjudicatas Judæorum opiniones, quibus status sui fulcimen in ipso Tsione & Hierosolyma ponebat, acsi & situs eorum locorum esset immobilis ac inexpugnabilis, nec fieri posset, ut regnum Davidis, in eo monte fundatum, & Templum Domini ei alligatum, destruerentur. Agnoscit auctor sacer has Tsionis & Hierosolymæ prærogativas, & *illum* loco non esse movendum, sed æternam populo præbiturum mansionem, & *hanc* montibus sanctis ac firmis esse cinctam; sed, hæc vera firmitatis ac perpetuitatis eorum esse fundamenta, negat, quippe quæ cum in *fiducia* Jehovæ, tum in ejus protectione, esse posita declarat. Duo itaque agit poeta, *α.* agnoscit Tsionis & Hierosolymæ munitiones, & firmum statum. *β.* Veras ejus rei causas & rationes exponit.

§. VIII. *α.* Concedit, Tsionem non esse loco movendum, sed æternum incolendum, ut & Hierosolymam per montes suos esse firmam. Ita enim posterius vers. 2. & prius vers. 3. membrum est capiendum; quod ex vers. 3. clarius elucet. *Hierosolyma*, dicit, *montes ipsi in circuitu*, h. e. ad Hierosolymam quod attinet, verum est, *montibus* eam esse undiquaque cinctam, montibus, & per *sancti-*

tatem

tatem suam, a Dei inhabitatione repetendam, & per firmitatem insitam, munitissimis. Eadem ratione vers. 2. est intelligendus, ut ex membro priore vers. 3. modo memorato colligitur; acsi legeretur, ad montem Tsionis quod attinet, *non movebitur*, *sed in perpetuum sedebit*, sedemque præbebit Israelitis, tum quod mons ipse munitissimus, tum regni Davidis sedes sit. Quæ cum quoad litteram facilia sint, nos non detinebunt.

§. IX. *β*. Atenim licet hæc admittat vir sanctus, a communi hominum ejus temporis opinione circa veram firmitatis *causam* & *fundamentum* longe alienus est. Cum enim illi munimentis illis fiderent, poeta docet, *Jehovam* ipsum esse status urbis & populi firmamentum, & se talem præstare iis, qui *ipsi fidunt*. Hoc scopo poeta, *a*. personas definit, ad quas illa firmitas pertinebat, *b*. *causam* ejus tradit, *Jehovæ protectionem*, & ita confirmat, quod dixerat, *fidentes Jehovæ* immobiliter stare: acsi diceret; qui *Jehovæ confidunt* loco non movebuntur, quia *Jehova* est *circa populum suum*. Versus itaque *primus* immobilem fidentium Jehovæ statum depingit, & vers. *secundus* ejus firmitatis *causam* pandit.

§. X. Immobilis reip. status *fidentibus Jehovæ* vindicatur, & non simpliciter Tsionis incolis: quod ut emphatice exprimeret, dixit, *fideles* illos esse *Tsionem illum immobilem & perennem*. Hanc enim emphasin habet particula *similitudinis*, *sicut mons Tsion*: quippe quæ non tantum in genere comparat *fidentes* illos cum *monte*, sed simul involvit, eorum proprie esse, quod monti solet attribui, eorumque causa *Tsioni* illud robur competere. Nisi hac ratione capias, comparatio erit nimis levis; cum *fidentium* illorum status sit longe firmior *monte Tsionis*, ut alibi Jes. LIV. *montes recedent* &c. sed *non benignitas mea*. *Fidentes* itaque *sicut mons* idem est, ac fidelibus id vere ac proprie convenit, quod *monti Tsioni* attribui solet. Quod enim hic pro immobili habetur & perpetuum incolendo; id hi

vere sunt, & Tsioni non nisi eorum respectu & causa competit. De monte Tsionis promulgatur & creditur, eum nec loco cessurum, nec incolis esse privandum: sed id & fidentibus Jehovæ proprium est, & eorum causa *Tsioni* conceditur. Particulam *similitudinis*, *sicut*, ipsam rei veritatem exprimere, notius est quam ut demonstrari debeat. Sed rei veritatem hic non nisi *emblematice* sistit, quare *similitudinis* vis prorsus non perit. *Fidentes* vero *Jehovæ* sunt non tantum, qui certo a *Jehova* exspectant illud bonum, & in eo etiam secure acquiescunt, sed & qui solido fundamento nixi id sibi promittunt, & se fiduciæ suæ convenienter gerunt, ut *fiducia* illa ex tota eorum vita & actionibus eluceat. Solido fundamento id faciunt, qui animo pio, & virtutis ac legis divinæ studioso, id agunt, quorum adfectus cum Deo sunt uniti, & qui animo toto ipsi adhærent. Fiduciæ convenienter vivunt, qui sese ut populum Dei decet gerunt, digne statu communionis Dei, in quo sunt. Quare fidentes & populus Dei ac justi & integri in hoc cantico alternantur, ut in seq. videbimus.

§. XI. Sed quæ *ratio firmitatis* eorum, nullo impetu frangendæ? illam poeta pandit, vers. 2. cum dicit, *Jehovam esse circa populum suum*, quod munimentum longe firmius est *montibus*, qui *Hierosolymam cingunt*. Montes quidem, tanquam *muri*, urbem ambiunt, & eam reddunt firmissimam; sed absque Jehovæ protectione esset, nihili illud munimentum foret æstimandum: longe firmiore gaudet populus Dei, sine quo ipsa Hierosolyma, montibus licet cincta, non foret *tuta*. Sensus ergo est, veros Hierosol. montes, qui eam inexpugnabilem constituunt, esse *Jehovæ* tutelam. Ita Jes. XXVI: 1., de temporibus Maccab. primo sensu agens, Ecclesiam introducit loquentem, *urbs roboris nobis. Salutem posuit muros & antemurale.* Affine est, quod Hierosolymæ promittit Deus, Zach. II. *Et ego ero ipsi, ait Jehova, in murum igneum circumquaque*, & Jes. XXVI: 4. *fiduciam ponite in Jehova, usque & usque, quia*

Jah

Joh Jehovah est rupes seculorum, Jer. III: 23. *Certe in Jehova Deo nostro consistit salus Israelis.* Vid etiam c. XVI: 12, 13 & ibi dicta.

§. XII. Ceterum ne cui aqua hæreat in eo, quod *Tsion* perpetuo dicatur *mansurus*, & Deus circa populum in *æternum*: not. 1. phrasin stylo V. T. se non ulterius, quam ad finem Oecon. V., extendere, adeoque indicare, usque ad eum terminum occultum, & decreto Dei definitum, statum Ecclesiæ Vet. *perpetuo* esse duraturum, nullo exilio aut calamitate, qualis fuerat Epiphan., intercipiendum. Quæ notissima est *æternitatis* significatio, ubi Vet. Ecclesiæ adplicatur. 2. Phrasin ad *fidentes* Jehovæ restringi, & ejus veritatem inde suspendi: a qua conditione si discesserit populus, divino patrocinio amplius non gauderet, ut vers. 5. diserte declaratur.

§. XIII. Sed quid causæ est, quare *fidentes* Jehovæ, sub ejus tutela, adeo tuti sint, sibique stabilem sedem ac prosperam promittere soli queant? illud poeta a *pietatis* & *virtutis* studio, quo flagrarent, repetit, vers. 3. *Quia non recubabit sceptrum impietatis super sorte justorum; propterea quod justi non sint manus suas admoturi perversitati.* h. e. Fidentes Jehovæ hoc patrocinio divino fruentur, quia, qui in Jehova vere fiduciam collocant, iidem *justitiæ* sunt tenaces, qui *perversitati* non patrocinabuntur, adeoque fieri non potest, ut impietas inter eos stabuletur, eorumque terræ gravius incubet. Hypothesis poetæ est, quam præsupponit, eosdem esse *justos*, qui *Deo fidunt*, nec posse hæc duo separari. Quo posito, adserit, eos non posse patrocinari non tantum injustitiæ, sed obviam ei ituros: unde colligit, fieri non posse, ut *impietas* in terra ipsorum caput exerat, & stabilem sedem inter ipsos consequatur. Quamdiu enim justi maximam partem in civitate constituunt, & penes eos est summa imperii, metus non est, ut *impietatis* thronus ibi erigatur. Membra ita cohærent, ut posterius sit causa prioris; quod versio nostra indicat.

Vox

Vox Hebr. למען *propterea* ſubinde eſt *propterea quod*, uti conſtat. Phraſis *mittere manus in perverſitatem* dicit, eam apprehendere, ſibi ut rem ad ſe pertinentem vindicare, ejus patrocinium ſuſcipere, quod non eſt difficile. Sed phraſis plus in receſſu habet, & contrarium involvit, ſc. juſtos, contra, omni ope eam eſſe oppugnaturos & deſtructuros: quo nihil eſt vulgatius. Ceterum cum poeta adſerit, *juſtos* id non eſſe præſtituros, ſed contrarium, in *juſtorum* titulo & qualitate ſe fundat, &, tale quid a *juſtis* eſſe *ſperandum* & *exſpectandum*, indicat: cum nihil ſit a juſtis alienius, quam ut *perverſitati* patrocinium præberent. Simul eos admonet, ut ſtatum & titulum *juſtorum*, quo gaudebant, probe tueantur, quippe ſine quo nec *fidentes Jehovae* eſſe, appellarive, queant. Hoc eſt, quod poeta hic *fundamenti* loco ſternit, licet non expreſſe dicat, ut ex nexu patet. *Juſti* ergo & *fidentes* iidem ſunt, illique intelliguntur, qui *pietati* ſtudent et virtuti; quales fuerunt Maccabæi, *Chaſidæorum* titulo noti, quos hic primo loco in oculis forte habuit.

§. XIV. Hinc derivat poeta, *ſceptrum impietatis* inter eos *dominari* non poſſe; h. e. impietatem non eſſe inundaturam terram, nec thronum ibi habituram. *Sceptrum impietatis* alicubi *requieſcit*, cum dominium exercet, & dominans impietas ſedem tenet firmam. Novi, Interpretes *tyrannum* aliquem impium, in terra graſſantem, paſſim intelligere: ſed cum phraſi noſtra interpretatio eſt conjunctior, & ſeq. membrum alteram opinionem omnino refutat; cum ſenſum tolerabilem tum non admittat, de quo inſtituti ratio vetat plura addere. Nexus inter membra ex noſtra opinione ſponte elucet; modo notetur, *ſortem juſtorum* eſſe terram, quam tenent juſti, in qua *primas* obtinent. Juſtis ergo omni ope nitentibus, ne *impietas* locum inter ſe obtineat, fieri non poteſt, ut id efficiatur. In oculis fuit viro pio, id, quod de *Maccabæis* legitur, eos *impios* quaquaverſum e terra eliminaſſe, ut libri Maccab-

enar-

enarrant, & emblema visi Zach. v. prænunciat. Conf. Ps. ci., & facile elucescet, qua ratione pii operam dare queant, ut impietati & impiis nullus in terra sua locus sit.

§. XV. Sed quis nexus inter protectionem Jehovæ, & *pietatis* studium? hunc enim nexum poetæ oratio pro hypothesi habet, cum dicit, *quia non requiescet*, &c. Ratio ea si sit solida; oportet, Deus non nisi justis patrocinetur. Id quod vers. 4 & 5. exponunt in hæc verba. *Benefacit Jehova bonis, & rectis animo; sed eos, qui ad contortas suas vias declinant, perire faciet Jehova operarios iniquitatis.* h. e. Quod rationem, quare fidentes Jehovæ firmum in ipso habeant præsidium, a *pietatis* eorum studio petii, illud in rei & Dei natura est fundatum. Hæc enim constantissima est providentiæ ejus regula, cui non magis quam sibi renunciare potest, Deum bonis & rectis se benevolum & propitium præstare, perversos & contortos in viis suis male perdere, tanquam patratores iniquitatis; quare nemo nisi pius & justus Dei patrocinium exspectare, nemo consequi potest. Cum hoc sensu nihil sit simplicius, nihil facilius, uno alterove observato circa phrases defungar.

§. XVI. 1. *Boni*, vi vocis, sunt, qui in suo genere perfecti sunt, excellunt, humani generis itaque ornamenta, & præcipuum decus, in quibus humana natura se exserit, qualis vere est, qui per consequens sunt humani, honesti, hominum amantes, & justitiæ studiosi ac virtutis: præterea, qui ad principium *creationis* redierunt, quando *omnia bona* erant in oculis Dei. *Boni* ergo, qui scopo creationis & fini, cui destinati sunt in terra, respondent. Sed cum ad eum gradum homini nunc non detur adscendere; hinc addit, 2. *recti animis*, h. e. sinceri, qui toto animo eo tendunt, in id incumbunt, &, ut uno verbo dicam, *pietatis*, *justitiæ*, & *veritatis* cum maxime sunt studiosi: quod latius non licet deducere. 3. His opponuntur, qui *contortis viis insistunt*, & *iniquitati dant operam.* Quæ duo epitheta superioribus respondent, ut

contraria: *contortarum* viarum sectatores *rectis*, & operatores iniquitatis *bonis* opponuntur. Ultima itaque verba; *operatores iniquitatis*, explicationis gratia adduntur, ut *contortorum* illorum lineæ fortius ducerentur: quare non verto, *cum operatoribus*, ut passim, sed *operatores illos*, sic κατ' ἐξοχὴν dictos, quæ vis est particulæ את, usum particulæ δεικτικῆς præferentis *a*. *Operatores nihili.* Sic enim vox Hebr. און proprie signat, in specie *nihili moralis*, sunt, qui ea agunt, in quibus nihil boni & solidi inest; inde iniquitatis & injustitiæ studiosi, homines pessimi, & humani generis pestes, proximi *osores;* qui tantum abest, ut *recti* essent *animis*, ut sint *contortissimi* & *perversissimi*, quod hic dicitur, *declinare perversitatibus suis*, *perversissimis:* quæ emphasis est in duplicatione ultimarum litterarum vocis Hebr., quæ de *viis curvis* & *ambagiosis* usurpatur, Jud. v. & *serpente* sinuosa *volumina versante* Jes. XXVII. Intelliguntur consilia & opera prava, perniciosa, veritati, justitiæ & rectitudini, e diametro contraria, eaque varia, prout libidine sua agitantur. Phrasis Hebr. videtur vertenda, qui *se inclinant*, vel *declinant* a via regia, multis *tortuositatibus*, varia via perversa incedentes. 4. Hos adfirmatur Deus *perditurus*, vel *ire* aut *abire* facere in perniciem: quam vim habet verbum *ire*, ut Lat. *perire*, *abire*, imo, etsi rarius, ipsum *ire*, vel verbum Hebr. sumitur Job. XXVII: 22. *tollet eum turbo*; *& ibit.* *b*

§. XVII. Votum, quo canticum concluditur, *pax super Israele*, eo tendit, ut, quod facile adparet, omnem prosperitatem, cum firma status perennitate, Israeli, sese talem, qualem descripserat, gerenti, a Deo esse concedendam, sese desiderare, petere, simul prædicere, significaret, præterea omnes, qui bene ipsi cupiunt, vovere debere, hac formula adhibita, inculcaret. Quæ nihil habent, quod nos moretur.

a Vid. Bangius coel. Orient. p. 143. *b* comm. noster ad Ps. XXXIX: 14.

PSALM.



PSALM. CXXVI.

1. *Canticum adſcenſionum. Quando reſtituit Jehova captivitatem Tſionis, eramus inſtar ſomniantium.*
2. *Tunc, inplebitur os noſtrum riſu, & lingua noſtra jubilo: tunc, dicent inter gentes; magna ipſis præſtitit Jehova.*
3. *Præſtitit utique Jehova nobis magna, & hilares fuimus.*
4. *Reduc, Jehova! captivitatem noſtram, ſicut torrentes in plaga auſtrali.*
5. *Qui ſerunt lacrymantes, lætos inter clamores metent.*
6. *Qui itat cum fletu gerens tractum ſeminis, is veniet cum jubilo mergites ſuos geſtans.*

PROLEGOMENA:

§. I.

ARgumentum Cantici eſt lætitiæ & ſpei, quam reſtitutio captivitatis Tſionis in integrum concitaverat reducibus, teſtificatio, & pro ea reſtitutione precatio. Poſteaquam reduces explicuerant & ſummum ſuum gaudium, quo per Tſionis reductionem ex captivitate fuerant adfecti, & ſpem ſuam, quam conceperant de ſumma rerum ſuarum proſperitate, fore, ut gentes ipſæ confiteri deberent, Deum magna & præclara in populo inſtaurando patraſſe facinora; mox ad preces pro captivitatis reſtitutione ſe-

convertunt, eamque propria & emblematica oratione implorant. Quæ duæ argumenti partes, cum altera alteram destruat, qua ratione in concordiam sint redigendæ, non una est Interpretum opinio. Alii *priorem* partem, tribus primis versibus comprehensam, pro vaticinio habent, & futuræ redemtionis annunciatione: sed præteritum tempus, quo poeta utitur vers. 1, 3. id non permittit; ne alia adferam. Alii itaque de *diversa*, & diversi temporis, restitutione censent poetam loqui, alia præterita, alia futura; alii de ejusdem restitutionis diversis periodis & gradibus: quod postremum mihi cum vero videtur conjunctius; quia nullum occurrit diversarum instaurationum criterium, nec sine urgente ratione eandem plane phrasin in eadem orationis textura de diversis licet interpretari rebus. Videri alicui posset, quod mihi in mentem venit, fateor, vers. 4*to* non occurrere *preces*, sed ejusdem rei continuatam narrationem, nec vertendum esse *reduc*, sed *reduxit*, quando omnis difficultas evanesceret. Sed, quamvis textus Hebr. id pati queat, obstat tamen tum particula אז *tunc* vers. 2. quæ indicat, eos, qui hic in scenam producuntur, de præterita sua lætitia & spe, non de præsenti statu, loqui, adeoque statum præsentem præterito non respondere; tum fut. tempus, quo poeta vers. 5 & 6. utitur, quod in *preces* rectius convenit.

§. II. Sint itaque duæ diversæ cantici partes, quarum alia de præterita, alia de futura restitutione agit, vel potius de ejusdem instaurationis diversis articulis & gradibus, alio præterito, alio futuro. Quæstio superest, quas captivitatis reductiones in oculis habuerit poeta. Interpretes hic in diversa rursus abeunt; alii de Aegyptiaca cogitant & Babylonica, alii de redemtione spirituali per Messiam in initiis & fine N. T., alii de *Babylonica* & futura reductione Israelis in terram suam, quam novissimo tempore futuram credunt. Sed nulla harum opinionum se tueri potest. 1. Aegyptiaca nusquam venit, nec venire potest, nomine

reductio-

reductionis captivitatis, cum populus e terra sua non fuerit violenter in Aegyptum translatus, multo minus *captivitatis Tsionis*, quæ tunc nulla erat. 2. *Spiritualis* per Christum *redemtio* hic sine ulla ratione obtruditur, & contra usitatissimum phrasios, *reducere captivitatem Tsionis*, significatum: ea enim phrasi, vel Babylonica, vel Epiphanica redemtio, sed *illa* passim, insigniri solet, ut nemini non notum est. 3. Ultima Judæorum translatio in terram Cananæam, de qua cogitat non nemo, sicut nullo nititur fundamento solido, ita nimis est remota, quam ut immani saltu a Babylonica ad eam prosilire censeri possit poeta; phrasis, *reduc captivitatem* nostram, sine ulla ratione ad eam restringitur.

§. III. Nos itaque ad ejusdem reductionis diversas periodos hic oculos flectimus, & vers. 4. de continuatione ac consummatione ejusdem instaurationis interpretamur, sive illa sit *Babylonica*, sive *Epiphanica*: quod quodammodo dubium est. 1. In *hanc* rectius quadrare videtur tum *somniantium* emblema, tum phrasis, Deus *magna præstitit*. *Somniantium* conditio, quam reduces sibi aptant, haud obscure innuit, liberationem illam sibi nec opinantibus accidisse, & fere incredibilem fuisse visam: quod a reducibus, qui certas de ea habebant prædictiones in manibus, videri posset paulo alienius: dein, cum Deus majora longe præstiterit Maccabæis, quam reducibus ex Babele, & phrasis, Deus *magna fecit*, sit valde emphatica, utique non sine ratione de *Maccabaica* quis cogitaverit liberatione. Sed de Babylonica longe usitatissima phrasis est, a qua discedere sine urgente necessitate non licet. Verum quidem est, & *somniantium* emblema, & phrasin, *magna præstare*, in Maccabaica tempora quam aptissime convenire; sed a statu reducum ex Babele quoque non abhorret; ut mox videbimus: maxime si observavero, phrasin eam ex *spe* reducum magis fuisse ortam, quam ex præsente exulum statu, in initio reditus: de quo in explicatione dicemus.

§. IV. Noſtræ itaque rationes habent, oden eſſe compoſitam a pio aliquo viro inter reduces, ſive Ezras fuerit, ſive alius aliquis propheta; quo tempore *ſpes* reducum, quas in principio conceperant ſummas, coeperunt concidere, vel labefactari, ſtatu reip. & Eccleſiæ valde *tenui* & *dubio*, & populo in magnis anguſtiis ac diſcriminibus verſante; uti ex Haggæo, & hiſtoria Ezræ ac Nehemiæ notiſſimum eſt. Hoc rerum ſtatu divinus poeta oden compoſuit in uſus piorum, ut & in ſpe confirmarentur, & formulam haberent precandi pro redemtionis ulteriore conſummatione. Quo fini א. lætitiam populi enarrat, quam ſuper ea reductione demonſtraverat, & *ſpem* Eccleſiæ teſtificatur, quam de ſumma ſua proſperitate conceperat, fore, ut Deus *magna* faceret, ut vere *facere* inceperat, verſ. 1—3. ב. Hæ piorum ſpes cum fruſtra cadere nequeant, & tamen præſens populi conditio iis minime reſponderet, preces ad Deum fundit pro *reductione* uberiore; easque preces eam in formam redigit, ut ſimul certam earum exauditionem inſinuet, & poſt *nubila phoebum* futurum indicet, verſ. 4--6. Eo enim collineat fut. tempus, quod poeta adhibet, verſ. 5, 6. vertendum, & *optative* & in fut., ſatores *metant* & *metent* &c. Cæterum, quod non erat negligendum, ipſa emblemata, quibus poeta utitur, *tenuem* & *dubium* populi ſtatum, in quo eo tempore verſabatur, haud obſcure ob oculos ponunt: ut in ſeq. obſervabimus.

EXPLICATIO.

§. V. *Prior* pars, quæ adfectionem populi erga redemtionem ex captivitate Babylonica, quam in principio habuerat, comprehendit, ita ſonat, verſ. 1--3. *Quando reſtituit Jehovah captivitatem Tſionis, eramus inſtar ſomniantium: tunc, implebitur os noſtrum riſu, & lingua noſtra*

jubilo

jubilo. Tunc, dicent inter gentes, magna ipsis præstitit Jehova: præstitit utique Jehovah nobis magna, & hilares fuimus. h. e. Redemtio ex captivitate, & in terram nostram reductio, cum ea primum contigit, nobis visa est *incredibilis*, mox magnam lætitiam concitavit & *ingentes spes;* quod utrumque *somniantibus* proprium est: in principio credere vix potuimus, Deum nos patriis laribus redditurum, & in terra nostra pedes figere concessurum esse; dein, cum ab illa incredulitate, quam & rei difficultas, & nostrum desiderium, in nobis produxerat, ad nos rediissemus, mox in alium delapsi sumus adfectum, quo, extra nos quasi rapti, nobis omnia præclara & magnifica e vestigio promisimus: tunc enim communes mox erant voces; nil nisi lætitia & gaudium nobis est decretum; risu & jubilo os & lingua replebuntur; imo *tunc* erat; quævis præclara & magnifica nobis a Jehova concessa prædicabunt de nobis gentes vicinæ, ad quarum notitiam res nostræ venerint. Nec sine omni ratione hæc & similia nobis promisimus: cum Deus vere magna nobis præstiterit, nos liberando, & in terram nostram reducendo, &c.

§. VI. Poeta 1. adfectiones populi erga concessam redemtionem in genere depingit, vers. 1. dein 2. eas respectu *spei*, quam conceperat, latius deducit, vers. 2. Denique 3. spei *fundamentum* proponit, vers. 3. 1. Vers. 1. comprehendit & *beneficium* in populum collatum, & ejus *adfectionem* inde mox ortam. Beneficium est *reductio captivitatis Tsionis*, h. e. captivorum, ex manu hostili ereptorum, restitutio. Id enim phrasis Hebr. proprie & stricte dicit; ut innumera loca docent. Deut. xxx: 3. Ps. xi: 4--7. LXXXV: 2, 5. Jes. xxx: 18. & alibi sæpe. Continetur itaque hac phrasi, *a.* Tsionitas fuisse ab hostibus subjugatos, *b.* in alias terras transportatos, *c.* hostium manibus ereptos, & *d.* propriis laribus rddditos. Quo beneficio gavisi sunt, cum, regno Babylonico per Cyrum destructo, & licentia in patriam revertendi a Cyro concessa; ipsi salvi

in

in Cananæam redierunt, & ſtabiles ibi fixerunt ſedes, manusque rebus inſtaurandis admovere coeperunt. Hoc ipſo tempore quo fuerint animo, poeta per *ſomniantium* emblema depingit. *Fuimus*, inquit, inſtar *ſomniantium*. h. e. res nobis primo viſa eſt *incredibilis*, dein mox quævis præclara nobis promiſimus. *Somniantes* ſunt & qui ſibi videntur *videre* quæ non vident, vel non ſunt, & qui ſibi videntur *habere*, vel habituri, quæ non habent. Cæterum cum dicunt ſe fuiſſe *inſtar ſomniantium*, duo ſignificant; *a.* ſe præſentem ſuum ſtatum pro *ſomnio* habuiſſe, *b.* circa *futuram* conditionem vere quid de *ſomniantibus* habuiſſe. Prius ſignat *incredulitatem*, poſterius *deluſionem* aliquam. *Somniantes* enim ſunt, vel qui ſe ſomniare putant, vel qui vere *ſomniant*; utrumque ſibi adplicant. *Præſentis* liberationis reſpectu ſibi ſomniare videbantur, quatenus vix oculis fidere audebant, tanta erat ipſorum admiratio, tanta lætitia. Etſi prophetæ rem eam prædixerunt, pii etiam inter ipſos eam exſpectarunt, attamen vix præ rei difficultate eam certo ſibi promittere, & in eo ſecure acquieſcere audebant; &, cum res præſtaretur, præ vehemente deſiderio, vix credere potuerunt, rem ſeſe ita habere: plane eodem modo, quo Apoſtoli erga *reſurrectionem* Chriſti, licet a Domino ſæpe prædictam, adfecti fuerunt. Sed, cum dicunt, ſe *fuiſſe inſtar ſomniantium*, ſimul indicant, ſe vere quid de *ſomniantibus* habuiſſe, ſibi mox plura & majora pollicendo, & de ſtatu ſuo cogitando, quam rei veritas patiebatur. Uti ſomniantes, imaginatione deluſi, objecto cupito frui videntur, & eo delectari, licet ab eo longe abſint; quod *evigilantes* cum dolore experiuntur: ſic reduces lætabantur, acſi jam ſummam proſperitatem et ſtabilitatem rerum ſuarum eſſent conſecuti, a qua adhuc longe erant remoti; quemadmodum progreſſu temporis per ipſam experientiam didicerunt, & hoc ipſo tempore, quo ode compoſita eſt, experiebantur: quare comparatione inter præſentem ſuam conditionem triſtem, &

& exſpectationem, quam in initio reditus habuerant, inſtituta, diffiteri non poterant, ſe tunc a *ſomniantium* ſtatu non longe abfuiſſe. Quæ latius non exſequor; verbo addidiſſe contentus, emblema eodem fere ſenſu occurrere Jeſ. xxix: 8. ubi de hoſtibus, Hieroſolymam obſidentibus, habetur, *& futurum eſt, ut quemadmodum ſomniat famelicus, & ecce edit, ſed ubi expergiſcitur, ecce vacua eſt anima ejus;* &c. *ſic ſe habet multitudo militantium adverſus montem Tſionis.*

§. VII. 2. Pergit poeta ad ſomniantium opiniones, & voces enarrandas, quid initio de felicitate & proſperitate ſua ſenſerint, & quam præclara ſibi promiſerint, verſ. 2. in hæc verba, *Tunc* &c. Prius membrum declarat *lætitiam*, quam ex opinione de proſpero ſuo ſtatu conceperant, dein *exſpectationem* lætitiæ ſemper duraturæ: quam duplicem habet poteſtatem phraſis, *tunc implebatur*; & particula *tunc*, cum fut. conſtructa, præteritum involvit, & de fut. uſurpatur; utrumque hic locum tenet: *tunc implebatur*, *tunc* erat, & communes omnium voces ferebant, *implebitur;* quem ſenſum omnino habet membrum *poſterius*, *tunc, dicent inter gentes* &c. *tunc* in omnium noſtrorum ore erat, profecto inter *gentes dicent:* quando omnia facilia ſunt. Explicat poeta opinionem populi de ſumma proſperitate, qua mox mactarentur; cujus reſpectu gentibus in ore dat, magna Deus *præſtitit huic populo;* reſtituit non tantum captivum, ſed & in longe florentiore ſtatu collocavit, ac antea habuerat. Hoc cum inter *gentes* eſſe dicendum adſerit, eas intelligit *gentes*, ad quarum *notitiam* res Judæorum venirent, & ſimul innuit, illud ad quaſcunque gentes ex ſpe & opinione populi eſſe dimanaturum.

§. VIII. 3. Nec ſine omni fundamento talia ſibi pollicebantur reduces, cum Deus jam inceperat præclare cum populo agere, & populus *lætitia* erat perfuſus; unde mirum non eſt, eum tam præclara exſpectaſſe: quo tendit;

verſ. 3. *magna nobis præſtitit Jehova, & fuimus lætati.* h. e. nec ſine ratione tam præclare de ſtatu noſtro ſentire videbamur, tum quod Deus vere nobis magna præſtitiſſet, ſeu præſtare incepiſſet, unde *ſpem* conceperamus haud vanam, uti nobis videbatur, fore ut Deus mox talia præſtare pergeret; tum quod *cor noſtrum* præ *lætitia* exſultaret, omnibus curis & anxietatibus enodatum; cujus effectus eſſe ſolet, ſibi quævis bona *polliceri.* Nihil hic difficile.

§. IX. ב. Hac ſpe, quam inſtar ſomniantium conceperant, cum ſeſe aliqua ratione excidiſſe evigilantes experirentur, propter tenuem ſuam & periculi plenam conditionem præſentem; ſeſe ad preces conferunt, & ulteriorem rerum ſuarum inſtaurationem implorant, his verbis, verſ. 4—6. *Reduc Jehovah captivitatem noſtram; ſicut torrentes in auſtrali plaga: qui ſerunt lacrymantes, lætos inter clamores metant: qui itat cum fletu gerens tractum ſeminis; is veniat cum jubilo, mergites ſuos geſtans.* h. e. Pleniſſimam nos adeptos eſſe rerum noſtrarum inſtaurationem, falſo opinati fuimus in initio: quantum enim ab ea adhuc ſimus remoti, triſtis nos edocet experientia, cum ſimus inſtar plagæ auſtralis aridi & ſicci; & lacrymantes potius quam gaudentes rebus noſtris inſtaurandis incumbamus; haud ſecus ac qui inter lacrymas ſemina ſua projiciunt in terram, de futura meſſe incerti. Quo in ſtatu ad Te, Jehova! vi nominis tui Deus *verax*, qui fidem dictis præſtas, nos vertimus, teque ſupplices precamur, ut captivitatem noſtram altera vice reducas; ſumus enim manemusque *ſervi*, & captivi, licet in terras noſtras reducti, noſtraque conditio perſeverat eſſe miſera & deploranda; fac, ut nobis in hac ſiticuloſa terra oriantur *torrentes;* nosque *bonis* abundemus, & conſolatione fruamur: eveniat quæſo nobis, quod agricolis & ſatoribus accidere ſolet: qui, etſi lacrymantes ferant, tamen jubilantes *metunt*, manipulosque in horrea deferunt læti; ita & nos, qui inter *lamenta* & metus manus admovemus rebus inſtaurandis, fructum laborum

rum nostrorum carpamus uberrimum, & læti eo fruamur: imo spes est, ut illud nobis æque ac agricolis contingat; cum hæc tua sit mundum gubernandi ratio, ut post lacrymas veniat gaudium, labores præmio & mercede compensentur: quare & nos tanquam tristes satores metamus, imo *metemus* læti. Quæ emphasis est fut. temp. in verbis *metere*, & *venire* cum jubilo, uti enim in precibus *optative* sumitur, sic tacitam boni eventus *spem* comprehendit: quod verbo notasse sufficerit.

§. X. Paraphrasis, quam paulo prolixiorem dedi, nexum, scopum, ac sensum hujus pericopæ in tam clara luce collocavit, ut paucis defungi queam. Poeta, postquam lætitiam & spem populi in initio reditus explicuisset, censeri posset nimis abrupte ad *preces* se convertisse, cum de *præsenti* statu luctuoso sileat. Sed de eo, utpote quem omnes experiebantur, necesse non erat loqui; & abruptus ille transitus majorem habet emphasin, nobisque animum exhibet luctu oppressum quasi: præterea emblema *seminantium* illud jam innuerat, & seq. emblemata clarius adhuc indicant: eo enim manifeste collineant exempla *torrentium in austro*, & *serentium* inter lacrymas. Australis plaga, cum sit arida & sicca præ nimio calore & æstu, & sic *torrentibus* destituta, miserrimum præbet conspectum: nec nisi in spe bonæ messis solatium habent *satores*, qui omnia sua bona projiciunt, nec de *fructu* certi sunt. Haud absimilis erat Judæorum conditio sub dominio Persarum in initio: unde etiam *aridi* & *languentes* adpellantur, nec non *servi*, & *inopes*; qui felicitatem, haud secus ac viatores in austro *torrentes*, desiderabant & exspectabant; nec aliter laborabant quam *serentes* inter lacrymas, sola spe futuræ prosperitatis, tanquam messis, se *lactantes*.

§. XI. Emblemata, a rebus notissimis desumta, & stylo plano ac simplici proposita, nostram operam non requirunt. De *torrentibus* in *austro* vid. Job. VI: 15. nec res est ignota. In *serentium* & *metentium* emblemate nihil non

 planum;

planum; nisi quod phrasis *ferre tractum seminis* videri possit insolentior. Respicitur quidem in *tractu seminis* tum ad *sulcos* protractos & longos, tum ad sparsionem seminis, quæ *tractim* fit; sed *ferre tractum seminis* vix ferri potest: rectius legeretur *trahens* & spargens *semen*, uti Am. IX: 13. & verbum *ferens* ex seq. huc a librario translatum statueretur; quo LXX & Lat. confirmant. De *scopo* emblematum ex dictis facile constat. Tantum itaque de phrasi, *reduc captivitatem nostram*, uno verbo. Supra dixerant, *Deum reduxisse* captivitatem, hic denuo id precantur: unde manifestum est, phrasin nostro versu quidem ad eandem pertinere *reductionem*, sed ejus ulteriorem *perfectionem* comprehendere, non tantum respectu eorum, qui in exteris adhuc oris degebant, licet sua culpa ibi manerent, exilium patriis laribus præferentes, sed inprimis status adflicti, inopis & servilis, respectu, qui faciebat, ut vix pro *reductione* in patriam haberi posset: ea enim *reductio* ambitu suo complectebatur *libertatis* & pristinæ felicitatis restitutionem: quare rerum collapsarum instauratio hac eadem phrasi venire solet in Script. S. uti Job. XLII: 10. ubi Jehovah dicitur *reduxisse captivitatem Jobi*. h. e. infortunia ejus cum pristina prosperitate commutasse. Eodem sensu sumitur Ps. LXXXVI: 5. coll. vers. 1. qui Ps. nostro cantico respondet. Ceterum de precum exauditione & implemento non opus est dicam, cum nemini non ex historia notum sit, plenos *torrentes* Judæis esse concessos, & uberrimam *messem*, temporibus Maccab. quo etiam Ps. LXXXV. respicit.

PSALM.



PSALM. CXXVII.

1. *Canticum adſcenſionum, Salomonis. Niſi Jehova ædificaverit domum, fruſtra laboraverint ædificantes: niſi Jehova cuſtodiat urbem, in vanum vigilaverit cuſtos.*
2. *Vanitas vobis, qui mane ſurgitis, ſero quieſcitis, & cibum dolorum ſumitis! ſolidum dat dilecto ſuo in ſomno.*
3. *Ecce hæreditas Jehovæ* ſunt *filii, merces fructus ventris.*
4. *Quales ſagittæ in manu herois ſunt, tales filii juventutis.*
5. *Felicem virum! qui pharetram ſuam iis impleverit, neque pudeſient, quando cum inimicis in porta diſceptabunt.*

PROLEGOMENA.

§. I.

SApientiſſimus & ditiſſimus regum Salomo, poſteaquam & experientia & attenta conſideratione perſpexiſſet, nihil niſi vanum in vita & laboribus hominum reſidere: in hanc ſententiam tandem concludit, nihil melius eſſe homini in hac vita, quam curas & labores moderari, partis cum lætitia frui, & Deum timere, ejusque præcepta obſervare: quo, quicquid in libro Eccleſiaſtis diſceptatur, collineat. Similis fere argumenti & ſcopi cum hoc ſit

 canti-

canticum; nulla ratio est a Salomone, cui ejus compositionem attribuit inscriptio, discedendi: nec tutum fuerit, aut inscriptionem aliquam sine urgente ratione in dubium vocare, aut alium litteræ ל adfingere sensum, ac quo *auctorem* denotat; nisi omnes inscriptiones velis esse incertas. Deinde, si Psalmorum collectores ex ingenio & judicio suo *titulos* produxissent, nulla foret ratio, quare tot Psalmos sine titulo reliquissent. Sit itaque hoc canticum *Salomonis*, cujus genio & statui recte convenit, uti ex *Ecclesiaste*, quocum conferri potest, multisque similis argumenti *proverbiis*, patet.

§. II. Explicat itaque Salomo, ut argumentum cantici enarrem, falsam veramque viam domus & civitatis firmandæ & beandæ. Falsam docet esse eam, quæ in solis hominum laboribus & curis est sita, cum molimina hominum, nisi Deus faveat, vana sint, & homini inutilem adferant defatigationem. Huic opponit veram viam, & rationem, quæ minus habet curarum & laborum, & certiorem successum; *favorem* sc. & benedictionem Divinam; quæ dilectis Dei & bona suppeditat, & lætum eorum concedit usum, filios quoque familiarum præsidia & fulcra dat, tanquam pietatis præmium, secundum promissa Veteris Foederis; sub quo Salomo vixit, & cui hoc canticum in specie est accommodandum.

§. III. Scopus est, homines a nimiis laboribus & anxiis curis abstrahere, pietatem vero & fiduciam in Jehova inspirare. Quo canticum manifeste tendit. Cum enim homines, felicitatis & stabilitatis domus suæ cupidi, per propria molimina id adsequi non valeant, sed Divino indigeant favore, qui ad minores etiam labores bona sui timentibus distribuit; officium ipsorum erat, modum ponere laboribus & curis, Dei vero favorem quærere, vitam moresque ad ejus voluntatem componendo, & ei fidendo. De quo Ps. CXXVIII. ex professo agit, huic propterea aptissime subjunctus.

§. IV. Duæ

§. IV. Duæ sunt cantici partes, quarum *altera* falsum medium status firmandi, *altera* verum continet. *Prior*, vers. 1, 2. usque ad ultimum membrum, *posterior* inde usque ad finem: quæ facillima est analysis; cujus ratio sponte sua ex ipsa pertractatione elucescit.

ANACRISIS.

§. V. Ad quam antequam pergam; verbum de hypothesi Cantici exponendi est monendum. Interpretes in generale ejus argumentum, modo propositum, fere consentiunt, nisi quod aliqui hic de *Templo*, a Salomone condito, in specie cogitent, & de Hierosolyma; sed sine ratione; cum in genere de hominibus domum suam stabilire conantibus loquatur; nec vox *domus*, sine emphasi, aut epitheto, occurrens, ad Templum referri aut restringi potest. Sed hoc leve est. Longius abeunt ex Recentioribus illi, qui Psalmos passim cum Prophetiis confundunt, & ad Ecclesiam N. T. referunt. Illi opinantur, hic *ædificationem & propagationem Ecclesiæ adscribi soli Deo, & vanos labores hominum irrideri, sibi adsumentium gloriam Ecclesiæ ædificandæ.* Illis itaque *dilectus Dei* est Christus, *somnus*, ipsi datus, est *mors*, filii denique *juventutis* sunt *fideles*, quos Pater filio dat, qui illis tanquam sagittis utitur ad hostes Ecclesiæ debellandos. Somnia dicerem, nisi Interpretum auctoritas impediret; nunc hypothesin dicam nullo fundamento innixam; & a Cantico alienam. Domus in genere polita quomodo Ecclesia esse potest? Filii hic qua tales occurrunt, cum *fructus ventris* appellentur, vir, cujus illi sunt, prædicatur *beatus*, quia sine illis statum contra hostes tueri non posset: quod qua ratione in Christum quadret, non video. Denique cum Deus *dilecto suo somnium* dare, vel potius in *somno*, dicatur, quis hic de morte Christi

Christi cogitaret? Sed mittamus hæc, & in generali argumento, supra prolato, acquiescamus.

EXPLICATIO.

§. VI. *Prior* pars, quæ vanitatem laborum, qui sine auspiciis Dei suscipiuntur, demonstrat, ita sonat, vers. 1. 2. *Nisi Jehovah ædificaverit domum, frustra laborarint ædificantes: nisi Jehovah custodiat urbem, in vanum vigilarit custos. Vanitas vobis, qui mane surgitis, sero quiescitis, & cibum dolorum sumitis.* h. e. Frustraneus est, & optato successu carebit, omnis labor, quanta etiam cum sapientia, quantisque viribus, susceptus, quem homines familiæ aut civitati condendæ & firmandæ impendunt, ita ut in longum ævum prospere sese habeat: nisi Jehovah, Deus summus & bonus, velit, curet, & faveat. Quæ si vera sint, ut sunt verissima, puræ vanitati vos inservire necesse est, qui a primo mane usque ad longam vesperam vos defatigatis, vosque omni quiete & recreatione fraudatis, ut familiam, vel civitatem, quam prosperrimam & diuturnam reddatis, favore Dei neglecto, & legis ejus nulla habita ratione. Poeta, *α.* generalem thesin proponit, vers. 1. *β.* eam mox ad operatores illos, qui sibi & laboribus suis fidunt, adplicat, vers. 2.

§. VII. *α.* Thesis habet, irritum esse laborem, qui Deo nolente, vel non favente, suscipitur ab hominibus ad familiam, vel civitatem, condendam aut conservandam. Membra vers. 1. elegantiæ causa divisa ita cohærent, ut *condere* & *vigilare* ad *domum* æque ac civitatem pertineant: quo nihil in stylo poetico & prophetico est usitatius. Apte conjunguntur *domus* & *urbs*, quia hæc ex domibus constat; nec altera sine altera esse, aut florere, queat, ubi homines in societates coiverunt. Quod clarius evadet, cum observavero, hic non tam de *domibus* & *urbibus*, quam

quam de *familiis* & *civitatibus* agi, tum quod hominum cura & labor circa has inprimis verſetur, tum quod in ſeq., ubi de *pluribus*, tanquam fulcris domus, loquitur poeta, hoc clare indicetur. Robur addit uſitatus loquendi modus in Script. S., quo *domus* non tantum pro *familia* frequentiſſime ſumitur, ſed *ædificare domum*, ubi de Deo uſurpatur, numeroſam & in longam ætatem durantem familiam concedere denotat: uti Exod. I: 21. ubi Deus Iſraelitis feciſſe dicitur *domos*, ſeu numeroſam ſobolem. 2 Sam. VII: 11. Deus Davidi promittit, ſe ei *domum facturum*, ſeu ſemen in longam poſteritatem, quod mox verſ. 27. *ædificare domum* appellatur. Ita Ruth. IV: 11. Lea & Rachel dicuntur ædificaſſe *domum Iſraelis*, ſeu peperiſſe liberos, per quos familia ejus eſt conſtituta & propagata. Deut. XXV: 9. *ſic fiat viro, qui non ædificaverit domum fratris ejus*, 1 Sam. II: 35. *Suſcitabo mibi ſacerdotem fidelem, & ædificabo ei domum ſtabilem*, Prov. XIV: 1. *Sapiens mulier aedificat domum ſuam.* h. e. familiæ proſpiciet, et educandis liberis in ſpem familiæ operam dabit.

§. VIII. Loquitur nunc de *domo condenda* et *civitate conſervanda;* et adfirmat, ei operi fruſtra inſudare homines, ſi Deus non faverit. *Domus* ædificatur, *a.* per *liberos*, qui familiam conſtituunt, *b.* per *opes*, quibus ſuſtentatur, *c.* per *dignitates*, quibus illuſtris evadit. Quæ ſi ſint copioſa et ſtabilia, diu duratura, domus *firmiter* ædificatur et *conſervatur*: quæ faciles habent explicatus. Quæ ſi ad *civitatem* transferantur, comprehendent, *a.* plures familias in unum corpus redactas, *b.* certis legibus devinctas, *c.* potentia et opibus munitas, et proſperas: quæ quoque non ſunt difficilia. Quare ad *propoſitionem* poetæ pergamus, quæ habet, *ædificatores domus* & *cuſtodes* urbis operam ludere, niſi Divinus favor ſuccurrat. *Aedificatores* ſunt *parentes* familiarum reſpectu, ſed civitatis, *conditores* urbium, qui *ſocietates* fundant, & in certas leges coire faciunt. *Cuſtodes* in familiis ſunt omnes, qui ei proſpiciendæ & ſuſtentandæ

operam dant, in civitatibus quotquot rei publicæ præsunt, & bono civitatis invigilant; cum allusione ad *vigiles*, qui in custodia positi ad *mala* avertenda, & urbem conservandam intenti sunt. *Custos*, sive exempli causa nominetur, sive metaphorice sumatur, omnes eos comprehendit, qui pervigili cura bonum publicum procurant. Horum omnium, sive conditorum, sive custodum, *inanes* cum dicit esse *labores* & *curas*, nisi Deus iis adsit, non ea poetæ mens est, *labores* esse plane inutiles & minus necessarios; cum non absolute, sed restricte loquatur; inanes esse dicens, si Deus iis non adspiret; nec Deus *sine mediis*, aut *causis* secundis, mundum administrat: quod est tralaticium. Requirit poeta labores, curas & vigilias; sed ea omnia *sola* non sufficere adserit, contra, *sola* si sint, ea declarat *inania* & *irrita*, h. e. optato carere successu; nec producere *effectum*, cui destinata sunt, multo minus *durabilem* effectum. Utrumque *denotat vox* שוא, cujus proprietas videtur, secundum Cl. Schultens *a*, in *vaga* & *vana instabilitate* esse sita, opposite ad *firmitatem* ac *veritatem*; sed forte rectius, quæ Cl. Schroederi est observatio, in *tremulo motu*, quo quid *micat*; unde vanitatis notio, quæ *micantem* quidem habet speciem, sed nihil *solidi*; quare vers. 2. ei *firmum* & *solidum* opponitur, ut puto. Inde ad quodvis *malum*, qua morale, qua physicum, transfertur: utique comprehendit etiam *infortunia*, *ærumnas* & *calamitates*, ut Job. VII: 3. Ps. LXXXIX: 48., quæ notio hic non est excludenda.

§. IX. Sed quæ ratio irriti *effectus*? vel quid deest *moliminibus* humanis, quare in vanum recidunt? supremus & *ædificator* & *custos*; qui nisi ædificaverit domum, & urbem *custodierit*; nihil proficient vires & labores hominum. Ita enim poeta adfirmat, *nisi Deus* &c: h. e. nisi & permittat, & curet, seu faveat: *a*. Deo *nolente* nihil effici poterit, &, si quid effici sinat, mox destruetur; uti per se clarum

a Ad Job. XV: 31.

ctarum est; cum omnia sint in ipsius manu, ipsique mille suppetant media & modi, quibus opus in nihilum redigitur: quod explicatione non indiget. *b.* Sed plus requiritur quam nuda permissio, si operi responsurus sit effectus: oportet Dei cura, favor & benedictio, accedat, non ea tantum cura, qua omnia conservat, & omnibus vires sufficit ad agendum, nam & sine ea ne operari quidem possunt ædificatores, nec vigilare custodes, quod tamen hic ponitur, sed specialis favor & benedictio, qua Deus efficit, ut familiæ condantur, conditæ floreant, & diu vigeant: tum mala & incommoda benigne avertendo, tum bona ut abunde adfluant, curando, tum ut ædificatores & custodes cuncta prudenter agant efficiendo, tum denique omnia status præsidia abunde suppeditando, &c.

§. X. Hæc si vera sit thesis, ut est verissima, in relatione Dei, ut rectoris mundi, & hominum ab eo dependentium, nec non in foedere Dei cum Israele fundata; & mille ac mille exemplis comprobata; vanitati oportet ii inserviant, qui sine Deo ad talia opera sese adcingunt: quare poeta, hac hypothesi jacta, orationem ad eos vertit, eamque vanitatem ipsis denunciat, vers. 2. *Vanitas vobis* &c. In verbis nihil difficile; tantum observetur, 1. phrasin *tardare sedere*, vel *quiescere*, hic non esse *diu sedere*, acsi de iis agatur, qui *sellam* laborum insident, sed *sessionem* diu differre; ut ex præced. membro, & ipsa phrasi, manifestum est. *Surgere* & *sedere* sibi opposita sunt, ut *laborare* & *quiescere*, sic *matutinare* surgere & *tardare* quiescere designat mature capessere labores, & sero deponere; adeoque a primo mane ad ultimam vesperam, ut vix *quieti* tempus supersit. Vid. Ps. cix. 23. 2. *Panem dolorum comedere* est, ut equidem opinor, nihil aliud ac magna cum *sollicitudine*, & anxias multas inter curas, quæ animum *cruciant*, & constringunt, vesci, ut solent homines avari, qui bonis corradendis inhiantes se fere inedia macerant, & non nisi anxie quid consumunt: egregie hanc in rem Prov. x: 22.

benedictio Jehovae ditat, nec secum adfert cruciatum, seu animi *constrictionem;* h. e. liberum ac copiosum concedit usum; secus ac avari, qui suis sudoribus divitias congregant, facere solent. Vid. hac de re Eccles. IV. 8. VI: 2. & alibi. Radix proprie significat *firmiter vinxit*, *arctius strinxit a.* Unde ad curas, anxietates & sollicitudines, transfertur.

§. XI. Intelliguntur itaque homines *a. avari* & *ambitiosi*, qui nil nisi opes & honores in animo, & oculis, habent. *b.* suis consiliis & laboribus unice fidunt, & ab iis, nulla Dei, ejusque favoris, aut legis habita ratione, cuncta exspectant. *c.* adeoque rei familiari aut publicæ toti intenti sibi nec somnum aut quietem fere concedunt, nec liberalem bonorum usum, contra, multis curis & sollicitudinibus se continuo macerant. Hos, & horum similes, *vanitati* incumbere, pronuntiat Salomo, tum, quod ipsi laborum fructu careant, quiete, tranquillitate, & usu bonorum sese frustrantes, multisque curis compungentes, tum quod domos suas perennes reddere nequeant, sive liberis destituantur, sive liberi sint perversæ indolis, & malæ frugis, sive familiæ aut brevi dispereant, aut malis & infortuniis justo Dei judicio tradantur.

§. XII. Huic perversæ viæ familiæ condendæ & conservandæ opponit veram, quæ *piorum* est, et in *favore* Dei sita, vers. 2. fin., 3—5. his verbis, *solidum dabit dilecto suo in somno. Ecce haereditas Jehovae sunt Filii, merces fructus ventris: quales sagittae in manu herois sunt, tales filii juventutis: felicem virum! qui pharetram suam iis impleverit, neque pudifient, quando disceptabunt cum inimicis in porta.* h. e. Longe aliter agetur cum dilectis Dei, et ipsius amantibus; quippe quibus stabilem et perenniorem ædificaturus est domum, absque ut illi aut laboribus, aut curis, se necesse habeant consumere; dabit iis rem solidam quasi in somno: idque in pietatis ipsorum præmium, vi foede-ris

a Schultens Defect. §. 154.

ris cum ipsis erecti. Sunt enim filii *haereditas* Dei, sive bonum, quod ipsis a Deo foederato, & benigno Patre, contingit; adeoque præmia virtutis: nec qualescunque liberos ipsis dabit Deus, sed qui domum tutari & firmare possunt, vera familiæ fulcra & præsidia, quibus domus tuta redditur, & inconcussa: filios inquam virtutis plenos & fortis animi, haud absimiles *sagittis* a fortissima manu vibratis, quibus resisti nequit. Tales si familia habeat præsides & defensores, nihil sibi metuendum habebit ab hostibus & iniquis judicibus; sed oppressiones a se arcebunt & auctoritate & fortitudine sua. Hunc virum, quem Deus hoc beneficio coronat, merito dixerim felicem; quippe firmissimo præsidio cinctum, oppressionibus superiorem.

§. XIII. Pericopa *α.* thesin proponit, vers. 2. *β.* illam confirmat & illustrat, vers. 3—5. *α. Thesis* est, *solidum dabit dilecto suo in somno*, sc. Deus. h. e. perennem & firmam domum dilectis suis concedet Deus sine multo ipsorum labore aut cura. Vocula כן, quæ particulæ solet habere usum, quem & hic retinent Interpretes, sive *sic*, sive *utique*, *profecto*, vertant, hic nominis habet potestatem, quæ propria est & prima, unde in particulam degeneravit. Ita de domo sua loquens David, 2 Sam. XXIII: 5. negat illam esse לא·כן, seu *non firmam*; videtur enim interrogative capiendus locus. Sic & alibi denotat *verum* & *rectum* Ex. X: 29. 2 Reg. XVII: 9. Jes. XVI: 6. Est itaque elegans oppositio inter שוא & כן. quemadmodum inter anxios & continuos labores hominum Deo non fidentium, & inter *somnum* dilectorum Dei: quibus Deus daturus est *in somno*, ut vox est reddenda, h. e. quasi in somno; seu sine multis laboribus & curis. Locutio videtur esse proverbialis, cujus & apud Gr. & alios populos vestigia deprehenduntur. Nec omnis, sed nimius & anxius labor hic excluditur; præterea insinuatur, piis nonnunquam nec opinantibus ea bona contingere; ita ut ad eos agmine q. facto sponte con-

currere videantur. Sed qui illi sunt, quos Deus illo favore mactat? veniunt nomine *dilecti Dei*, in sing. sed collective pro dilectis sumendo: licet posset esse, ut Salomo se ipsum in oculis habuerit, tanquam illustre exemplum; unde pii colligere poterant, quanta benevolentia Deus pietatem prosequatur. Salomo sicut in *somno* promissum accepit, ita κατ' ἐξοχὴν nomen *dilecti Dei* tulit 2 Sam. XII: 24, 25. Sed quo & *pii* in genere veniunt, ut Ps. CVIII: 7. Deut. XXXIII: 12. nec immerito, cum Deus *amantes* sui *amet*, & *amantes* Jehovæ sint, qui legem Dei observant, quorum summa est *amor Dei* ex *toto corde*. &c. Sic in Decalogo promisit, se benefacturum in mille *generationes amantibus sui*. Ex. XX. ubi *amantes Dei* & *observantes præcepta* ejus alternantur.

§. XIV. *β*. In thesi illustranda, *a*. Masculæ sobolis, sed virtutis plenæ, originem & causam demonstrat, vers. 3, 4. *b*. In ea domus esse fulcrum & tutamen quærendum, arguit, vers. 5. *a*. Cum domus sine liberis firma & perennis esse nequeat, & modo dixisset, Deum illam stabilitatem concedere dilectis suis; apte ad thesin confirmandam subjungit, filios probos & strenuos esse beneficium, quod Deus ex foedere in præmium pietatis dispensat: quod vers. 3. proponit, dein vers. 4. respectu qualitatum filiorum explicat. Vers. 3. habet, *filios* & *fructum ventris*, seu filios naturali lege nasci solitos, (ne quis hic mysticum sensum captaret, additur *fructus ventris*) esse *hæreditatem Jehovæ* & *mercedem*. h. e. mercedem foederalem, vel testamentariam; bonum, quod vi foederis datur in præmium observantiæ legis. *Hæreditas* & *merces* conjunguntur, ut se invicem explicent, & verum conspectum hujus boni præbeant. *Merces* adpellatur, ut de conditione prævia cogitaremus, quæ est observantia legis & studium pietatis, sed *hæreditas*, ne *mercedem*, quæ gratiam excludit, intelligamus: adeoque *merces* intelligitur *gratuita*, qualis est *foederalis* & *testamentaria*. Sensus ergo est, filios, licet naturæ

turæ


turæ lege natos, a Deo concedi in pietatis remunerationem, vi foederis & testamenti. Respicitur ad promissum foederis Sin. de longævitate & longa posteritate eorum ex Abrahamidis, qui foederis conditionibus stetissent.

§. XV. Sed, quæ *hæreditas* Dei, & *merces* dicenda est, posteritas non qualescunque comprehendit filios, verum *strenuos* & *virtutis plenos;* bonam & laudabilem sobolem; quæ de favore Dei erga familiam alicujus testari potest; quo tendit, quod poeta vers. 4. habet; *quales sagittæ in manu herois, tales sunt filii juventutis* sc. quos Jehova tanquam hæreditatem & mercedem donat: quæ verba ex vers. super. sunt supplenda; sine quibus oratio nec cohæret, nec faciles admittit explicatus. Comparatio inter *filios juventutis*, cum in flore ætatis genitos a parentibus, opposite ad *filios senectutis*, tum in *flore* ætatis positos, & *sagittas*, easque non *jacentes*, sed in manu jaculatoris, non qualiscunque, sed *herois*, adeoque *sagittas* ad feriendum paratas & instructas, quibus nihil resistere potest; eo simpliciter tendit, ut bonæ & laudabiles qualitates filiorum ob oculos ponantur; & in specie tales, quæ filios reddunt domus *praesidia firma:* ne hic de ignavis, fatuis, rem familiarem aut dissipantibus, aut prodentibus, cogitaremus, sed filios strenuos, diligentes, ad domum tutandam aptos & paratos, virtutis plenos, & pietatis studiosos, intelligeremus. *Sagittae in manu herois* sunt, *a. unitae* inter se, *b.* penetrantissimæ & irrisistibiles. Aliud mysterium in heroa non est quærendum.

§. XVI. *b.* Quare hoc in primis emblemate utatur poeta, vers. 5. exponit: ubi *felicem praedicat virum talibus sagittis* instructam domum habentem; ratione addita, quod per tales filios domus constituatur tuta ab oppressoribus & oppressionibus. Huc enim tendit, quod dicitur; non *pudefient, quando disceptabunt cum inimicis in porta.* h. e. nemo eos audebit, nemo eos poterit, opprimere; tanta eorum erit auctoritas, tanta virtus: adeoque domum tutabuntur

&

& in tuto collocabunt. Reſpicitur tum ad tribunalia, in portis erigi ſolita, tum ad frequentes oppreſſiones, de quibus ipſe Salomo in Eccleſ. & Proverb. ſæpe conqueritur. Hic cum filios non eſſe *pudefiendos* adſeritur, ſenſus eſt, nec juſte nec injuſte cauſa caſuros; non *juſte*, quia virtutis tenacibus nihil ipſis imputari ex vero poterit, quod domus aut bonorum ruinam ſecum traheret, non *injuſte*, quia tantis pollerent viribus, ut hoſtium inſultibus & machinationibus eſſent ſuperiores: merito ergo *felicem* domum, talibus præſidiis munitam!



PSALM.



PSALM. CXXVIII.

1. *Canticum adscensionum. Beatum omnem timentem Jebovae! qui in viis ejus incedit.*
2. *Laborem manuum tuarum quia comedes, beate tibi & bene tibi* sit.
3. *Uxor tua sicut vitis frugifera intra domum tuam* sit, *filii tui instar olearum novellarum circa mensam tuam* sint.
4. *Ecce profecto sic benedicetur viro, Jebovam timenti.*
5. *Benedicat tibi Jebova e Tsione, & bonum Hierosolymae videas omnibus vitae tuae diebus.*
6. *Videasque filios filiorum tuorum. Pax sit Israeli!*

PROLEGOMENA.

§. I.

Argumentum *cantici*, cujus auctor in obscuro latet, non tam est beatorum fructuum *timoris* Dei & *pietatis* recensio, & demonstratio, quam *nuptiarum* benedictio, qua conjugibus quævis felicia hoc fundamento voventur, quod *pietatis* hoc sit præmium: quemadmodum non tantum ex persona secunda patet, qua poeta, post generalem thesin in persona tertia propositam, mox utitur, vers. 2. sed ex eo inprimis firmatur, quod duo postremi versus *benedictionem* & *adprecationem* manifeste comprehen-

dant. Generali thesi, ut argumentum paulo plenius ob oculos ponam, loco fundamenti, jacta, vers. 1., quae *beatum praedicat timentem Jehovae*, qualiscunque sit, sine discrimine: oratio votiva mox vertitur ad certam personam; qua ipsi, utpote *timenti Jehovae*, & sub ea conditione, vovetur, ut labor manuum ipsi feliciter succedat, & eo laete utatur, fruatur; uxori concedatur mira *fertilitas*, multaque ex ea nascatur soboles, eaque virens vegeta, & bonae frugis, vers. 2, 3. Quando generalis thesis repetitur cum majore adseveratione vers. 4. certo certius talem virum benedictione divina gavisurum esse, eaque thesi nova & directa benedictio superstruitur, vers. 5, 6., qua poeta ipsi adprecatur, ut Jehova, qui Tsione sedem habet, & ibi colitur, verus Israelis Deus, in ipsum ea conferat bona, quae foedus Deum inter & Tsionitas promittit, ipse gaudeat diu *beneficiis* Hierosolymae factis, videatque denique longam posteritatem. Quam adprecationem claudit votum *pacis super Israele*.

§. II. Duae ergo sunt *generales* cantici partes, quarum altera est alterius repetitio & confirmatio: utraque *praemittit* eandem *thesin generalem*, bene esse viro, cujuscunque sit ordinis aut status, qui Deum secundum praescriptum ejus sincere colit: cui thesi innititur *benedictio*, quam utraque pars complectitur; sed prior *bona*, quae voventur, praecipue continet, posterior addit *causam* in benedictione Dei sitam. *Prior* pars tres priores, & *posterior* tres posteriores versus implet; quae facillima est divisio.

ANACRISIS.

§. III. Circa duo quaesita, a quibus cantici intellectus pendet, scinduntur Interpretes: alterum est, num corporea & temporalia bona, an *spiritualia* & *aeterna* intelligantur? alterum, num omnibus Ecclesiae temporibus haec

pieta-

pietatis præmia distribuantur, an *certum* tempus hic intendatur? Quod ad *prius* attinet: equidem non negaverim nomine *beatitatis* & *benedictionis* ex Tsione spiritualia comprehendi bona, sed ita ut, quemadmodum in promissis foederis Sinaitici, terrestria directe & primo loco, coelestia indirecte & mystice. Utique bona hic expresse memorantur terrestria, ut *laborem manuum comedere*, videre nepotes suos, foecunditas uxoris, & sobolis læta seges: quæ non nisi violenter ad spiritualia rapiuntur. Deinde fructus eorum bonorum ad hujus vitæ terminos restringitur, vers. 5. cum *coelestia* sint *æterna*. Denique *bonum Hierosolymae* videre, nos ad pacem, abundantiam, & prosperitatem metropolios regni Israelitici ducit. Ergo primo & directe intelligamus externa bona, quæ Deus ex foedere Sin., quâ externo & litterali, distribuebat Israelitis, foedus observantibus, quæque erant seminis multiplicatio, & proventuum Cananææ lætus & pacificus usus. Deinde illa bona consideremus, cum favore Dei juncta, ex eo orta, & de eo testantia: denique tanquam signa & pignora coelestium ac spiritualium ea contemplemur, respectu eorum ex populo, qui externi non tantum, sed & gratiæ foederis interni leges observarent. Qua ratione si instituamus, & proprietatem sermonis retinebimus, & de emphasi vocum *beatitatis* & *benedictionis* nihil detrahetur.

§. IV. Quod ad *alterum* quæsitum de *tempore*, cui hæc benedictio convenit, attinet: illud in genere adfirmare mihi posse videor, Veteris oeconomiæ limites hic non esse transiliendos, tum quod externa promissa ei sint alligata, tum quod benedictio ex Tsione, bonum Hierosol., pax super Israele, cogitationes defigant in veterem oeconomiam; nisi gravis ratio obstet, quæ hic nulla est. Nullum enim N. T. occurrit criterium, multo minus status gloriosi in fine temporum; de quo non nemo cogitat. Sed illud in disquisitionem mitti posset, conveniatne canticum in omnia æque tempora V. T., an in *certum* tempus rectius? &

quale tunc? Qui animum ad illud adverterit, facili negotio perſpiciet, tempus hic præſupponi, in quo Reſp. Iſraelitica non tantum obtinebat, ſed & florebat, pace & proſperitate gaviſa, ut vel ex phraſi, *frui bono Hierosol.* videre eſt. Tempus innuitur, quo piis licebat labore manuum ſine metu frui; quo ſingularis obtinebat *foecunditas*, & populi multiplicatio. Quæ faciunt, ut, ſi Salomo non fuerit auctor, quod non eſt inprobabile, maxime cum hujus & ſuperioris cantici ſit magna convenientia, nullum tempus cantici argumento cenſuerim accommodatius, ſi a Salomonis diſceſſeris, quam quo poſt perſecutionem Epiphanicam, & rerum omnium inſtaurationem, Judæi alta pace & ſumma proſperitate gaviſi ſunt; in primis ſub Johanne Hyrcano. Vid. Zach. VIII. & conf. *hiſtoria Maccabaica.* Mihi verbo tetigiſſe ſuffecerit.

§. V. Ergo, ut tandem concludam, prope abſum ab ea opinione, quæ hoc canticum habet eſſe λόγον ἐπιθαλάμιον, *ſcriptum in laudem, doctrinam & conſolationem eorum, qui verſantur in conjugio, aut id vitae genus ingreſſuri ſunt:* quæ verba ſunt *Molleri;* vel potius canticum inſerviiſſe cenſuerim *benedictioni nuptiali*, qua nuptiæ initiabantur, & novis nuptis quævis felicia vovebantur. Si de ritibus *nuptialibus* antiquis quid accuratius conſtaret; forte ſpecialius hic quid definiri poſſet. Sit itaque, quod hic ſuffecerit, *benedictionis* formula, qua novis nuptis, vel ſponſis, benedici poterat, vel ſolebat. Huc enim omnia nos vocant; ut ex ſeq. tractatione eluceſcet.

EXPLICATIO.

§. VI. *Theſis* generalis, quæ priori parti tanquam fundamentum ſubſternitur, ita habet, verſ. I. *Beatum omnem timentem Jehovae, qui in viis ejus incedit!* h. e. Sicut notiſſima, ita certiſſima eſt veritas, in Dei natura & ejus relationi-

tionibus ad homines fundata, multisque modis comprobata, eum, qualiscunque ſit, in quocunque ſtatu aut conditione poſitus, felicem & beatum dicendum & prædicandum eſſe, qui Dei, qui ſeſe Iſraeli revelavit, ducitur *reverentia*, eamque in actionibus ſuis, voluntati & virtutibus Dei convenienter inſtituendis, conſtanter demonſtrat, & explicat. Theſis eſt, ut univerſalis vocula *omnis* extra dubium collocat, generalis, quæ nullam patitur exceptionem, nullam reſtrictionem; inſolubilem nexum complexa inter *timorem* Jehovæ, ipſo facto comprobatum, & *felicitatem;* quam per conſequens omnes, hiſce qualitatibus præditi, ſibi adplicare poſſunt & debent; cujuscunque ſint loci & ſtatus, ſive Judæi, ſive gentiles, ſive nupti ſive innupti, ſive liberi ſive ſervi, divites pauperes, publicæ privatæ perſonæ. Nullo cum ſtatu externo vera felicitas eſt conjuncta, ſed ea ab amore & timore Jehovæ, Dei Iſraelis, ſola & tota dependet, in hac vita & poſt eam. Nec mirum; cum ſine favore & benedictione Dei nulla vera felicitas, ſine timore Dei nullus ejus favor ſit; ſed ſicut, cui Deus benedicit, is non poteſt non eſſe beatus, ita qui ipſum vere & ſincere *timet*, non poteſt non ejus favore frui; tum quod Deus *amet* ſui amantes, utpote fini, quem in homine creando intendit, reſpondentes, & perfectionum ac virtutum ſuarum ſpecula & adoratores, ac præcones! tum quod Deus per *promiſſa*, cultoribus ſuis facta, ſe ſponte obſtrinxerit; quæ non poteſt non, cum ſit *Jehova*, Deus verax, præſtare.

§. VII. Cæterum quid per *beatitatem* intelligatur, quid ſit *Jehovam timere, & in viis ejus concedere*, cum nemini non notum ſit, verbo abſolvam. *Timentes Jehovæ* mihi ſunt, qui ipſum pro vero & ſummo Deo, rectore & judice ſupremo univerſi, omnisque boni largitore liberaliſſimo, agnoſcentes, eo erga ipſum adfecti ſunt animo, quem illa Dei *gloria* requirit, & *fides* in Deum producit, ſi ſit ſincera & vera; adeoque qui Majeſtatem ejus ſub-

misse adorant, judicia ejus metuunt, ipsum offendere vereantur, ejus gloriæ & voluntatis rationem submisse habent in omnibus actionibus. Verbo, sunt, qui Deum amant, ut superiorem, ut Dominum, ut judicem, salutisque autorem. *Timor* enim non excludit amorem, sed involvit, verum *amoris* nonnullas qualitates exprimit; nec enim est *timor servilis*, verum *filialis*, non coactus, sed spontaneus & lubentissimus, qualem creatura debet creatori, filius Patri, subditus Domino. Cujus *timoris* character & effectus est, *in viis Jehovæ incedere.* h. e. actiones, per quas, continuo exercitas, homo ad scopum suum tendit, quare sub figura *ambulationis* veniunt, actiones, inquam, suas virtutibus & legibus Dei conformes præstare; ita ut tum eas *virtutes*, secundum quas, ut normam suam, Deus mundum regit, & ipse incedit, exprimat in vita sua, tum *leges*, a Deo latas, observet debito modo. Utrumque per *vias* Dei significatur; quippe quæ & *normam* agendi, quam Deus observat, sive virtutes sanctitatis, justitiæ, bonitatis comprehendunt, ut Exod. XXXIII & XXXIV. & *præcepta*, hominibus per solennem legislationem, qualis Israelitis contigit, data, quæ *viarum* Dei nomine passim veniunt, tum quod a Deo præscripta sunt, tum quod Deus secundum ea, vel observata, vel neglecta, populum suum judicat. Cæterum *timor Jehovæ* & *vias* ejus *tenere* conjunguntur, quia alterum sine altero consistere nequit; *timor* Jehovæ rectus non est, si *viæ* Dei negligantur, nec *hæ* observari possunt, ita ut Deus in eo acquiescat, nisi Dei habeatur respectus, & ex principio *timoris* Jehovæ oriantur. Nihil hic quidem expresse de *fide*; sed ea præsupponitur, cum *impossibile* sit, Deo *sine fide placere; qui enim ad Deum accedit, credere debet, ipsum esse, & esse remuneratorem quærentium se.* Heb. XI. Denique *beatitas*, quæ omnibus Dei ita *timentibus* attribuitur, *terrestria* & *coelestra* bona comprehendit; cum vox generalis sit, & amplæ potestatis; quæ, nisi aliunde restringatur, omnem beatitatem involvit.

vit. Hic tamen primo & directe *terrestris* felicitas, sed cum *favore* Dei conjuncta, ut vox *benedictionis* indicat, & ipsa vox *beatitatis* continet, intelligitur: ut ex seq. manifestum est.

§. VIII. Hoc fundamento jacto, poeta sermonem vertit ad virum aliquem, quem præsupponit Jehovam timere; eique *beatitatem* illam adprecatur, tum respectu prosperitatis, tum felicis sobolis, ex foecunda matre nascituræ. De *priore* vers. 2. in hæc verba loquitur. *Laborem manuum tuarum quia comedes, beate tibi, bene tibi*; sc. sit. Etsi dubium mihi non sit, quin *votiva* sit oratio; nonnihil tamen difficultatis residet in constructione, *quia comedes*; si vocula כי non ex fine præcedentis vocis irrepserit, cum LXX non legerint. Varia illud expediendi via patet, quam aperiam. Versio data si retineatur, emphasis statuenda est, non in *comedere*, sed *labore manuum*, & *laborem manuum comedere* officium continebit homini injunctum; hoc sensu: quia, vel cum, tibi laborandum sit, & victus manibus comparandus; cedat tibi hoc *feliciter* & *pulchre*, sive, labor manuum cum tibi sit comedendus, id tibi contingat, ut eum laborem ipse læte comedas. Hac ratione digitus intendetur ad id, quod *Adamo* injunctum est, Gen. III. & a Judæis, maximam partem *Agricolis* &c. exerceri solebat. At enim, cum phrasis, *laborem manuum comedere*, passim pro bono, & benedictione, occurrat; opposite ad maledictionem, qua ipse *laborare*; alius *labore manuum* ejus *vesci*, dicitur, secundum eam potestatem reddi possunt verba, *laborem manuum tuarum ut mihi comedas; beate tibi & bene tibi sit.* Scilicet vocula כי, ex כ & י conflata, idem est ac ὡς μοι *ut*, *sicut*, *mihi*; *mihi* cum emphasi superflua: quo sensu vehementiorem *adseverationem* continet, & *utique profecto* æquipollet. Ergo, *ut mihi comedas*, est, cum aliqua fiducia tibi voveo, ut *laborem manuum comedas* & *prosperrime agas*. Vid. de ea voculæ כי potestate Cl. Schultens *a* &

a Ad Job. I: 5.

& de *adseverandi* Jes. xv: 1. xlix: 18, 19. ut Gen. iv: 23. 24. & alibi. Votum itaque, quicquid de interpretatione sit, pro hypothesi quidem habet *laborem manuum*, sed continet prosperum ejus successum, & bonorum, ita partorum, lætum & jucundum *usum*; ita ut ipse fruatur *labore* suo, seu laboris fructus carpat, & ipsi in eo *bene* sit, seu læte vivat, secure & pacifice degat; bonaque cum conscientia, ab anxiis curis liber.

§. IX. *Familiæ* respectu vovetur huic viro, ut foecunda sit ejus uxor, & læta liberorum seges ipsi nascatur, vers. 3. *Uxor tua sicut vitis frugifera intra domum tuam sit; filii tui instar olearum novellarum circa mensam tuam.* h. e. Uxor tua Te foecunditate sua exhilaret, & filii tui floreant vigeantque in conspectu tuo. Nihil hic difficilis; cum *vitis* & *olearum novellarum* emblemata, ad *uxoris* fertilitatem & prolem inde natam, in spem parentum educandam, quæ *lætitiae* & *jucunditatis* plenissimam præbet materiam, expingendam sint propinqua, nec longe arcessita, nec difficilia intellectu. Quare illud unum observo, cum uxor dicitur *vitis in lateribus domus*, & filii *oleae novellae circa mensam*, voces, in *lateribus domus* & *circa mensam*, non ad *vitis* & *olearum* emblemata esse referenda; ut multi faciunt, qui propterea se implicarunt, & fatigarunt; sed ad *uxorem* & *filios*: illa dicitur in *lateribus domus*, seu intra domum se *vitem* præstare, hi *circa mensam* sese ostentare instar *novellarum olearum*. Uxor *lateribus* domus inclusa repræsentatur, ut bonæ *matris familias* & *uxoris* character exprimatur, & mulier οἰκουρὸς, & *domiseda* ob oculos ponatur. *Filii* circa *mensam* collocantur, ut florens vigensque eorum status, nec non felix & pacifica *domus* conditio, insinuaretur.

§. X. Altera cantici pars, quæ prioris est haud inanis & superflua, sed emphatica repetitio, non sine insigni varietate, eodem modo decurrit. *Thesis* eadem repetitur & confirmatur vers. 4., eaque nova superstruitur benedi-

ctio,


ctio, verſ. 5. 6. *Theſis*, verſ. 4. ita ſonat. *Ecce profecto ſic benedicetur viro Jehovae timenti.* ſc. omni viro ſine diſcrimine, ut eſt verſ. 1. Voculæ *ecce profecto*, id enim כי hoc etiam verſu deſignat, theſi confirmandæ, & fortius adſtringendæ, inſerviunt. Verbum *benedicere* nos ad fontem *felicitatis*, verſ. 1. memoratæ, ducit, in ſola Dei *benedictione* ſitum. Denique particula *ſic* emphaſi non caret, ſive ad præcedentia, ſive ſequentia reſpiciat. *Priore* modo ſi capiatur, *ſic* dicet ea ratione, quam modo memoravi, *benedicetur*, illa bona a favore Dei conſequetur: poſteriore modo ſignificare poteſt *formulam benedictionis*, ut ſit benedictio Jehovæ ſuper ipſo hac *formula* pronunciabitur; *benedicat Tibi Jehova ex Tſione.* &c. Utraque poteſtas conjungi poteſt.

§. XI. Ipſa Benedictio ita habet, verſ. 5, 6. *Benedicat Tibi Jehova ex Tſione, & bonum Hieroſolymæ videas omnibus vitæ tuæ diebus: Filios filiorum tuorum videas. Pax ſit Israeli!* Offert ſeſe nobis hic, 1. Auctor & fons bonorum, quæ ſupra voverat novis nuptis, *Jehova, ejusque benedictio ex Tſione*, ſcilicet ſede figurata Majeſtatis, ubi ſeſe externo ſymbolo præſentem demonſtrabat, ubi externis ritibus colebatur, & a quo loco tum Deus Israelis, tum veri Israelitæ foedere Deo juncti, denominabantur. Significatur itaque hac formula, *a.* Auctorem bonorum illorum eſſe Deum Israelis, *b.* fontem ejus *favorem*, *c.* fundamentum *foedus* inter Deum & populum initum, cujus ſymbolum erat inhabitatio Dei ſupra *arcam.* 2. Præter hæc memoratur *conditio*, ſine qua bonis illis frui vix poterant Israelitæ, a quo tempore *Hieroſolyma* & ſedes religionis & metropolis regni electa eſt; ſc. *proſperitas Hieroſolymæ;* quo verba tendunt, & *videas bonum Hieroſolymae.* h. e. floreat, pacifice & proſpere agat, Hieroſolyma, Tuque in ea felicitate partem habeas. *Bonum Hieroſolymae* ut ex Pſ. CXXII: 9. & aliunde patet, comprehendit quicquid conditionem urbis *florentem*, & *felicem*, reddere pot-

 eſt,

est, adeoque pacem & securitatem, opum abundantiam, religionis haud interruptum exercitium; civitatis bene ordinatum & justum regimen; & quæ sunt alia ad *civitatis* prosperitatem pertinentia. Hoc bonum *Hierosol.* memoratur, quia inde totius Reip. salus dependebat, & cives sine eo felices esse non poterant. Illud bonum *videre* est, tum in pacifico & florente loco degere; tum partem & sortem in ea prosperitate habere, & bonis illis pro parte sua frui.

§. XII. 3. Præter fontem & conditionem prærequisitam hic offendimus *diuturnitatem*, cujus ultimus *terminus* ponitur *vita*, sed non nisi diu *dilatus*. Prius indicant voces, *omnibus diebus vitae tuae*, posterius; *videas filios filiorum tuorum:* ergo & interrupta prosperitas per totam vitam, & longævitas hic vovetur, una cum familiæ duratura felicitate. Nihil in phrasibus difficultatis. Quare 4. ad votum super Israele pergo. *Pax super Israele*, sit, sit, & sit in perpetuum, de quo voto plus una vice supra egimus ad Ps. CXXII. & CXXV. quare verbo suffecerit notasse; hoc voto omnes superiores adprecationes & benedictiones comprehendi summatim, & concludi. Pax super Israele, nimirum & in universum, & in singulis ejus membris; & super civitate tota, & singulis civibus. Ita Deus benedicat *Israeli*; ita *floreat* universitas populi, ea prosperitate gaudeant omnes ex populo. Antea ad certam personam restrinxerat poeta benedictionem, hic ad omnes & totum populum extendit, adeoque quam aptissime in generali voto desinit.



PSALM.



PSALM. CXXIX.

1. *Canticum adscensionum. Multum angustarunt me ab adolescentia mea, dicat nunc Israel.*
2. *Multum angustarunt me ab adolescentia mea; etiam minime praevaluerunt mihi.*
3. *In dorso meo araverunt aratores, prolongarunt sulcos suos.*
4. *Jehova justus praesecuit lora improborum.*
5. *Pudore suffusi retrocedent omnes osores Tsionis.*
6. *Erunt instar herbae tectorum, quae, antequam e culmo emerserit, exarescit.*
7. *Quaque messor manum suam non replet, nec sinum suum qui manipulos colligit.*
8. *Quique non dicunt transeuntes benedictionem Jehovae super vobis: benedicimus vobis in nomine Jehovae.*

PROLEGOMENA.

§. I.

Canticum est *congratulatorium*, quo poeta Israeli partim gratulatur triumphum de omnibus hostibus, qui unquam populum impugnarunt & adflixerunt, reportatum; partim osoribus Tsionis, si qui sint, vel oriantur, *pudorem*, & vanitatem moliminum contra Tsionem denunciat. In *priore* parte Israelem adhortatur ad laetitiam & gloriationem super calamitatibus omnibus tandem superatis,

tis, & ad lætam superiorum malorum recordationem, piamque Divinæ gratiæ, per quam malis omnibus eluctati fuerunt, confessionem. In *posteriore* Israelem reddit certiorem de inanibus hostium conatibus, si quos contra eum susciperent, eosque pudore confusos retrocessuros, ac brevi cum contemtu & maledictione publica evanituros esse, instar herbæ tectorum; quæ repente exoritur, repente occidit, vel quæ omni firmitate & succo destituta flaccescit, & nulla pollet vi resistendi.

§. II. Partes itaque in duas sese sponte sua dividit ode nostra: quarum *prior* adhortationem continet ad lætitiam & gloriationem super hostibus devictis & malis omnibus finitis, quæ a primo reip. tempore ad hoc tempus usque varia & gravia passus erat Israel, vers. 1--4. *Posteriore* in parte populo promittitur, fore, ut osores Tsionis, qui supersint, pudore suffusi, & viribus destituti, in posterum jaceant, & evanescant, vers. 5--8.

ANACRISIS.

§. III. Interpretes in ea passim sunt opinione, Israelem in hoc cantico repræsentari in gravissimo periculo & mediis in malis, quibus videbatur succubiturus, positum, adeoque oden esse argumenti *consolatorii*, & eo collineare, ut populo ex superiorum temporum, quibus varie pressi semper evaserant, recordatione animus adderetur, & spes fieret de hostium subitaneo excidio, suique & ex his oppressionibus redemtione. Hinc alii ad exilium Babyl., alii ad alios Israelis status calamitosos referunt. Sed longe a scopo & argumento cantici aberrare mihi videntur: Israel enim hic occurrit, tanquam quem hostes per omnia tempora frustra opprimere erant conati, qui nunc gloriari poterat, se cunctis calamitatibus esse ereptum; cujusque osores nunc cum pudore recederent, & nihil virium haberent

berent Israeli resistendi, aut aliquid contra eum moliendi. Phrasis, *dicat nunc Israel*, hanc hypothesin omnino requirit: est enim acsi diceret; nunc, nunc tandem, ille alluxit dies, quo Israel in gloriabundas eas voces erumpere queat: multum me adflixerunt per omnia tempora, sed non prævaluerunt mihi, & Jehova funes impiorum ita amputavit, ut tandem *finem imposuerit* oppugnationibus hostilibus: deinde phrases, *ararunt in dorso meo*, & *prolongarunt sulcos*, summas illas oppressiones, quas populus a Chaldæis & Syris passus est, omnino indicant, & illud, *amputavit Jehova funes* impiorum, ea ratione expressum est, ut *finis* infestationum haud obscure innuatur. Denique *osores* Tsionis, qui restarent, hic in scenam prodeunt, ut succo & viribus privati, qui nihil firmitatis haberent, nihil fructus proferrent, aut *utilitatis* adferrent, adeoque qui sponte evanescerent.

§. IV. Mihi itaque vix dubitandum videtur, quin ode fuerit composita, quo tempore Israel per Maccabæos in libertatem erat adsertus, ejusque res ita firmatæ erant, ut ab osoribus suis nihil amplius metuendum haberent; adeoque quo in statu *triumphalem* oden canere poterant; multa per omnia tempora perpessus sum mala, ab hostibus inflicta, sed nunc tandem evasi, & superavi omnia; & osoribus meis nil nisi ignominia & pudor facierum est relictum; quorum conamina erunt omnia irrita. Scopus itaque cantici est, Israeli formulam suppeditare, ad quam triumphum caneret, seu τὸ ἐπινίκιον epinicium carmen triumphale in manus tradere; quo phrasis, *dicat nunc Israel*, manifeste tendit: idem enim est ac, glorietur, confiteatur, *canat* nunc: quod dictum per priorem cantici sese porrigit partem, & hanc oden ab Israele esse accinendam præcipit. Quo ipso, ut illud ad firmandam hypothesin addam, impletum est, quod Jes. XXVI: 1., de tempore *Simonis Ethnarchae* & Joh. Hyrcani prædicitur. *Illo tempore cantabitur cantilena haec*, vel similis, in *terra Judae*. Odis

 enim

enim, tunc temporis cani soliti, & hæc nostra accommodetur.

EXPLICATIO.

§. V. *Prior* cantici pars, quæ calamitates & liberationes præteritas recenset, eas in duas *ætates* dividit *adolescentiæ* & *virilem*; quibus multa gravia passus erat Israel. De adolescentiæ ætate hunc in modum canit, vers. 1, 2. *Multum angustiarunt me ab adolescentia mea, dicat nunc Israel, multum angustiarunt me ab adolescentia mea; etiam minime prævaluerunt mihi.* h. e. Hunc in modum canat nunc Israel, lætus & gloriabundus: per totum adolescentiæ meæ tempus, antequam status meus firmatus est in Canaana, & in regnum evasi gloriosum, multas passus sum & continuas, easque gravissimas, infestationes, quæ me sæpe ad incitas redegerunt: hoc verum est, sed & illud simul verissimum; me, hostium violentiis pressum, non fuisse oppressum, & plane superatum; sed, contra, identidem resurrexisse, donec firmiorem & fortiorem attigi ætatem virilem.

§. VI. Sermo exhortatorius dirigitur ad *Israelem*, isque excitatur ad lætitiam & gloriationem de superiorum temporum malis superatis publice testificandam, quam emphasin habent verba, *dicat nunc Israel*, h. e. enarret, celebret, canat; quemadmodum Jes. XXV: 9. *Et dicetur illo die, ecce Deus noster hic est, quem exspectavimus, & qui nos salvat: hic est Jehova, quem exspectavimus, lætemur & gaudeamus salute ejus.* Ps. CXLV: 6. *robur terribilium operum tuorum dicent*, seu enarrabunt. Particula נא potestatem habet excitandi, & tempus esse opportunum, quo laudes Deo canantur, indicat; *dicat nunc*, dicat *quæso*, dicat *jam age*. Sed in quam formam voces efferret Israel? & quid cantaret? illud reliqua verba comprehendunt; *multum*

tum angustarunt me &c. quorum sensus est, Israelem tempore adolescentiæ quidem varie & continuo fuisse coarctatum, sed non oppressum, quin gloriosius identidem resurrexisse. Gloriationis enim materia non tam foret *infestatio* multiplex, sed irritus ejus effectus; quare præcipua emphasis ponenda in ultimis verbis, vers. 2. *etiam non prævaluerunt mihi.* Vocula *etiam* eo tendit, ut utrumque illud connectatur, & populum fuisse sæpe oppugnatum, & identidem liberatum; deinde simul indicat, ne *adolescentiæ* quidem tempore, cum vires essent imbecilliores, populum potuisse superari: *etiam* est in ipsa quoque juventute.

§. VII. Ceterum sermo fit de infestationibus hostilibus, quas populus primis reip. temporibus subierat frequentissimas & gravissimas; antequam firmum & stabilem consecutus esset statum sub Davide. *Juventus* populi, ab infantia & virili statu distincta, tempus intermedium expingit, inter primam terræ Cananææ occupationem, & regnum a Davide firmatum. Israel in Aegypto natus *crevit*, in deserto in remp. formatus, & *juvenilem* cepit ætatem degere cum sedes fixit in Cananæa; quæ duravit usque ad regnum erectum & stabilitum sub Davide; quando censeri potest *virilem* ingressus ætatem. Tempus itaque intermedium, & *juventutis*, figendum est sub *Judicibus*: in quod exacte quadrat, quod hic de *angustationibus* traditur, earumque eventu. Quam varie, quam vehementer, quam sæpe, Israel fuerit eo tempore agitatus, vexatus, infestatus, summis angustiis constrictus; sed qua ratione non succubuerit, & identidem vindicatus ac in libertatem adsertus, nemini non notum est. Tantum notetur, 1. repetitionem, *multum angustarunt me* &c: emphasin augere, & continuo repetitas infestationes signare. 2. Phrasin, *non prævaluerunt mihi* non tantum indicare, populum non fuisse exstinctum, & plane oppressum; sed præterea ob oculos ponere felicem & gloriosum perpetuæ illius luctæ exitum, quem sub Davide habuit. *Non prævalere* est nihil minus quam

quam prævalere; contra, *praevaluisse* populum, & de hostibus ac eorum oppugnationibus tandem triumphasse. Vocula לא sæpe est *nihil minus*, & magnam habet emphasin, quæ omnia contraria simul complectitur: uti sæpe observavi.

§. VIII. Hinc transit poeta ad graviores infestationes, quas populus, durante virili ætate, perduraverat, donec tandem omnibus malis & periculis sit ereptus, uti erat tempore compositi cantici. Verba ita sonant, vers. 3, 4. *In dorso meo ararunt aratores, prolongarunt sulcos suos: Jehova justus praesecuit lora impiorum.* h. e. Quam sortem primis reip. temporibus subieram, eadem, sed majore gradu, me, in regni formam redactum, feriit; missus sum sub jugum; me lacerarunt & contumeliosissime tractarunt hostes; in quo statu satis diu detentus sum: sed & ex eo me vindicavit Jehova, judex justus, & vindex populi sui oppressi, adeo ut tandem *finis* sit meis malis & oppressionibus impositus; nihilque mihi in posterum ab hostibus metuendum sit, quamdiu steterit hæc respublica. Agitur hic de malis, quæ in virilem populi ætatem inciderunt; ut tum series cantici, tum emblema *arationis* & *jugi* innuit: adeoque quæ populo sub Regibus & deinceps evenerunt. In specie obversatæ fuerunt poetæ ob oculos calamitates omnium dirissimæ, Assyriaca, Babylonica, & Syro-Macedonica, uti ex emblemate, mox explicando, patebit. Ultimam vero Syriacam, seu Epiphanicam, hic excludi non debere, ex eo etiam confirmatur, quod *mala* populi hoc tempore fuisse finita haud obscure insinuetur per verbum *amputare:* uti mox observabo.

§. IX. Comparatio, ab agro, in quem aratrum inducitur, & in quo longi ac alti ducuntur sulci, petita, nobis expingit. *a.* populum fuisse ab hostibus subjugatum, & in *servitutem* redactum, *b.* laceratum, proscissum, susque deque versum, & totum eversum ac disjectum, *c.* contumeliosissime instar mancipiorum tractatum; ac convitiis proscis-

proſciſſum. *Arare dorſum* alicujus eſt, *convitiis* & contumeliis proſcindere, ut Jeſ. L: 6. *tergum meum dedi percusſoribus.* Sed propius huc accedit, & ejusdem eſt amplitudinis, quod Jeſ. LII: 23. habetur, *& pono illud* (poculum tremoris) *in manu eorum, qui te moleſtia adfecerunt, qui dixerunt animae tuae: demitte te, ut transeamus, & poſuiſti tergum tuum ut terram, & tanquam plateam, tranſeuntibus.* h. e. libidini principum & populorum in abjectiſſimis quibusvis ſervitiis & injuriis obſequioſum. Negligenda non eſt elegantia & emphaſis orationis in voce, quam *ſulcos* vertunt, & recte; ſed litteræ textuales nos ſimul ducunt ad *adflictiones & vexationes tyrannicas;* quæ hac radice comprehenſæ ſunt. Ex. III: 7. Pſ. IX: 14. Job. XXX: 13. Denique *d.* cum *ſulcos*, & tyrannicas oppreſſiones, *prolongaſſe* dicuntur *aratores*, ſignificatur, populum quam *diutiſſime* in abjecto & deplorabili illo ſtatu fuiſſe, licet magis minusve gravi & difficili.

§. X. *Liberationem* ex omnibus illis malis, verſ. 4. repræſentat: *Jehova juſtus reſecuit lora impiorum.* h. e. dominio & tyrannidi ipſorum in nos finem impoſuit. In voce Hebr., quam *lora* reddunt, ad *lora* reſpicitur, quibus aratro junguntur boves, ut & ad *machinationes implicatas* ac *violentias hoſtium.* Vox Hebr. denotat proprie *funes contortos* denſiores, figurate nequitiam implicatam. Mich. VII: 3., *Lora* itaque *impiorum* ſignant eorum *potentiam, dominium, tyrannidem*, nequitiam & violentiam. Hæc lora Deus dicitur *praeſecuiſſe*, ita ut *finiverit*, adeoque *amputaſſe* in *perpetuum*, absque ut unquam reſarcirentur. Radix Hebr. קצץ *praeſecare*, pro derivato habet vocem Hebr., quæ *finem* denotat; adeoque *praeſecationem finalem* egregie exprimit. Epitheton *juſti*, quo Jehova hic inſignitur, & unde hæc *liberatio* repetitur, ad *injuſtitias*, in hoſtium dominio conſpicuas, reſpicit; & ſimul nos ad *promiſſa* populo facta in foedere Sin. ducit. Deus vi *juſtitiae* ſuæ has calamitates populi ſui finiret, *a.* quia *iniquiſſimam* & *tyranni-*

tyrannicam innocentium tractationem, qua justus mundi judex, ferre semper non potest. Vid. Hab. I: 13. *b.* quia cum per promissa Dei populus aliquid *juris* in ea acquisiverat, *justitiae* erat, qua cuique suum tribuitur, populum in eum evehere statum, in quo *promissis* frui poterat.

§. XI. Ex dictis, ni fallor, manifestum est, adflictionem Epiphanicam hic omnino comprehendi, & ut *finitam* sisti; tum quod ad illud usque tempus populus perfecta libertate non fuerit gavisus, sed post Chaldæos primum Persis, dein Græcis, mox Syris, vel Aegyptiis, subjectus, & varie vexatus, tum quod ante finitam illam calamitatem funes impiorum nequeant dici *amputati finaliter*, post eam omnino, & usitato prophetarum stylo. Ita Jes. LII: 22. *non pergas de eo amplius bibere* Thren. IV: 22. *Iniquitas vestra* (poena ejus) *consummata* est, *filia Tsionea*, *non perget te captivam abducere*, Jer. XXX: 8. *non amplius ut servo utentur ipso alieni*. Joel. II: 19. *non tradam vos amplius in probrum inter gentes.* Am. IX: 5. *& non diruentur amplius de terra sua*. Zach. IX: 8. & alibi sæpe. Verum quidem est, Judæos postea a Romanis fuisse subjugatos, & plenissime eversos, sed hoc nullo modo obest; quia tunc temporis *complementum* consecuta erat *œconomia* Judaica; ad quem *finem*, & non ultra, extendenda sunt prophetarum ejusmodi *promissa*, de quo sæpe ad Zachariam, si *commentarius* meus in lucem prodierit, differam, sicut ad Jerem. feci.

§. XII. Hoc cantico epinicio, quod Israeli in ore datum erat, absoluto, poeta resumit sermonem, & *finem* ac *consummationem* tyrannicarum oppressionum ex eo confirmat, quod *osores Tsionis*, viribus in posterum destituti, sint decubituri, nullo negotio superandi, vers. 5- 8. *Pudore suffusi retrocedent omnes osores Tsionis. Erunt instar herbae tectorum, quae, antequam e culmo emerserit, exarescit: quaque messor manum suam non replet, nec sinum suum, qui manipulos colligit: quique non dicunt transeuntes benedictionem Jehovae super vobis: benedicimus vobis in nomine Jehovae.* h. e. Mate-

Materiam gloriationis, quam nunc habet Israel, non minuit, quin adauget, quod adhuc superſint, qui Tſionem lividis oculis intuentur, & hoſtili erga eam ſunt animo: certum enim eſt, eos, ſi quid forte moliantur, cum ignominia eſſe retroceſſuros; cum *viribus* ſint privandi, & inſtar graminis tectorum ſubito & ſine magno labore exarituri: quam ſortem ſubibunt, quotquot benedictionem Jehovæ ſuper Iſraele non agnoverint, celebraverint, & ei in nomine Jehovæ non benedixerint.

§. XIII. Loquitur de *oſoribus Tſionis*, *quique benedictionem* Dei ſuper Iſraele non pronunciant, quum pertranſierint. Hac enim ratione cenſeo orationem cohærere, ut verſ. ultimus cum verſ. 5 connectatur; & verſus intermedii 6 & 7*mus* ſubjungantur; quando oratio prono alveo fluit, & facilem fundit ſenſum; quem cæteroquin difficulter extuderis. Ex noſtra opinione textus ita eſt intelligendus: pudeſient omnes oſores Tſionis, erunt inſtar foeni tectorum; &c: & *qui non dixerint* &c: vel *ut & qui non benedixerint vobis* Tſionitæ! & illi erunt *pudore ſuffuſi*, &c. *Oſores* Tſionis ſunt tum *impii* & *profani* ex Iſraele, quorum tunc haud exigua fuit copia, qui Tſionem volebant deſtructam, & cum gentibus commixtam, tum *vicini populi*, qui Reip. Judaicæ male volebant; & nullam ei nocendi prætermittebant occaſionem. Hisce adjunguntur *praetereuntes ſine benedictione;* quod animi *invidi* & *hoſtilis* erat indicium. Significatur enim *a.* tanta & tam clara favoris Dei erga Iſraelem hoc tempore exſtare indicia; ut in omnium oculos, ad quorum notitiam res Judæorum venirent, ſeſe ingererent, *b.* adeoque eam benedictionem a tranſeuntibus eſſe prædicandam & celebrandam; *c.* eos, qui eo officio non ſint defuncturi, hoſtili fore animo erga Tſionem; *d.* denique eos, cum volentes nolentes proſperrimum illum ſtatum Iſraelis adſpicere deberent, *pudore* eſſe ſuffundendos, & male a Deo Iſraelis mulctandos. Cum hoc tempus foret, quo veritatem ſuam etiam haberet

ret, *benedictio eris*, & *benedicentibus tibi benedicetur*, *maledicentibus tibi maledicetur;* quod Abrahamo promissum est Gen. XII. & ad Israelem transfertur Num. XXIV: 9. Ceterum, quod hic præsupponitur, *prætereuntium* hoc fore officium, quo multi etiam defungerentur, &, qui hac parte officio deessent, eos hostilem animum erga Tsionem gerere; illud de temporibus Maccabaicis prædictum est a Prophetis. Jes. XXV: 3. clare prædixit, Jehovam hoc tempore a *populo valido* & *civitate gentium fortium* esse *celebrandum* & *metuendum*: ut & vers. 7. *velum gentibus* impositum respectu religionis Jud. esse abolendum & opprobrium populi Dei auferendum, vers. 8. adeoque gentes non amplius *maledicturas*, sed contra *benedicturas*. Vid. quoque Ez. XXXVI: 35--. Jerem. vero & Zachar. *poenas* Gentibus infligendas, quæ huic officio deessent, addiderunt, ille cap. XII: 16. *Si didicerint vias populi mei, ut in nomine meo jurent; dicendo, vivit Jehova, sicut docuerunt populum meum jurare in nomine Baal, illi ædificabuntur in medio populi mei; sed si non obedierint, delebo gentem hanc.* ubi vid. comment. noster. Zach. XIV: 17. diserte Deus interminatur gentibus, quæ festum Tabernaculorum neglexerint celebrare, *pluviæ penuriam.* Eundem plane in modum poeta noster adfirmat, eos, qui terram Israelis sine hac *benedictione* pertransierint, divinum judicium non esse evitaturos. Quid emphasios habeat illud *transeuntes*, docebit Augustus apud Suetonium, ubi Cajum nepotem laudat, *quod Judæam prætervehens, apud Hierosolymam non supplicaverit.* Plura non addo.


§. XIV. His *osoribus Tsionis*, & qui odii, invidiæ, ac contemtus, ergo populo Dei benedicere recusabant, denunciat poeta *pudorem facierum*, & instans excidium: cum dicit, *pudefient* & *retrocedent; erunt instar herbae subito exarescentis* &c. Indicatur, *a.* eos, qui antea insultaverant Judæis, & eorum excidium spe præceperant, nunc, cum eos victores, & periculis superiores, viderent, pudore & igno-

ignominia suffundendos esse, *b.* nec illud tantum, sed & *retrocessuros*, & sese Judaeis esse submissuros, utpote ipsis resistendis inpares. *c.* Denique, nisi hostilem animum exuerint, & benedictionem in populum pronunciarint, eos instar *graminis tectorum esse exarituros*, seu viribus, flore & prosperitate, destituendos, & in vilem ac miseram conditionem esse redigendos. Emblema desumtum est ab *herba*, seu *gramine viridi* in tectis sponte oriri solito (erant enim *tecta* domuum plana, uti notum) sed, cum succo careat & terrae profunditate, ac aestui solis expositum sit, brevi exarescere solito, antequam e *culmo suo emergat*: haec enim vis est verbi Hebr. שלף hoc in loco, quod hic *intransitive* sumitur pro *emergere*, *evaginari*; antequam se *evaginet*, vel *evaginetur*, est, antequam e vaginulis suis sese evolvat, & succrescat. Additur, *messorem* ea herba manum suam non implere, nec sinum suum *collectorem* manipulorum, vers. 7. quo innuitur. *a.* nihil causae esse, quare demeteretur & colligatur, cum jam, antequam ad messem apta sit, exaruerit. *b.* nihil inde *utilitatis* redundare ad *messorem*; cum sit herba immatura & flaccida. *c.* Nullo labore eam demeti posse, cum nihil habeat resistentiae, quippe *culmo* carens; adeoque nec manum messoris, nec sinum collectoris implens. Quem conspectum hoc emblema praefert Jes. XXXVII: 27. *Ideo incolae earum* (sc. urbium, quas Deus Senacheribo tradiderat vastandas) *breves habuerunt manus*, *consternati fuerunt & pudore suffusi: effecti sunt ut herba agri, ut herba tenera viridis, ut gramen tectorum, & ut seges tacta uredine*, *antequam excreverit in culmum*, h. e. incolae fuerunt *viribus* orbi, & nulla polluerunt vi resistendi.

§. XV. Hinc facile elucet, quo collineat hoc emblema, sive ad ipsos hostes, sive ad molimina eorum contra Israelem referas. *a.* Moliminum hostilium respectu si emblema capias, sensus erit, hostes, si quid contra Israelem tentaturi sint, tantum abesse, ut prosperum sint habituri

 succes-

succeſſum, ut, contra, licet vana ſpe ſe lactent, & aliquam ſpeciem præferant, inſtar graminis tectorum ſint ſine magno labore repellendi, & devincendi, absque ut quid efficiant, & aliud ac pudorem facierum inde reportent; molimina ergo in nihilum recident, & nihil utilitatis adferent, exaritura inſtar graminis tectorum &c. *b*. Ad ipſos *hoſtes* ſi attendas, ſenſus erit, eos 1. eſſe *debilitandos*, viribus & opibus privandos, ita ut nihil, vel parum, in ipſis ſuperſit vigoris & reſiſtentiæ. 2. eos ſine multo labore eſſe ſubigendos. 3. nec longo tempore ad id opus eſſe, ſed *ſubito* futurum. 4. Statum ipſorum fore *abjectum* & *contumelioſum*, adeo ut nemo illos ſibi vindicare velit, nemo in eo aliquid operis ponere; haud ſecus ac germini tectorum arefacto contigit, quo nec meſſor nec collector manum impleat, utpote nullius uſus.



PSALM.



PSALM. CXXX.

1. *Canticum adſcenſionum. Ex profundis inclamavi te, Jehova!*
2. *Domine! exaudi vocem meam, ſint aures tuæ adtentæ ad vocem ſupplicationum mearum.*
3. *Si iniquitates retinueris, Jah! Domine! quis conſiſtet?*
4. *Quia tecum eſt condonatio, ut timearis.*
5. *Exſpectavi Jehovam, exſpectavit anima mea, promiſſo ejus tenaciſſime adfixus ſum.*
6. *Anima mea Dominum, plusquam vigiles matutinum, vigiles matutinum, obſervant.*
7. *Exſpecta, Israel! Jehovam, quia apud Jehovam benignitas, & multiplex redemtio.*
8. *Et ipſe redimet Israelem ab omnibus iniquitatibus ejus.*

PROLEGOMENA.

§. I.

AUctor cantici, quisquis ſit, quod plane incertum eſt, preces ſuas e profundis factas a Deo tandem exaudiri petit, ejusque exauditionis brevi faciendæ ſpem ſeſe fovere certiſſimam declarat, quia fieri non poſſit, ut Jehova peccatorum ſemper ſit memor, ſed aliter fieri nequeat, quin ea, propter quæ in profundis verſabatur, ipſe & populus Israel, condonet. Qua ſpe erectus, ſeſe animo compoſito

posito Deum exspectare, & promissis ejus tenacissime fidere; & majore quoque desiderio ac fiducia auroram liberationis exspectare, quam vigiles nocturnos mane, testificatur. Imo totum populum mox ad eandem exspectationem excitat, & de favore Dei ac redemtione sua quam certissimum reddit; quia apud Deum est multiplex redemtio.

§. II. Persona, ut ejus statum, & ita cantici argumentum, paulo plenius enarrem, hic occurrit, *a.* quo ad statum externum, posita 1. in profundis *calamitatibus*, vers. 1. 2. ortis ex *peccatis* gravissimis, quæ Deus his poenis ulciscebatur, vers. 3, 4. 3. quas ipsa cum toto populo Israele habebat communes, vers. 7, 8. *b.* Quod ad *statum* internum adtinet, persona hic repræsentatur tanquam, 1. malorum & peccatorum sensu vividissime tacta, 2. quæ Deum jam aliquandiu supplicaverat, vers. 1. & nunc suppliciorum exauditionem orabat, vers. 2. 3. hoc tempore luculentam spem conceperat, fore, ut Deus peccata, malorum causas, condonaret; 4. quare hac spe animata suam proximæ liberationis exspectationem exponit, & Israelem ad eandem spem & exspectationem adhortatur, eum de instante liberatione & remissione peccatorum certiorem reddens, vers. 5. fin.

§. III. Hinc *partes* cantici facile elucent. Cum enim precum exauditionem inploret, & se de peccatorum remissione certum esse testetur, eoque fundamento & ipse exspectet redemtionem, & populum ad eandem exspectationem excitet; canticum sese sponte sua in quatuor partes scindit. I. In *prima* preces a Deo exaudiri orat, vers. 1, 2. II. In *secunda* se de *peccatorum remissione* esse certum declarat, vers. 3, 4. III. *Tertia* continet exspectationem redemtionis, vers. 5, 6. IV. *Quarta* denique exhortationem Israelis ad eandem spem & exspectationem, vers. 7, 8.

ANACRISIS.

ANACRISIS.

§. IV. Interpretes circa duo quæsita scinduntur in partes; alterum est de *argumento* cantici, vel statu personæ loquentis: alterum de *tempore*, cui hæc ode convenit. 1. *Prius* quæsitum habet, num *spiritualis* an *corporea* & externa sit calamitas, in qua hæc persona fuerit versata. Sunt, quæ est vulgatior sententia, qui sibi hic ob oculos ponunt gravem aliquem peccatorem poenitentem, & vivido peccatorum & reatus sensu adfectum, & propterea prostratum; qui a Deo remissionem peccatorum ex sola Dei gratia petit, & ejus sensum a Deo patienter exspectat. Alii externam calamitatem, sed ex peccato graviore ortam, intelligunt, cujus liberatio a remissione peccatorum dependebat. Quod ad nos attinet, etsi res aliquomodo dubia videri, & in utramque partem disputari, queat: posterior tamen opinio sese mihi magis adprobat. 1. Quia phrasis *ex profundis*, & vero suo significatu, & usu, nos ad externa mala, quibus quis fere obruitur, potius ducit, quam ad *profundum* peccatorum *sensum*: de quo mox. . Quia animum non præfert in hac ode contritum, & dejectum, sed erectum ac spei plenum, & de proxima liberatione certum: ergo *profunda* ad animum non possunt referri; nisi quis velit, personam jam fuisse *profundis* ereptam; quod a toto cantico abhorret. 3. Quia eandem conditionem cum toto Israele habebat communem; ut ex fin. liquet: quod cum hypothesi, quam oppugno, nullo modo consistere potest; uti in omnium oculos occurrit.

§. V. Quod ad *alterum* quæsitum adtinet; 1. Sunt, qui lugentes Tsionis paulo ante Messiæ adventum hic in scenam produci opinantur, tanquam calamitates sui temporis, in depravatione doctrinæ & morum sitas, deplorantes, & redemtionem spiritualem per Messiam exspectantes. Sed *a*. talia hic intelligi videntur mala, in quæ ob peccata in-

ciderat populus, & quorum duratio a peccatorum retentione dependebat: uti ex verf. 3 & 4. patet. *b.* Populus hic occurrit tanquam *Dei timens*, & a peccatis, quæ tanta mala pepererant, alienus, adeoque in eo ftatu pofitus, ut *redemtionem* & *remiffionem* peccatorum exfpectare, & fibi promittere poffit. Huc enim ducimur, quod hinc ratio remiffionis petatur, verf. 4. quodque nulla *refipiscentiæ* fiat mentio, quæ omitti non poterat, fi populus effet adeo corruptus, & de redemtione Meffiæ, quæ eam habet conditionem, ageretur, argumento, populum in ftatu *refipiscentiæ* verfari; denique quod de *Israele* in genere fine ulla reftrictione agatur, cui redemtio fpiritualis non convenit.

§. VI. 2. Nos itaque, miffis aliis, qui de Davide, graviore reatu obftricto, cogitant, quod nullo nititur fundamento, maxime probabile cenfemus, oden ab aliquo Propheta, five fit Habakuk, Daniel, aut alius ejus temporis, effe compofitam in exilio Babylonico, & quidem cum illud ad finem vergeret, & eo tendere hoc canticum, ut piorum exfpectatio, remiffionis peccatorum & inftantis redemtionis, in publicam lucem ederetur. In hanc hypothefin omnia criteria conveniunt. Mala erant gravia, univerfo Israeli communia, ob fola peccata ipfi inflicta. Populus per exilium ad faniorem mentem redactus erat, & Jehovam, repudiatis idolis, ceperat revereri; adeoque in eo erat ftatu, ut promiffam redemtionem fibi polliceri poffet. Denique fuerunt eo tempore, qui continuas pro illa liberatione fuderunt preces, quique tandem & ipfi fpe fuerunt corroborati, & populo eandem fecerunt. Ex quibus non nifi duos memorabo; quia de illis id omne, quod dixi, & in hanc oden perfecte quadrat, conftat, *Danielem* puta & *Habakukum*. *Illius* oratio Dan. IX. huic cantico adeo fimilis eft, ut nequeat effe fimilior. *Hunc*, quem eodem vixiffe exilio omnino exiftimem, haud diffimiles preces fudiffe, &, quod not., in fpecula quafi conftitiffe, ad exfpectandum Dei refponfum, illudque impetraffe,

traſſe, & de proxima liberatione certiorem fuiſſe factum, quemadmodum Danielem, ex toto libro eluceſcit.

EXPLICATIO.

§. VII. *Prima* cantici pars, quæ precum exauditionem ſupplicat, ita ſonat, verſ. 1, 2. *Ex profundis inclamavi te, Jehova! Domine! exaudi vocem meam; ſint aures tuæ intentæ ad vocem ſupplicationum mearum.* h. e. Sæpe te inclamavi, Deus verax, & gratiæ plenus, tuamque opem & auxilium imploravi ad populum liberandum, & ex profundo hoc miſeriarum barathro, in quo cum toto Iſraele verſor, eruendum. Nunc tandem, Domine! cujus nos ſumus peculium, & quem ſolum agnoſcimus & colimus Deum & Dominum, nunc tandem aures ad has meas, & populi, preces adverte; easque exaudias, & a Te exaudiri demonſtres: quod cum aliqua fiducia a Te ſupplico, cum tempus liberationis eſſe ante fores mihi ſentire videor. Pericopa complectitur petitionem precum præteritarum, ſæpe fuſarum, & tacite involvit *fiduciam* precantis; quemadmodum ex nexu cum ſeq. colligi poteſt. Nexus enim hac ratione eſt inſtituendus, acſi legeretur. Exaudias, Domine! preces meas, quas pro Iſraele fundo, idque fidenter oro; exaudies, ſcio & confido; fieri enim non poteſt, ut tu peccata in perpetuum retineas, ne condones timentibus tui; cum huc collineat condonatio, ut Tui timor & reverentia in omnium animos ſeſe inſinuet: de quo mox. Hac ratione prono fluit alveo oratio, cæteroquin abrupta, & intricatior.

§. VIII. Declarat itaque poeta, ſeſe *Jehovam e profundis inclamaſſe*, & nunc cum fiducia petit, ut *Deus exaudiat.* Prius pertinet ad tempus præteritum; ut ex verbo *clamavi* patet, & ex eo confirmatur, quod nulla hic memoretur precum *materia*, quæ ſequi debuiſſet, ſi prologus hic

 exſtaret

exſtaret precum præſentium. Reſpicitur itaque ad preces, ſæpe & continuo a piis fuſas pro populo in mediis *calamitatibus:* quarum argumentum, ut ſatis notum, prætermittitur; & ex voce *profundorum* facile colligitur, qua ſtatus exprimitur, in quo poſitus cum populo preces emiſerat pro eo. Vox מעמקים in aliis locis, in quibus reperitur, cum *aquis* conjungitur, ut Pſ. LXIX: 3, 15. Jeſ. LI: 10. nec forte inepte quis conjectaverit, מעמקים eſſe contracte pro מעמקי מים, vel potius מעמקי ים uti Jeſ. LI. duabus vocibus in unam conflatis. *Profunda*, metaphora a profundo aquarum petita, ſtatum expingunt depreſſum, periculoſum, & malorum mole oppreſſum, &, ſi premere velis, in medio populorum hoſtilium, quo quis ab hoſtibus undequaque cinctus ſub eorum dominio jacet gemebundus. Aquæ & *malorum* quorumvis, quæ exitium adſerunt, & *populorum* hoſtilium, alios inundantium, & opprimentium, gerunt emblemata, ut nemini non notum eſt. Hoc in ſtatu, in quo populus fuit tempore exilii Babylonici, in medio populorum hoſtilium, qui eos detinebant oppreſſos, & quaſi abſorptos, hoc inquam in ſtatu miſerorum adflicto, & exitiali, *clamaverat*, ut alter Jonas, in corde maris, voces emiſerat claras, ſed querulas, & opem implorantes; clamaverat ad *Jehovam*, ſeu Deum ſuum: nam hoc nomen eſt Deo, tanquam Deo Iſraelis, proprium; Deum ergo *foederatum*, ſed vi ejuſdem nominis *veracem* & *fidelem* in promiſſis præſtandis; quæ de gratia ejus teſtantur & favore erga populum ſuum. Unde patet, quam apte hoc nomine hic inſigniatur Deus.

§. IX. Has preces ut Jehova nunc tandem exaudiat, ſupplicat cum aliqua fiducia, verſ. 2. *Domine! exaudi vocem meam: ſint aures tuæ intentæ ad vocem ſupplicationum mearum.* h. e. ſtridulos meos ſonos, ex tenerrimo meo adfectu editos, eoque tendentes, ut ad commiſerationem, & gratiam nobis faciendam, commovearis. Quæ omnia comprehendit vox Hebr. תחנוני ambitu ſuo. Verbum eſt ὀνο-

ματο-

μανοπεποιημενον, a ſtridulo gutturis ſono fictum, eo in ſpecie quem animantia edunt, ad tenerrimum adfectum erga foetus exprimendum. Unde ad gratiam & miſericordiam translatum eſt. Continet itaque, 1. argutum & flebilem ſonum ex gutture editum, ut Pſ. XXVIII: 2. 2. intimi adfectus indicium, quo ferebatur in populum, ejusque redemtionem. 3. eo ſcopo, ut ſimilem adfectum in Deo excitaret. Quo ipſo indicat *a.* Deum ejus eſſe naturæ, & eas eſſe inter ipſum & populum relationes, ut ſimilis adfectus, ſed θεοπρεπῶς, exſpectari poſſit ab eo erga populum. *b.* Opus eſſe Dei *gratia* & *miſericordia*, ſi preces ſit exauditurus: cum a peccatorum *remiſſione*, quæ gratuita eſt, redemtio populi dependeat. Ceterum, cum petat, ut Deus *audiat*, & *aures* ejus *intentæ* ac apertæ ſint, humano more de Deo loquitur; nihilque aliud intendit, ac ut Deus, qui ad hoc usque tempus ſeſe quaſi *iratum* & a populo averſum demonſtraverat, acſi *aures* ejus eſſent obſtructæ, nunc ipſo facto oſtendat, ſe populo bene velle, & clamores ejus ſibi eſſe gratos & acceptos; adeoque nunc tandem opem ferat, & populo gratiam faciat. Quæ latius exſequi, nihil adtinet: tantum de titulo *Domini* uno verbo. *Domine!* cum dicit, *exaudi vocem* meam; indicat, *a.* Deo eſſe ſupremum in ſe jus & dominium, adeoque ſe *ſubmiſſe* ea petere, *b.* eſſe tamen ſe Dei peculium & populum, adeoque cum fiducia ſupplicare.

§. X. Hujus *fiduciæ* mox edit confeſſionem, & ejus fundamenta tradit, verſ. 3, 4. *Si iniquitates retinueris Jah! Domine: quis conſiſtet? quia Tecum eſt condonatio, ut timearis*, h. e. Fiducia mea, qua precum exauditionem exſpecto, in eo fundata eſt, quod fieri nequeat, ſalva decentia, & ſcopo creationis, ut peccata hominum continua ſerves memoria, & perpetuis perſequaris poenis; hoc enim ſi feceris, quomodo eris יה, Deus *decentiſſimus* & *pulcherrimus?* & qua ratione homines tunc ſtatum ſuum tuebuntur, inque Tui cultu erunt conſtantes? hæc cum fieri nequeant;

queant; certus ſum, & te eſſe ad condonandum pronum, & condonaturum nobis peccata; cum condonationis finis ſit cultus & obſervantia tui: quem finem cum in nobis adſequeris; utique nobis poenitentibus, & gratiam tuam ambientibus, iniquitates non amplius imputabis, ſed condonabis, & priſtini tui favoris reſtitues indicia & effecta.

§. XI. Duo ſunt pericopæ membra, alterum *negans*, alterum *adfirmans*. *Prius* per interrogationis modum eſt expreſſum, & fortiſſime negat; quæ interrogationis notiſſima eſt poteſtas. Sed interrogatio, vel *una* hic conſtitui poteſt, vel poſſunt *duæ*. Una vulgo admittitur ſecundum datam verſionem; quæ hunc fundit ſenſum. Si Te peccata perpetuo ad animum revocare deceret, utique actum foret cum toto genere humano; quod cum fieri nequeat, ſalvis tuis virtutibus, ſalvo ſcopo creationis; quam certiſſimum eſt, te peccata retenturum non eſſe. Sed forte rectius, utique elegantius & majore cum orationis emphaſi, *duas* diſtinguimus interrogationes, *an tu retinebis iniquitates*, *Jah? Domine quis conſiſtet?* Qua ratione tum poteſtas nominis יה ſervatur, tum apte nomina יה *Jah* & *Domine* dividuntur, ut fecerunt Maſorethæ. Verſus itaque 3*tius* duas habet partes, quarum utraque rationem continet, quare Deus retinere nequeat peccata: *prior* provocat ad *decentiam* Dei, *poſterior* ad *ſcopum* Dei in homine creando.

§. XII. Prior pars, quæ habet, *tune iniquitates retinebis*, יה? rationem, quare id fieri nequeat, fundat in *decentia*, ſeu *pulchritudine* Dei, quam nomen יה exprimit; ut probabile eſt, & vulgo cenſetur *a*. *Decentia* Dei ſita eſt in harmonia & concentu virtutum & perfectionum; ita ut nulla ſit virtus, qua Deus careat, nec virtutum alia aliam lædat aut obſcuret. Sicut itaque *ſanctus* & juſtus, ita & *bonus* & *clemens* eſt; adeoque ut ſe juſtum peccatorum vindicem, ſic & *clementem* eorum condonatorem præſtet, neceſſe eſt; imo,

a Vid. ad Pſ. LXVIII: 5.

imo, si salva sanctitate fieri queat, *clementiam* exercere Deo quammaxime convenit. Ex quo colligendum videtur; Deum non esse ejus naturæ, ut *peccata simpliciter retineat*. h. e. animum ulciscendi nunquam deponat, semper puniat peccata, & poenas perpetuo infligat, de quo mox. Adjungamus *alteram* mox rationem, a scopo creationis petitam; *Domine*! *quis consistet?* h. e. sicut *decentia* tua non permittit, ut retineas peccata; ita nec relatio tua ad homines, quorum creator & Dominus es: excideres enim scopo creationis, & nullos haberes in mundo cultores: nemo enim *consisteret*, seu statum suum tueretur, in vita maneret, & tibi serviret; nomenque tuum celebraret; quod dicitur, *stare coram Domino;* & mox per *revereri* Jehovam explicatur. Quare nulla ratio est amplitudinem verbi, *consistere*, restringendi. Ceterum hypothesis dicti est, totum genus humanum esse corruptum, & sub reatu; ut Ps. CXLIII. *nullum vivum erit justum coram ipso*. Ratio vero, ob quam *retentio peccatorum* possibilis non est, petita est ab eo, quod fieri nequeat, ut nullus hominum consistat, ut omnes pereant, mox exscindantur, adeoque nullus sit Dei cultor, nullus, qui ejus favore beetur. Ratio est, quia Deus *terram frustra non condidit*, *sed ut inhabitaretur ab hominibus*, *Dei reverentibus* Jes. XLV: 18. Ps. LXXXIX: 48. Quo scopo excideret, si peccata retineret, & nec toleraret peccatores, nec iis ignosceret. Deinde, cum experientia doceat, homines consistere, non mox exscindi; quod fieri deberet, si Deus summo semper rigore uteretur: hinc facile elucet, Deo non esse propositum, *peccata retinere*.

§. XIII. Quod mox directe adfirmat, cum subjungit, *apud Deum esse condonationem*, *ut timeatur*. Vocula כִּי *quia* hic potestate pollet adseverandi, & recte vertitur, *utique*, *profecto*, ut sæpe alias: negationi enim recte adnectitur adfirmatio contraria. Phrasis, *apud Te est condonatio*, etsi simpliciter dicat, Deo esse talem animum, tale propositum, quod hic sufficit; attamen, quod hic addi potest, simul

ſimul innuitur, *cauſam* condonationis eſſe apud Deum, ſcilicet *mediatorem* & *reconciliatorem*, qui Deum placare & peccatoribus reconciliare poteſt; quam placandi vim vox Hebr. comprehendit. Sed quid ſibi vult illud, ut *timearis?* putem *rationem* indicari, quare Deus condonet, nec non *finem* condonationis, quo ſponte ſua tendit; & præterea inſinuari, ſe in eo eſſe ſtatu, ut condonationem ſibi promittere queat, quia Deum *reveretur;* adeoque in ſe habere & *rationem*, & *finem condonationis:* acſi diceret: cum tu propterea remittas, & eum in finem, ut peccatores tui ducantur *reverentia;* egoque in me illum adfectum deprehendam; utique mihi polliceri queo hoc bonum. Ceterum, eam eſſe rationem, quæ Deum ad condonandum movet, & eo collineare ipſam remiſſionem peccatorum, ſponte ſua elucet; modo, quid ſit *timere Deum*, intelligatur. Eo non indicatur horror, & metus, quippe quem non clementia, ſed ſeveritas producit; ſed *reverentia* cum amore conjuncta, & ex eo orta; qua quis Deum, tam clementem & benignum, offendere veretur; ſed contra ejus favore ſe dignum præſtat; gratum animum teſtificando, & Deum amando ac colendo. Hoc Deum ad ignoſcendum movere aptum natum eſt, tum quod Deum *deceat* propterea condonare, tum quod ſine hac clementia *ſcopum*, propter quem hominem creavit, adſequi non poteſt. Huc ſponte ſua tendit *condonatio*, hunc producit effectum, quod ea ingens ſit beneficium, quodque ſolius Dei ſit condonare; adeoque ipſe merito *timendus* eſt, qui peccatorem *ſervare* poteſt & *perdere* &c.

§. XIV. Poſteaquam Divinus cantici auctor preces ſuas, ſuorumque ſociorum in exilio Babylonico ſæpe pro liberatione populi fuſas, tandem exaudiri a Deo ſupplicaſſet, fiduciamque ſuam, qua peccatorum remiſſionem, unde ea liberatio pendebat, ſibi promittebat, explicuiſſet, ejusque fundamenta monſtraſſet, quæ ſumma erat ſuperioris cantici partis: nunc certiſſimam liberationis ſpem, quam conce-

conceperat, clare & emphatice exprimit, totumque populum ad eandem ſpem & exſpectationem excitat, eique redemtionem & remiſſionem peccatorum promittit. Quæ ſumma eſt *quatuor* ultimorum verſuum, quorum duæ ſunt partes, *altera* exſpectationis ipſius poetæ teſtificationem continet, verſ. 5, 6. *altera* adhortationem Iſraelis ad hanc ipſam exſpectationem, verſ. 7, 8.

§. XV. Exſpectationem ſuam, eamque fundatiſſimam, his verbis depingit poeta, verſ. 5, 6. *Exſpectavi Jehovam, exſpectavit anima mea; promiſſo ejus tenaciſſime adfixus ſum. Anima mea Dominum plusquam vigiles matutinum, vigiles matutinum obſervant.* h. e. Precum, a Jehova exaudiendarum, & peccatorum remittendorum, tantam concepi fiduciam, ut coram univerſo populo in hæc verba haud verear erumpere. Exſpectavi, & exſpecto Jehovam, Deum veracem & miſericordem, ſervatorem & redemtorem noſtrum; idque facio animitus intenſo cum deſiderio, & ſumma fiducia, innixus verbo & promiſſo ejus quam firmiſſime; ita ut, comparatione cum vigilibus nocturnis inſtituta, Jehovam majore deſiderio & certitudine præſtoler, ut matutinum liberationis tempus nobis adluceſcere faciat, quam ſolent aut poſſunt vigiles *mane, imo vigiles mane.*

§. XVI. Antea Deum fuerat adlocutus, nunc ſermonem flectit ad Iſraelem, utique de Deo in tertia perſona loquitur, & mox ad Iſraelem ſeſe vertit. Ratio mutatæ perſonæ in eo eſt ſita, quod quanta cum fiducia liberationem exſpectet in publicum proferre hoc cantico intendat. Fiduciæ cum major adſeveratio dari nequeat, quam cum quis eam coram ipſo Deo confitetur, hinc eſt, quod ſupra Deum ſit adlocutus. Exſpectationem ſuam exponit, *a.* reſpectu objecti. *b.* fundamenti & modi. *a.* Id quod exſpectabat partim nomine *Jehovæ* & *Domini*, partim emblemate *matutini* temporis ob oculos ponit. *Jehovam* cum ſe exſpectare dicit, indicat, 1. ſe a vero Deo Iſraelis, & ſupremo omnium Domino, aliquid ſibi promittere, quod

nomine illo dignum erat. 2. se ipsum illum, ut servatorem & liberatorem suum, præstolari: ut Jes. xxv: 9. *ecce Deum nostrum: hic est, quem exspectavimus, ipse servabit nos.* Sed ut *materia* exspectationis vividius & elegantius exprimeretur, adhibet notum illud emblema *temporis matutini;* quo liberatio ab exilio passim depingi solebat. Sicut enim *nox*, ad populum & civitatem relata, ejus *destructionem*, ita *dies* ejus statum prosperum, & *mane* per consequens ejus *instaurationem* denotat. Unus hic sufficiat Jes. xxi: 11, 12. locus, qui in rem nostram est egregius. *Est, qui ad me clamat ex Seir. Custos quid de nocte, custos quid de nocte? respondit custos; venit mane & etiam nox.* h. e. Judæis, qui una cum Idumæis erant in exilio, adfulsit liberationis & lætitiæ *dies;* sed Idumæis, a quibus hæc interrogatio fingebatur oriri, adhuc eadem destructionis nox incubat. Hoc *mane* Judæis exoriturum, quin poeta in oculis habuerit, cum emblemate vigilis nocturni utitur, vix dubitari potest; erat enim illud hac in re usitatum, & præter modo citatum locum sunt plura alia similia, ut Jes. xlv: 7. Tseph. i: 15. Am. v: 18. Jes. xv: 9. sed est & alius Jes. locus, qui forte huc quoque pertinet, c. viii: 20. *ad legem & statutum, nisi secundum hoc verbum loquatur, non erit ipsi aurora:* qui tamen sublimiorem etiam habet intellectum.

§. XVII. *b.* Fundamentum exspectationis jacet in phrasi, *verbo ejus tenaciter adhæreo.* h. e. *promisso ejus*, ut Ps. lvi: 5, 11. *in Jehova verbum laudavi, Deo confidi*, cxix: 49. *memento verbi ad servum tuum, in quo me sperare fecisti;* & ibi sæpe, denique, Ps. cxlvii: 19. *Verba sua notificat Jacobo, statuta & judicia sua Israeli*, seu promissa & præcepta: quo sensu Ap. dicit λογια *oracula Dei* fuisse Israeli commissa. Respicitur hic ad liberationis promissum, sæpe a Prophetis Israeli nomine Dei factum; quod ubique recurrit apud Prophetas: cui Daniel innixus preces fuderat pro redemtione populi ab exilio, Dan. ix. Hoc *verbum* erat certissimum

tissimum fiduciæ & exspectationis fundamentum, quia erat promissum *Jehovæ* & *Domini*, seu veracis & omnipotentis Dei & domini totius terræ, cui nec potentia nec fides deerat ad promissa implenda.

§. XVIII. *c.* Sequitur *modus* exspectationis, quem phrases vers. 5. exprimunt, & emblema vers. 6. expingit: cuncta in firmissimam & intensissimam exspectationem exeunt. Huc 1. tendit *δίπλωσις duplicatio* illa, & vers. 5. *exspecto, exspectat anima mea*, & vers. 6. præ *observantibus mane, observantibus mane*: quæ duplicationes, satis frequentes apud sacros & exoticos scriptores, magnam habent emphasin, uti nemini non constat: nec sine emphasi additur, vers. 5. exspectat *anima mea*, h. e. animitus, vehemente desiderio & tota anima mea. 2. Eodem collineant verba *exspectare*, quæ duo adhibentur, vers. 5., quorum prius קוה est, *recta linea* petere, animo in scopum defixo recta exspectare & contendere; continet enim *lineæ rectæ* intellectum: posterius יחל vi originis continet *patientem* & diu *protractam* exspectationem: radix enim proprie dicit, *incidit in lutum*, vel terram molliorem, ibique luctans moras traxit, & patientiam exercuit, unde transiit ad exspectationem patientem, & multa lentitudine præditam: occurrit hic in Hiph. & verti potest, *lentavi moras ad verbum tuum*, seu ad promissum tuum patienter exspectavi, verbo tuo tenacissime adfixus. Præsupponitur liberatio jam diu protracta, duraverat enim exilium jam fere 70 annos, dein involvit patientiam, & intensissimum desiderium, nulla mora frangendum, adeoque summam fiduciam verbo Dei innixam.

§. XIX. 3. Eandem fundit sententiam, vers. 6. *anima mea ad Dominum præ observantibus mane.* Phrases sunt ellipticæ, ex verbo *observare* facile supplendæ; integra oratio ita haberet: *anima mea Dominum observat, plusquam qui mane observant*, sc. vigiles nocturni, qui matutinum tempus summo cum desiderio, & patienter donec allucescat, opperiuntur. Coccejus, ut duplicationem vincat,

 red-

reddit, præ *excubitoribus matutinis observantibus matutinum*, eosque hic intelligit excubitores, qui ultimæ sunt vigiliæ, cum *aurora* haud procul est. Quod licet in mentem nostram egregie quadraret, qui canticum censemus compositum sub finem exilii, cum vigiles jam ad ultimam venissent *vigiliam*, subscribere tamen non ausim, quod phrasis Hebr. non permittat, & *duplicatio* hic emphasios causa captetur: accedit, versu præced. patientem & diu protractam exspectationem fuisse indicatam. Comparatio itaque instituitur inter pios exules, qui diu & patienter in animo & oculis habuerant promissam liberationem, & jam proxime ab ea abesse videbantur, & inter vigiles nocturnos, qui mane opperiuntur, ut a molesta statione dimittantur: sed ita instituitur, ut hos ab illis in eo vinci indicetur; dicit enim poeta, se plusquam vigiles exspectare; h. e. majore *desiderio*, *fiducia*, & *patientia*. Hæ cum sint *vigilum* & *excubitorum* notæ *adfectiones*, eas in primis adtendi existimaverim; ita tamen, ut comparatio præterea involvat similem vigilum & Judæorum statum in exilio respectu præsentis status servitutis & miseriæ, quem *nox* expingit, & *futuri* status instaurationis reip. & sacrorum, cujus emblema est *aurora* & *mane*; quemadmodum supra observavi. Ceterum negligendum non erat, Habak. c. II. eam *vigilis* & *excubitoris* personam sibi aptare; quod huc egregie quadrat, cum ipse hoc eodem tempore exilii vixerit; ut equidem opinor.

§. XX. Hunc animum, fiduciæ & patientiæ plenum, cum eo scopo publice profiteretur, ut suo exemplo reliquis civibus animum adderet: hinc apte sermonem ad Israelem vertit, eumque ad similes adfectiones excitat, vers. 7, 8. *Exspecta, Israel, Jehovam, quia apud Jehovam benignitas, & multiplex redemtio. Et ipse redimet Israelem ab omnibus iniquitatibus ejus.* h. e. Meo exemplo excitatus Tu, o Israel! ne animum despondeas, ne liberationem nostram in dubium voces, aut Dei potentiæ ac voluntati diffidas; e con-

e contra animum sumas, & Deum liberatorem fidenter exspectes: ipse enim sicut studio benefaciendi flagrat, ita facile liberare potest; cum mille sint ipsi modi nos his malis extrahendi, imo confidas eo plenius, quod ipse sit ille Deus, qui Israelem sicut ab his peccatis, quæ tanta mala nobis pepereruut, ita suo tempore ab *omnibus iniquitatibus* redemturus est. Verba sunt ipsius poetæ, & ad universum populum, sed in primis pios Dei veri cultores, diriguntur. Sunt qui hæc verba a choro quodam per modum ἀντιφωνίας ad ipsam illam personam, quæ superiorem edidit confessionem, directa pronunciari, vel pronunciata censeri, volunt: sed 1. eo perversa illos compulit opinio de subjecto & tempore cantici; acsi anima sensu peccatorum adflicta, & consolationem anhelans, hic introduceretur, quam hæc verba consolarentur, quod supra refutavi. 2. Longe facilius & aptius statuitur, personam eundem animum, quem ipse spirabat, toti populo inspirare velle. 3. Valde incommode nomen *Israelis* ei aptatur; cum illud nos ad populum in genere ducat. 4. Denique persona loquens in hoc cantico plena erat fiduciæ, & de se fassa erat, se exspectare *Jehovam;* adeoque minus recte ad eum præstolandum excitaretur.

§. XXI. Verba continent 1. officium, ad quod Israelem adhortatur poeta, 2. rationem moventem, seu fiduciæ & exspectationis fundamentum. 1. Adhortatio pro argumento habet *patientem exspectationem Jehovæ; tenaciter Jehovam præstolare, o Israel.* sc. Jehovam Deum veracem, qui dictis semper fidem præstat, Deum benignum & *servatorem* ac *liberatorem*. Ceterum, cum ex supra dictis omnia hic sint facilia, illud tantum observabo, non sine ratione nomen *Israelis* hic adhiberi: quippe quod eo tendit, ut populus, vi *nominis* illius se ad patientem & tenacem præstolationem esse obligatum, crederet. Jacobus enim hoc nomine fuit insignitus, cum *luctatus* fuisset cum Deo, suæque fidei ac spei luculentissimum dedisset specimen; nec non

benedictionem impetrasset. Hunc patrem ut ea in re imitetur populus, hoc titulo tecte insinuat.


§. XXII. 2. Ratio movens *a.* proponitur vers. 7. *b.* nova instantia urgetur vers. 8. *a.* Proponitur his verbis: *quia apud Jehovam est benignitas, & multivaria apud ipsum redemtio.* h. e. & voluntas & potentia populum a quibusvis malis vario modo liberandi. Voluntatem exprimit vox *benignitatis*, quæ vera sua emphasi signat enixum studium largissime *benefaciendi*; metaphora ducta ab *ubere*, cujus lac continuo confluit & manat, uti primigenia vocis potestas indicat. Cum autem dicitur, esse *apud Jehovam*, indicatur, Jehovam & ejus esse naturæ, & hanc habere *voluntatem*, hoc propositum, gratiam & benevolentiam exercendi. Additur, & *multiplex apud ipsum redemtio*, seu liberatio copiosa & varia, quam populo suo multis vicibus olim præstitit, & nunc præstare potest, nec uno sed *vario* modo. *Multiplex* enim dicitur redemtio, tum quod multis vicibus fuerit demonstrata, tum *variis modis* & viis effici queat. Sed cum *redemtionis* vocabulum comprehendere soleat liberationem ex quacunque servitute interveniente & soluto *pretio*, quod λύτρον adpellatur, adeoque idem fere dicat, ac Gr. λύτρωσις & ἀπολύτρωσις; interpretibus nonnullis ansa data est, de spirituali redemtione Messiæ cogitandi, & canticum ad eam transferendi, sed sine ratione solida, cum & Aegyptiaca liberatio hoc nomine veniat, Ex. VIII: 19. Deut. IX: 26. Mich. VI: 4. nec non *Babylonica* Jer. XXXI: 11. Hos. XIII: 14. ita etiam de sua liberatione ab omni angustia adhibet David, 2 Sam. IV: 9. An itaque *pretii* notionem hic perdit verbum redimendi? possit quidem hoc statui, salva verbi potestate originaria; cum ea sita sit in *vi erumpendo*, unde ad liberationem captivi transiit, *ruptis catenis*, *a* & פדת *intervallum* est Ex. VIII: 19. ubi *ruptura* in re continua existit. Sed non necesse est, eo deveniamus; tum quod insigniores populi Dei liberationes, quæ redem-

a Vid. ad Ps. XXXIV: 23.

redemtionem Aegyptiacam secutæ sunt, ejus sint *consequentia*, & ab ea ut fonte & prima causa derivandæ; illa vero *pretio* sanguinis agni typico est effecta; tum etiam quod beneficium redemtionis Messiæ, suo tempore repræsentandum, considerari soleat tanquam fundamentum, causa & scopus, omnium liberationum Ecclesiæ præcedentium, ut ex multis indiciis constat. vid. Jes. I: 27. VII: 14. quare liberationes Babyl., Epiph. & Messiæ sæpe conjunguntur, etiam eadem phrasi involvuntur, ut Hos. XIII. Redemtionis itaque Aegyptiacæ & Messiæ respectu quævis aliæ eodem *nomine* & verbo quam aptissime insigniuntur.

§. XXIII. *b.* Accedit, *instantiam* rationis moventis, modo memoratæ, nos ad spiritualem Messiæ redemtionem manifeste ducere, vers. 8. *Et ipse redimet Israelem ab omnibus iniquitatibus ejus*, sc. non illa tantum condonabit peccata, quæ mala illa produxerant, & propter quæ tam diu duraverant, quem sensum primo intellectum, tantum abest ut exclusum velim; ut ex vers. 3, 4. facile elucet: sed & suo tempore plenissimam redemtionem ab omnibus peccatis efficiet, universo populo offeret, & vero Israeli reapse adferet: ipse enim *populum suum servabit ab omnibus peccatis;* ut de Jesu Christo diserte dicit Angelus, rationem nominis *Jesu* reddens Matth. I. Ad hanc redemtionem quare poetam ultimo respexisse censeam, hæ mihi sunt rationes. 1. Quia nexus orationis sibi hac ratione egregie constat. Dixerat, apud Jehovam esse *multam redemtionem;* subjungit, ut id confirmet, *& ipse redimet;* quid facilius hac paraphrasi: quod adfirmavi de multiplici redemtione apud Jehovam, nemini mirum accidat, cum notum sit Israeli, ipsum illum populo suo longe excellentiorem procuraturum esse redemtionem. Conf. Jes. XXV: 9. 2. Quia vocum emphasis hunc sensum requirit. *Et ipse*, seu ille est, certus, illustris, & qui a populo exspectatur; Jes. XXV: 9. *Ecce Deus noster hic est, quem exspectavimus, ipse nos servabit.* Sic discipuli, *speravimus, quod ille ipse esset, qui re-*

demturus sit Israelem, Luc. xxiv. 21. Præterea *&* *ipse* redimet *ab omnibus peccatis:* quod est criterium redemtionis Messiæ, teste Apostolo Act. xiii: 38. Tit. ii: 14. 3. Quia sanctorum & prophetarum constans est mos, redemtionem Messiæ tanquam *rationem* illustrium liberationum considerandi, quemadmodum modo observavi. 4. Denique quia illam *redemtionem* sancti in oculis & animo habuerunt, & spe anticiparunt. Sic de Anna traditur Luc. ii: eam de Christo esse locutam *omnibus, qui exspectabant redemtionem Israelis.*



PSALM.



PSALM. CXXXI.

1. *Canticum adſcenſionum, Davidis. Jehova! cor meum non fuit elatum, nec oculi mei ſublimes, & non inceſſi in rebus me majoribus, & mihi occultioribus.*
2. *Si non complanavi & compeſcui animam meam inſtar lacte depulſi apud matrem ſuam; inſtar ablactati anima mea in me.*
3. *Exſpecta, Israel! Jehovam a nunc & in æternum.*

PROLEGOMENA.

I.

ARgumentum cantici eſt ſincera ac ſeria viri pii confeſſio, coram Deo quippe edita, qua ipſe intimas animi ſui adfectiones erga mirabilia, quæ in Deo, & operibus, in primis providentiæ ejus, inſunt, publice exponit, eo ſcopo, ut totus Israel hinc exemplum capiat imitandum, & ſoli Deo diſcat, animo pio & modeſto, confidere, absque ut nimis curioſe vias Dei, earumque rationes, rimetur, ac de iis temere judicet. David, quem inſcriptio nos pro autore habere jubet, in hac ode declarat, ſe eo fuiſſe, & eſſe, erga Dei conſilia & molimina animo, ut vanæ & curioſæ ſcientiæ faſtu depoſito, ac murmure carnali contra vias providentiæ Dei compreſſo, ipſe modeſte, & ſedato ac compoſito animo, ſeſe voluntati Divinæ ſubmiſerit, ipſique res ſuas pleniſſima cum fiducia com-

miserit. Quam confessionem eo scopo in publicam proferre se lucem indicat, ut Israel exemplum suum per omnia tempora imitetur, in Jehova sperando nunc & in perpetuum.

§. II. Quod ad *tempus* & *statum* Davidis adtinet, quo hanc oden composuit: etsi argumentum nimis sit generale, quam ut de eo certi & accurati quid dicere queamus; a vero tamen mihi prope abesse videtur, eum post gravissimam aliquam superioris temporis luctam, sive cum fugeret coram Saulo, sive, quod malim, coram Absolomo, in feliciore & tranquilliore conditione positum hoc canticum fecisse, eo scopo, ut Israel hinc erudiretur, quam adfectionem in similibus casibus spirare debeat, si Deo sese adprobare, & ab eo adjuvari ac eripi velit. Respicit 1. ad statum calamitosum suum, & animum suum, quem tunc habuit, exponit: quemadmodum ex phrasibus elucet, quibus animi adfectiones exprimit, & confirmatur ex officio sperandi, ad quod Israelem adhortatur. 2. Sed hoc tempore, calamitatibus ereptus, in feliciore versabatur conditione: quod ex *scopo* cantici, quem *adhortatio* ad spem & fiduciam, ad Israelem directa, pandit, colligere mihi posse videor. Cum enim suo exemplo Israeli inculcare velit, quo animo esse debeat, ut votorum evadat compos, & malis, si forte in ea inciderit, eripiatur, cum ratione conjunctius est statuere, Davidem ad suum exemplum majore cum fructu & emphasi provocare, posteaquam malis suis esset eluctatus, quam cum eorum pondere adhuc premeretur, de eventu incertus.

§. III. *Partes* cantici duae sunt, in quas sese sponte sua dividit. I. *Prior* est sincera confessio modestiae, abnegationis & subjectionis Providentiae Divinae: quas animi adfectiones tempore *calamitatum* suarum habuerat, vers. 1, 2. II. *Posterior* comprehendit adhortationem Iraelis ad similes animi adfectiones, per quas statum suum tueri, & a Deo liberationem consequi possit: quod suo exemplo iis persua-

persuadere conatur, vers. 3. In quo *scopus* cantici situs est. Hac ratione si partes digerantur, duabus personis, sive duobus choris loquentibus, quorum alter confessionem nomine piorum in statu adflicto ederet, alter consolaretur nomine Spiritus S., opus non est. David enim confessionem eo scopo edens, ut suo exemplo disceret Israel, se modeste & pie gerere tempore adflictionis, aptissime primo explicat suum statum & animi adfectiones, dein Israelem ad similes adhortatur.

ANACRISIS.

§. IV. Cum ex nullo criterio de *tempore* & *statu* Ecclesiæ Israeliticæ quid certi colligi possit, nos etiam in generali hypothesi acquiescimus, & ulteriore disquisitione aut refutatione aliarum opinionum, omni ratione carentium, supersedemus. Etsi enim adhortatio ad Israelem, & scopus confessionis Davidis, pro hypothesi habere videatur conditionem *calamitosam:* attamen hinc non sequitur, in ea tunc fuisse conditione Israelem; cum adhortatio sit generalis, quæ ad omnia tempora se porrigit; *nunc & in perpetuum;* hoc sensu. *Spem* ponat Israel in Jehova, quoties in difficilia illa tempora inciderit, quæ tenebras offundunt viis providentiæ Divinæ; in quibus has animi adfectiones præferre debet, ut Deo gratus sit, & liberationem sibi promittere queat.

EXPLICATIO.

§. V. *Prior* cantici pars continet seriam & sinceram explicationem modesti, compositi, & se abnegantis animi, quem David præterito tempore calamitatis habuerat, per modum *confessionis* Deo propositam, vers. 1. 2, alloquitur

tur enim mox *Jehovam*, verf. 1. Qui proponendi modus eo tantum tendit, ut Israel, in cujus gratiam hanc animi adfectionem in publicum edit, eo certius intelligeret, hanc veram & Deo gratam fuisse sui animi dispositionem. Acsi diceret; ut certo scias, Israel! eo me fuisse tunc temporis animo, eoque me Deo approbasse; ecce! coram Deo illud declaro, & Deo non verebor confiteri, *Jehova! cor meum non fuit elatum* &c. Explicat autem animi sui habitum א. phrasibus *negantibus*, verf. 1. ב. *adfirmantibus*, verf. 2. א. Negans sermo ita sonat, verf. 1. *Cor meum non fuit alti-frons; nec oculi mei sublimes: & non fui versatus in rebus me majoribus & mihi occultioribus.* h. e. Nullam animo habui, nullam externis signis demonstravi, superbiam aut fastosam arrogantiam, sive de meritis & viribus nimium præsumendo, iisque fidendo, sive nimis excelsa mihi temere promittendo, iisque dignum me censendo, sive in occultas providentiæ Dei vias & rationes me nimia curiositate ingerendo, aut de iis arroganter quid statuendo: sed, contra, me cum virium & meritorum abnegatione tenui modestum & contentum; meque divinæ curæ commisi, ac providentiæ ejus submisse subjeci.

§. VI. Hanc paraphrasin, qua sensus amplitudinem complexus sum, illustremus ex phrasium potestate, quibus hic utitur poeta. 1. Loquitur de *corde alti-fronte*, & *oculis excelsis:* quæ duo conjungenda sunt, cum utrumque ad *superbiam* & *fastosam arrogantiam* pertineat; *illud* sicut in animo residet, *hoc* quemadmodum externis signis cum aliorum, ut se inferiorum, contemtu, ostentatur. *Cor elatum* proprie *alti-frons*, quod amplum habet & *editissimum frontispicium*, eoque se procul conspiciendum præbens, quam emphasin habet vox Hebræa גבה, designat animum sublimia cogitantem, excelsa de se præsumentem, & magnas concipientem spes; adeoque animum tumidum, fastosum, superbum & arrogantem, sive judicio nimium & temere fidat, sive meritis suis superbiat, sive nimis

magna

magna audeat, five fibi nimis multa & magna polliceatur. *Oculi* elati, vel *fublimes*, hominem depingunt, qui, animo faftofo præditus, nullo non indicio eum palam prodit, alios, ut fe inferiores, ex alto defpicit, & infolenter tractat. Utraque phrafis hominem pingit *fuperbum*, fefeque fuperbe *gerentem*; eoque fenfu fatis nota & vulgata, uti Prov. VI: 17. XVI: 5. XXI: 4. Pf. CI: 5. 2 Chron. XXXII: 25.

§. VII. David itaque his phrafibus fignificat, fe in ftatu calamitofo fuo 1. ad vires & merita fua non refpexiffe, nec fecundum ea judicaffe, nec iis fidiffe, aut fuperbiiffe; 2. fe non nimis magna fibi effe pollicitum; erexiffe fe quidem promiffis Dei, fed in eo fe non fuiffe nec temerarium, nec arrogantem; utpote promiffa fibi nec temere, fed folido fundamento adplicuiffe, nec fupra & præter ea fpes fuas extendiffe. 3. adeoque fe nec de providentiæ Dei rationibus in finiftram partem judicaffe, nec perverfa & damnanda media adhibuiffe, fe ulcifcendo, aut in aliorum jura involando, nec contra Deum fe extuliffe aut murmuraffe. 4. contra, fe cum abnegatione fapientiæ, meritorum ac defideriorum fuorum, demiffum & modeftum tenuiffe, & voluntati Divinæ fubjeciffe; fuique liberationem non a meritis & viribus fuis, fed unice a potentia & gratia Dei exfpectaffe.

§. VIII. 2. Addit, *fe non fuiffe verfatum* in rebus fe *majoribus*, & *fibi occultioribus*, h. e. captum fuum longe fuperantibus, cogitationes & ideas fuas longe tranfcendentibus. Quod Pf. CXXXIX: 6. exprimit: *mirabilior eft fcientia tua, quam a me capi poffit, fublimior, quam ut eam adtingere queam.* In his cum neget fe verfatum fuiffe, proprie *ambulaffe*, imo grandioribus paffibus graffatum fuiffe, metaphora defumta ab eo, qui per præruptos montes, vel rupes, graditur, non fine præfentiffimo lapfus ac ruinæ periculo, indicat, fe 1. cogitando & intelligendo in tales res fefe non immififfe, 2. multo minus audaces adfumfiffe hypothefes ad talia myfteria explicanda, & intellectui

ſuo ſubjicienda. 3. adeoque intra modulum ſuum ſe continuiſſe, & Deo ea reliquiſſe, gloria obſequii & ſubjectionis contentum. Expromit ergo animi adfectum erga *mirabilia* & *magna* illa, qualem Apoſtolus requirit, cum vetat *ſe ingerere in ea, quæ non vidit* Col. II. & jubet, *non ſapere ſupra ea, quæ decet ſapere, ſed ſapere* ad *ſobrietatem* & *modeſtiam*. Rom. XII.

§. IX. Sed quæ ſunt illa *majora & mirabilia?* mirandæ, ni fallor, providentiæ Dei viæ & rationes. Etſi enim plura ſint, & eſſe poſſint, in Deo, ejusque natura & operibus myſteria, ad quæ pertingere non datur; ſtatui & ſcopo Davidis tamen mihi videtur convenientius, ea ad opus *Providentiæ* reſtrinxiſſe, cum hic intimum animi adfectum, quem in adflictione ſua habuerit, & Iſraelem in ſimili caſu induere velit, exprimat. Poſſunt itaque ea *mirabilia* referri ad nexum & harmoniam operis providentiæ, ad *fines*, & *cauſas* ac *media*, quare, quo fini, & per quæ media Deus illa omnia agat, ſive reſpectu totius populi, ſive ſingulorum hominum, tum piorum tum impiorum. In ſpecie Davidi hic videntur animo fuiſſe obverſata, partim mala præſentia, quibuscum luctantur pii, partim promiſſa magnifica, piis & pietati facta. In quibus illud mirabile occurrit. 1. quare impietas videatur de pietate, mendacium de veritate, injuſtitia de probitate & innocentia, triumphatura? 2. quomodo veritas promiſſorum ſibi conſtitura ſit? 3. qua via pii ſint eripiendi? & quomodo hoc fieri poſſit. 4. quæ ſit judiciorum divinorum *ratio?* In his & ſimilibus cum ſe *inceſſiſſe* negat, utique ob oculos ponit, ſe non tantum ſibi ab audacibus & Deo injurioſis caviſſe hypotheſibus, iisque temere jactis, ad ea arcana explicanda, ſed ne quidem ſe iis cogitationibus ac meditationibus tradidiſſe, verum ſpe ac fide ſe lactando ad leges providentiæ ſeſe pie compoſuiſſe, perſuaſione illa inplicita contentum, *omnia Dei opera eſſe majeſtatem & gloriam.*

§. X. 2. Quam piam animi adfectionem mox ajente phraſi,

phrasi, vers. 2. in hæc verba exponit. *Nisi complanavi, & compescui animam meam instar lacte depulsi apud matrem suam; instar ablactati anima mea in me.* h. e. Adfectus meos, sive carnales sive naturales, qui in calamitosa illa mea conditione me ad perversum de Dei providentia judicium, ad temeraria dicta, ad murmurationes, aliaque similia, facile excitare, & tranquillitatem mentis, in Deo acquiescentis, perturbare potuissent, adfectus, inquam, illos ita per gratiam Dei compescui, sedavi, rectæ rationi & fidei subjeci, ut in posterum de rectitudine viarum Dei persuasus, & in fide potentiæ, veracitatis ac bonitatis, Dei firmatus, me ad omnes providentiæ Dei leges composuerim, meaque omnia curæ Dei commiserim, animum meum in patientia possidens, & pace ac tranquillitate gaudens; haud secus, ac infans, qui, lactis desiderio deposito, tranquillus & securus recumbit in gremio matris, absque ut *uberum* nimius adpetitus, ut ante ablactationem, tempestatem ciet amplius in mente, & irriquietum reddat, aut ploratus & lamenta producat. Hanc verissimam animi mei fuisse adfectionem, summa cum adseveratione testor; acsi juratus coram Deo. Hanc enim præfert emphasin forma propositionis, quæ sententiam per aposiopesin abrumpit: *nisi sedavi* &c. hac vel simili ratione supplendam: *nisi* ... ... ego Deo mentiar, gratia sim indignus, iram ejus incurram &c. quarum abruptarum locutionum usus est, quam fortissime adseverare, quasi cum juramento. Uti satis notum est. V. Ps. cxxxii: 5.

§. XI. Loquitur de *anima sua*, h. e. adfectibus & desideriis suis, hoc nomine satis notis in Script. S. Proprie נפש dicit *flatum*, *spiritum*, a rad. *respiravit*, inde pro *flatu* superbo, & *adpetitu anhelante* usurpatur. Hic in specie adfectus curiositatis, seu nimium occulta sciendi desiderium, superbiæ, & nimiam de se suisque meritis præsumtionem, denique gloriæ & bonorum hujus vitæ adpetitum, designat. Imo & naturalia desideria, quibus mala quævis aversamur,

ſamur, & bona cupimus, hic non excluduntur, ut mox patebit. Hanc *animam* ſuam dicit *æquaſſe* ſe, & ad *ſilentium redegiſſe*, met. petita a rebus *planæ ſuperficiei*, ſive ab *aqua* nullis ventis agitata; aut aëre ſilente ſine tumultu ac ſtrepitu ventorum, de quo vox דממה uſurpatur, 1 Reg. XIX: 12. Quibus verbis indicat, 1. conditionem ſuam ejus fuiſſe naturæ, ut apta nata ſit *adfectus* illos ſuſcitare, & ingentem in animo concitare tempeſtatem, magnos ſtrepitus & murmura, adeoque fuiſſe ſtatum illum deſideriis ſuis, inprimis adfectibus, adverſum. Qualis eſt ſtatus adflictionum, calamitatum, & quarumvis miſeriarum, qui nec pietati, nec virtutibus Dei moralibus convenire videtur. 2. Hoc in ſtatu ſe compeſcuiſſe & æquaſſe *animam*, ſibi, ſuisque adfectibus & deſideriis, renunciando, curioſitati fibulam ponendo, ſuperbiam domando, & deſideriis frænum injiciendo; adeoque ſibi a temeritate res ſibi occultiores rimandi, ab audacia temere de Deo ejusque viis judicandi, a murmurationibus, ſibi ſollicite caviſſe, ſeſeque ſubmiſſe Deo ejusque curæ commendaſſe. 3. Denique ſe ea ratione & via tranquillitate & pace eſſe gaviſum, & in Deo cum plena animi fiducia acquieviſſe, de ejus potentia & bonitate ſecurum.


§. XII. Pium & abnegationis ſui ipſius plenum animum illuſtrat eleganti emblemate *infantis ablactati:* quod ab Interpretibus paſſim minus, quin male, intellectum eſſe, mirum accidat. Cogitant in hoc emblemate, vel de infante lactis materni avido, & propter ejus carentiam plorante ac fatiscente, vel qui totus a cura & miſericordia materna dependet. *Poſterius* quidem non eſt alienum, ſed infanti lactenti æque ac ablactato convenit, adeoque rationem emblematis tollit; *prius* eſt alieniſſimum a ſcopo poetæ, quippe qui animum ſedatum & compoſitum hoc ſimili illuſtrare vult; a quo infans uberum deſiderio flagrans longe eſt remotus. Eſt, qui ad pios tempore perſecutionis Antichriſtianæ, vi a puro Dei verbo avulſos, & ejus adpe-

adpetentisſimos, refert: ſed de *animo*, qui *deſideriis renunciavit*, & de *ablactato*, non de *lactente*, loquitur. *Infans ablactatus* eſt, qui lactis materni deſiderium depoſuit, ſeſeque in gremio matris tranquillum tenet, ejus miſericordiæ ſe committens. Cum autem *lac* maternum ſit vehementioris deſiderii, etiam maxime naturalis, objectum in infante: pulchre expingit *cupiditatum* & *deſideriorum* noſtrorum objecta, ſive per ſe ſint vitioſa, ſive bona, licita, & ſtatui noſtro congrua, quo referre liceat vitam, valetudinem, commoda, patriam, parentes, amicos &c: quæ *naturalia* ſunt; nec non honores, opes, voluptates & delicias, denique aliorum bona & jura, quæ vitiatæ ſunt naturæ cupiditates, &c. huc ètiam pertinet nimia curioſitas, ambitio, & ingens ſuarum facultatum præſumtio, ac ingenii & judicii fiducia. Hæc qui avide adpetunt, nec ſine iis a murmurationibus, aut perturbationibus mentis, ſe abſtinere poſſunt, ſeſe infantibus *lactentibus* præſtant ſimiles; contra, *ablactati* qualitates præſtant, qui vitioſa & illicita non adpetunt, *licita* non niſi moderate, &, ſi providentiæ ita viſum fuerit, iis renunciant, ſe abnegando, ac voluntati Divinæ ſubmittendo: quod eſt *odio habere* patrem &c. Chriſti cauſa, *oculos eruere*, *manus præcidere*, ſi offendant. In ſpecie huc pertinet, curioſitati, audaciæ & præſumtioni ſui ipſius, modum ponere; nec nimium inquirendo in rationes providentiæ, multo minus *carpendo* eam, nec ad audaces hypotheſes provolando, aut judicando, Deum debere ſecundum ſuos adfectus carnales, & præjudicia, mundum aut Eccleſiam gubernare.

§. XIII. Denique ut *infantis* emblema magis premam, 1. ſicut in infante, qui a *lactis* deſiderio abſtractus eſt, nullius rei ſupereſt adpetitus, nulla curioſitas, ambitio nulla, nulla ſui præſumtio; ita pietatis eſt, modeſtiam & ſanctam ſimplicitatem in rebus divinis ſpirare, nec ſeſe ambitione aliisque adfectibus ſinere abripi, aut ad temeraria, & ſe ſublimiora audenda, incitari. 2. Sicut infantis conditio exigit,

git, ut ſeſe arcte apud matrem teneat, viribus non fidat, nec ſui ſit dominus, ſed matris curæ & directioni morem gerat; eique fidat: ita pietas jubet, eſtque hoc masculæ pietatis proprium effectum. 3. Sicut *infans* ineptus eſt ad parentum gubernationem percipiendam &c. ita nos ſumus reſpectu Dei.

§. XIV. Hanc animi adfectionem cum David in calamitatibus ſpiraſſet, & per eam ſeſe Deo adprobaſſet, nec non ſalutaria ejus effecta expertus fuiſſet: jure merito Israelem ſuo exemplo admonet, ut ſpem collocet in Jehovam, *nunc* & in *perpetuum*, verſ. 3. Cujus adhortationis ſenſum cum Pſ. cxxv: 7. explicuerimus, ſequentia ſuffecerit obſervaſſe. 1. Objectum adhortationis cum adpellatur *Israel*, non qualescunque ad hanc ſpem excitari, ſed quorum ſunt *promiſſa*, quique Israelem imitati ſe iis non præſtant indignos. 2. Exſpectationem illam ad ſuperius Davidis exemplum eſſe conformandam, adeoque cum animo ſe abnegante, & modeſto debere eſſe conjunctam. 3. Hoc animo Israelem eſſe debere, quoties in ejusmodi adflictiones aut pericula inciderit. 4. Denique certum eſſe poſſe populum Dei de ſalutari ejusmodi exſpectationis fructu, adeoque animum non debere despondere; ſed ſub *ſpe contra ſpem* Deo fidere. Continet enim adhortatio tacitum promiſſum de felici eventu.



PSALM.



PSALM. CXXXII.

1. *Canticum adscensionum. Recordari Jehovæ Davidi, omnis adflictionis, vel beneficentiæ, ejus.*
2. *Quod juravit Jehovæ vovit, Heroæ Jacobi.*
3. *Si intravero tabernaculum domus meæ, si conscendero lectum mihi stratum.*
4. *Si somnum oculis meis concessero, dormitationem palpebris meis.*
5. *Donec invenerim locum Jehovæ, habitacula potenti Jacobi.*
6. *Ecce audivimus illud in Ephrata, invenimus illud in agris sylvæ.*
7. *Veniemus ad habitacula ejus, adorabimus ad scabellum pedum ejus.*
8. *Surge, Jehova! ad quietem tuam, Tu & arca roboris tui.*
9. *Sacerdotes tui induant justitiam, & pii tui lætum edant sonum.*
10. *Propter Davidem servum tuum ne avertas faciem uncti tui.*
11. *Juravit Jehova Davidi sincere & irrevocabiliter: e fructu ventris tui collocabo in throno tibi.*
12. *Si observaverint filii tui foedus meum, & instructionem meam, quam eos edocui, etiam filii ipsorum in perpetuum sedebunt in throno tibi.*

13. *Profecto elegit Jehova Tsionem, expetiit sibi esse habitationem.*
14. *Hæc erit requies mea in perpetuum, hic habitabo, quia desideravi illam.*
15. *Annonæ ejus benedicendo benedicam, pauperes ejus saturabo pane.*
16. *Et sacerdotes ejus induam salute, & pii ejus latas voces edent:*
17. *Ibi exsplendescere faciam cornu Davidi, disposui lucernam uncto meo.*
18. *Hostes ejus induam ignominia; & super ipso efflorescet corona ejus.*

PROLEGOMENA.

§. I.

INter alias, longe præclarissimas, regni Salomonici prærogativas, haud infimum locum tenuit, quod, cum duæ primariæ tribus, Ephraim & Juda, mutuis æmulationibus passim fuerint divisæ, & totum populum in partes distraxerint, *Israelitæ* in singularissimam prærogativam & metropolios regni, & Templi, fixi divinæ majestatis domicilii, Judæ concessam, pronis animis consenserint sub Salomone; seseque & regni, & *arcæ*, quæ diutissime inter ipsos *Silunte* fuerat, prærogativa privari æquis animis tulerint. Davidi non, nisi post præcedentes contentiones, sese subjecerunt; *arcam* Tsionem transferri passi sunt; tum quod & ipsi eam diu possederant, tum quod spes nondum deeolaverat, fore, ut vicibus versis ea aliquando ad se rediret; cum, quamdiu *arca* in Tabernaculo resideret, fixum

fixum non habeat locum. Sed, *Templo* a Salomone Hierosolymis condito, hac spe prorsus frustrati, haud injuria videri potuissent justam murmurationis habere materiam, vel potius, ut rectius loquar, æmulationi antiquæ novum videretur pabulum futurum, quo in triste & funestum schisma discederetur. Sed felicitati regni Salomonici adnumerandum est, quod, vetere æmulatione missa, juri suo, quod prætendere potuissent, renunciaverint, & in Hierosolymam, tanquam regni & religionis sedem, consenserint: cujus consensus David suis in totum populum meritis jecit fundamenta, & cui robur addidit Salomonis sapientia & autoritas; sed ad quem promissum Dei de regno Davidis domui adligando, & Templo ab ejus filio ædificando, inter Israelitas vulgatum, eos præcipue compulisse videtur.

§. II. Qua de re quicquid sit, illud constat, Israelitas & concessisse hoc privilegium tribui Judæ, & suo consensu illud confirmasse: quod ut publice fieret, sicut pacis publicæ intererat, ita æqualitas tribuum, quarum aliæ aliis non erant subjectæ, requirebat. Ceterum consensum suum reliquæ tribus, in specie Ephraimitica, publice demonstrarunt, Hierosolymam adscendendo ad Templum dedicandum, & festum initiationis celebrandum, ut historia docet, ut & publicis monumentis eum consignando. Inter quæ monumenta & hoc nostrum canticum locum tenere autumo. De quo paulo accuratius differendum est.

§. III. Qui in hoc canticum mentem oculosque defixerit, is 1. nullo negotio deprehendet, argumentum ejus pertinere ad solennitatem dedicationis Templi Salomonis: cujus historia exstat. 1 Reg. VIII. 2 Chron. V, VI. quod adeo manifestum est, ut nulla indigeat demonstratione. Quid? quod ipsa verba a Salomone usurpata, 2 Chron. VI: 41, 42. hic repetantur, vers. 8, 9. *Surge Jehova* &c. 2. Nec illud difficili negotio percipiet adtentus cantici lector, argumentum ejus esse *confessionem* publicam, cum voti, quod David de Templo ædificando fecit, Deo grati,

ac reapſe nunc per Divinam gratiam impleti, tum *conſenſus* in hanc Dei & religionis ſedem, quippe quem explicant promittendo, ſe Deum in hac æde eſſe adoraturos & quæſituros, verſ. 7. nec non agnoſcendo, eſſe hanc *quietem* Dei ſtabilem verſ. 8. denique repetendo & votis ſuis proſequendo *promiſſum* Dei, per *Nathanem* Davidi factum, de regni perennitate in ejus domo, & Hieroſolyma a Deo in ſedem religionis, & metropolin civitatis electa, verſ. 11. ad fin. 3. Tandem & illud, licet minus obvium, ipſum non effugiet, eos, qui hanc edunt confeſſionem, eſſe *Iſraelitas*, qui Ephraimitarum & ſeptentrionales oras Cananææ inhabitant: quippe quod ex verſ. 6. ſponte elucet, licet ab Interpretibus minus obſervatum. Verba, *ecce audivimus illud in Ephrata, invenimus illud in agris ſylvæ*, connectenda ſunt cum verſ. 2. *quod juravit Jehovæ* &c. & hunc fundunt ſenſum. Quod David Deo vovit de Templo ædificando, illud in Ephrata & usque ad Libanum, quaquaverſum per regiones, quæ Judæ ſunt ad ſeptentrionem, & *audivimus*, & reapſe *deprehendimus* eſſe impletum; ſive, quod idem eſt, Templum eſſe ædificatum, nobis nunciatum eſt, & de ejus dedicatione edicta ad nos delata ſunt, quibus excitati huc venimus. De quo ſenſu mox plura.

§. IV. Ex dictis de *ſcopo* cantici, & *hypotheſi* illud interpretandi, clare conſtat, ſc. illud eo tendere, ut Iſraelitarum conſenſus in ſedem fixam religionis, fundatus in promiſſo Dei & meritis Davidis de univerſo populo, publice ederetur, & totus populus hac parte in unum corpus coaleſceret. Ad quam normam interpretatio cantici eſt inſtituenda. Quæ hypotheſis adeo facilis eſt, & ex cunctis partibus adeo elucet, ut ſponte ſua ſeſe mox in omnium oculos ingerat. Quare ad ejus explicationem me ſine mora adcingo. De *auctore* cantici nihil memoravi, quia nihil, quod adfirmem, habeo; niſi quod *David* pro *auctore* non ſit habendus, licet non deſint, qui de eo cogitant, quod

quod sit Davide posterior, nam tempore dedicationis Templi est compositus, ut ex dictis patet. Sed a quocunque sit factum hoc canticum; de *scopo* ejus dubium superesse non potest. Eo enim collineat, ut Israelitæ consensum suum in Hierosolymam, unicam religionis sedem, publice testificarentur. Si conjecturæ aliquis locus sit, opinarer, canticum publice fuisse ab Israelitis cantatum in festo dedicationis, mox post preces, a Salomone fusas; cum illi tempori non tantum sit accommodatissimum, sed & verba ex illis precibus desumta, surge *Jehova* &c. eo nos ducere videantur.

§. V. Partes generales, in quas canticum se patitur dividi, sunt sequentes. I. Summa totius odes, vers. 1. II. illius deductio specialis, quæ comprehendit. א. agnitionem *voti* Davidici de Templo ædificando, Deo grati & impleti, vers. 2–6. ב. Propositi de Deo eo in loco colendo explicationem, vers. 7. ג. Votum pro stabilitate & prosperitate cultus Dei ea in æde, vers. 8–10. ד. Promissi Davidi facti repetitionem & agnitionem, vers. 11—18.

EXPLICATIO.

§. VI. Summa cantici his verbis emphatice exprimitur, vers. 1. *Recordari Jehova Davidi omnis afflictionis*, vel *beneficentiæ ejus*. Sic ad verbum sonant Hebræa, quorum sensus est amplissimus, quem hac, vel simili ratione proferre poteris. *Recordatus* est Jehova, & *recordabitur*; idque ut faciat precamur, in gratiam Davidis, & promissorum ipsi factorum, vel omnia mala, quæ propter studium Dei & veritatis passus est, & omnes labores, quos ipse pro gloria Dei & bono Ecclesiæ Israeliticæ exantlavit, hos & illa benedictionibus ac bonis compensando; vel omnes beneficentias & gratias ipsi promissas, & concessas.

cessas. Est enim quid ambigui in ultima phrasi, *omnis adflictionis ejus*, vel *gratiæ* ejus. *Prius* verbum Hebræum in Pyhal. passim denotat; sed *posteriorem* significationem etiam admittere potest. Radix ענה proprie dicit *fluere*, ῥέειν, unde tum *dicere*, *respondere* & *benefacere* fluxit, tum *humilem* esse, depressum, adflictum &c. Utrumque in hunc locum non male quadrat. Si *adflictionum* & *laborum* idea servetur, sensus erit, Deum recordari *miseriarum*, quibuscum luctatus fuit, & *laborum*, quos subiit David, pro causa Dei, ipsi ex gratia abunde rependendo, & laborum suorum fructus tanquam præmia ipsi concedendo, quæ erant, quod votorum compos fiat, seu regnum suum sit perenne & prosperum, & religio Dei, in regia sede sua fundata, floreat vigeatque in perpetuum. Hoc sibi in votis semper fuisse, eo cuncta studia certamina & conamina sua collineasse, ipse aperte profitetur, Ps. XXVI: 8. XXVII: 4. & votum ejus, de quo mox, satis indicat. Horum laborum & malorum Deus *recordari* dicitur, cum ea compensat bonis & præmiis, sive, cum concedit & efficit, ut David ea consequatur, quæ intendit, & quo tetendit in laboribus suis; regni sc. & religionis in eo perennitatem & prosperitatem. In quo sensu nihil est, quod carpas. Addamus tamen verbum de alia verbi significatione, quæ *beneficentiam* comprehendit, qua quis aliorum *votis* respondet, & eorum necessitatibus abunde sufficit; ut Eccles. x. & Hos. II. Hoc sensu vertas licet, *omnes beneficentias ejus*, quibus nimirum ipse a Deo mactatus, & largiter *irrigatus* est. Quæ interpretatio robur accipit ex 1 Chron. VI: 42. *Jehova* -- -- *recordare beneficentiarum*, vel *gratiarum Davidis servi tui*, qui locus nostro est parallelus, nec non ex Jes. LV: 3. ubi *fideles*, vel *certæ*, *Davidis gratiæ* memorantur; utrobique occurrit vox חסד, haud absimilis potestatis, ac est nostra, & exprimit *gratias* Davidi factas, sive regni ejus perennitatem & prosperitatem, præcipue in Messia, omnis gratiæ fonte. Quo etiam respicitur in nostro cantico vers.

17.

17. Harum vero *gratiarum* Davidis Deus dicitur *recordari*, cum ſeſe memorem promiſſorum, Davidi factorum, reapſe demonſtrat, ſive cum ſeſe *veracem* præſtat in implendis promiſſis.

§. VII. Conjungamus utramque ideam; & ſtatuamus, vocem hanc, quæ de ambiguo quid trahit, eſſe conſulto captatam, ut ſimul de *adflictionibus* & laboribus Davidis, ſimul de *gratiis* ipſi factis, cogitaremus; quippe quæ cum laboribus cohærent, ut fructus & præmia eorum gratuita: nec Deus adflictionum ejus alio modo *meminiſſe* dicitur, quam eas ejusmodi *gratiis* compenſando, ſe ſeque memorem promiſſorum, ipſi factorum, præbendo. Ceterum phraſis Hebræa, memento *Davidi* omnium adflictionum, vel gratiarum ejus, ut proprie ſonat, eſt ſelecta & emphatica: dativus caſus, *Davidi*, dicit in gratiam & commodum ejus, vox enim *Davidi* hic cum emphaſi abundat, ut in phraſi Lat. *memento mihi bujus*, vel *illius* &c. Sic Exod. XXXII: 13. *memento Abrahamo*, *Iſaaco*, *Jacobo*, *eorum*, *quæ juraſti ipſis*. Lev. XXVI: 45. *recordabor iis pacti antiquorum*. Pſ. CXIX: 49. *memento verbi ſervo tuo*, *ſuper quo ſperare me feciſti*. Sed negligenda non erat, ultimo loco, amplitudo ſenſus, quam conſtructio *recordari Jebovæ* comprehendit. Verbum enim *recordari* occurrit in *infinitivo*, & conſtruitur cum *Jebova*; quod emphaſios cauſa factum eſt, ut de *præterito* & *fut.*, ſimul *imperativo*, cogitaremus: quos uſus habet infinitivum in Script. S. idem ergo eſt, acſi legeretur; *recordatus* eſt & *recordabitur*, idque ut faciat, optamus & precamur. Præteritum hic excludi non poteſt, quod *votum* Davidis per gratiam Dei impletum de Templo ædificando hic memoretur, ut mox videbimus, quodque Salomo in oratione dedicatoria Templi ædificati, diſerte Deo gratias agat, quod *Davidis* recordatus fuerit Deus, efficiendo, ut Templi ædificatio feliciter ad exitum fuerit adducta. 2 Chron. VI. *Futurum* cum optatione conjunctum, ſequentes cantici partes omnino requirunt; ut inſpicienti patebit.

§. VIII. Manifestum itaque est, *primum* versum totius cantici *summam* continere. In eo enim versatur canticum, ut tum votum Davidis impletum agnoscatur & celebretur, tum omnes confiteantur, se in ea æde Deum culturos, tum ut omnium vota pro implendis reliquis promissis Davidi factis explicentur. Deductionis itaque *a. prima* pars continet Ephraimitarum confessionem de voto Davidis, Deo grato & impleto, respectu ædificationis Templi, vers. 2-6. *Quod juravit Jehovæ .. — .. illud ecce audivimus in Ephrata, invenimus in agris sylvæ.* h. e. Templum, quod David Deo vovit, esse ædificatum, & initiandum, publicis edictis nobis per omnes regiones Ephraimiticas, usque ad Libanum, est *notificatum*, & a nobis *acceptum*. Sic enim voces construendæ sunt, quando apte cohæret oratio. Interpretes passim vers. 2. reddunt, *qui juravit* &c. & vers. 6tum ad arcam referunt, varieque explicant. Sed oratio sic redditur difficilis & intricata, cum secundum nostram versionem cuncta prono alveo fluant. Quod juravit & vovit de Templo ædificando, illud, ecce! percepimus, audivimus & deprehendimus, esse impletum, notitia hujus rei ad nos in *Ephrata*, ac usque ad *agros sylvæ*, perlata.

§. IX. Videamus *α.* de voto Davidis, vers. 2-5. *β.* de implemento ejus, publice annunciato, vers. 6. *α.* Votum Davidis non est nudum, sed juramento confirmatum, dicitur enim *jurasse Jehovæ, & votum fecisse Heroi Jacobi.* h. e. votum fecisse cum summa & fortissima adseveratione sive juramento, quo Deum testem & vindicem invocavit sinceritatis suæ in vovendo. Titulus *fortis Jacobi*, quo Deus hic insignitur, ab ipso Jacobo profectus Gen. XLIX: 24., & inde vulgatioris usus factus, ut ex Jes. I: 24. XLIX: 26. aliisque locis patet, Deum hic ob oculos ponit, tum ut *potentissimum*, qui perjurum gravissime punire potest, & quocum nemo contendere ausit, tum ut Israelis *vindicem* & adsertorem fortissimum, qualem & Jacobus ipsum erat expertus, & omnes ejus posteri, in specie David,

qui

qui hoc heroa & propugnatore sæpe gavisus & gloriatus est: talis heros Jacobi & merebatur, cui Templum ædificaretur, & perjurum non ferret.

§. X. Sed quid *vovit?* quæ juramenti & voti materia? illud verba sequentia aperiunt, vers. 3--5. *Si intravero tabernaculum domus meæ, si conscendero lectum mihi stratum: si concessero somnum oculis meis, dormitationem palpebris meis: donec invenerim locum Jehovæ, habitacula potenti Jacobi.* sc. puniar, peream, & gravissimo reatu obstrictus censear: qua ratione abruptam juramenti formulam esse supplendam, ad Ps. præcedentem jam observavi; & est tralaticium. Nihil hic difficile: quare uno, alterove observato defungar. 1. *Locus Jehovæ & habitationis magnifici Jacobi* significat *locum habitationum Jehovæ, qui est magnificus Jacobi.* Divisio vocum est elegantiæ sermonis adscribenda. *Locus* vero *habitationum* dicit *a.* sedem fixam, & stabilem, opposite ad *tabernaculum*, loca sæpe mutans, ut hucusque factum fuerat, *b.* sedem magnificam, aliquatenus respondentem *Majestati herois* Jacobi, palatium regium, & splendidum. Quare *habitationes* in plurali memorantur, ut illustre & amplum domicilium, multis mansionibus præditum, significetur.

§. XI. 2. Phrasis *invenire* locum, sicut ardens studium Davidis, quo omni ope id quæsivit, pro hypothesi habet, ita non simpliciter significat locum aptum & Deo gratum designare, sed & rem perficere; ita ut sedem fixam & magnificam Deo comparaverit. *Invenire* enim etiam denotat, adsequi, præstare, efficere. Sic manus dicitur *invenire osores*, quos sibi subjicit, Ps. XXI: 9. & *invenire* est *præsentem sistere*, uti Deus *inveniri* dicitur, cum præsens offertur alicui. 3. Denique, cum dicit, se nec *domum intraturum*, nec *somnum capturum*, donec tale palatium Deo stiterit, *a.* in genere indicat, quanto in id feratur studio; ita ut omnia etiam vitæ necessaria huic operi postponere paratus sit. Locutio est hyperbolica, quæ fervens studium,

dium, & firmum propositum rei, quam citissime perficiendæ, significat: cujus sensus huc redit, Ne *intrarem quidem domum* &c. si res mei esset arbitrii, si fieri posset, tanto ducor studio &c. Sed in specie indicat, 1. indignum esse, se stabilem sedem, post tot tantosque labores & errores, consecutum, & firma pace ac tranquillitate gaudentem post tot certamina feliciter peracta, Deo, heroi suo, & horum bonorum largitori, relicturum sedem erraticam: adeoque se domum suam tranquille inhabitare non posse, innuit, antequam fixum, Deoque dignum, domicilium invenerit. Sensus est, intrare non possum, ut tranquille inhabitem domum, antequam id perfecero. Hoc ipsum est, quod Nathani dixit, 2 Sam. VII: 2. *ecce ego incolo domum cedrinam, & arca Dei inhabitabit aulæa.* 2. Et illud hic involutum latet, tempus nunc esse opportunum de stabili Dei sede cogitandi; tum quod Deus populo concesserit securam & stabilem terræ Cananææ inhabitationem, ante quam fixa sedes *arcæ* non magis conveniebat, quam in deserto, tum quod Tsionem perpetuam regni sedem consecutus fuerat; ante quod tempus Deus sedem capessere non poterat, utpote metropoli regiæ domus Davidicæ adligandam: quo pertinet phrasis אהל *tentorium domus meæ*, quæ ad Tsionem, arcem Davidicam, ducit, uti Jes. XVI: 5. uti Cl. Commentator observavit, & 1 Sam. XVII: 54. cui propria vocis potestas etiam concinit; quippe in *laxo*, *relaxato*, sita, collata Arab. והל, unde sedis notio fluxit, ubi quies capitur, & relaxatio itineris, tum denique, quod regnum eo scopo domui Davidicæ erat adfixum, ut Templum Dei ædificaretur.

§. XII. Hoc votum etsi nusquam legamus a Davide ipsis hisce verbis prolatum; attamen ipsi, ejusque studio in religionem, & proposito domum Jehovæ ædificandi, adeo est consentaneum, ut, si non fuerit ab ipso disertis verbis conceptum, simile quid ab ipso fuisse profectum, facile colligi potuerit, quod hic abunde sufficit. Licet fieri potuerit,

rit, tale quid a Davide fuisse enunciatum, quod, litteris, quæ supersunt, non consignatum, per ora sanctorum volitaverit. Quid? quod hæc verba nil nisi paraphrasin contineant dicti Davidis, 2 Sam. VII. modo interrogative legatur, ut debet. *Egone domum cedrinam incolerem*, & *arca aulæa?* absit, absit. Qua de re quicquid sit, illud constat, Davidem *voti* non fuisse factum compotem, nisi per *Salomonem;* cui hoc privilegium, ut notum est, a Deo concessum fuit, ut Jehovæ ædificaret domum, attamen *a.* Deus adprobavit, & inplementum promisit, *b. locum* domus *designavit*, 1 Chron. XXII: 1. 2 Chron. III: 1. *c.* Typum Templi *descripsit*, & *ad id præparavit* omnia, 1 Chron. XXII. Perfectum a Salomone fuisse, Israelitæ his verbis agnoscunt: vers. 6. *Ecce audivimus illud in Ephrata*, *invenimus illud in agris sylvæ.* Quæ verba de voto impleto, & Templi exstructione peracta, esse intelligenda, *a.* nexus cum superioribus evincit. Voto memorato mox subjungitur, *audivimus*, *invenimus*, sc. quod David se *inventurum* voverat; quo nihil est aptius. *b.* Particula *ecce*, quacum hic versus incipit, in rem effectam nos ducit. David *vovit*, *ecce* rem perfectam! *c.* Subjungitur mox, vers. 7. *Intrabimus habitacula ejus*, argumento, illa esse *erecta. Ecce*, dicunt, *audivimus illud*, *proprie illam* sc. *rem.* foemin. enim apud Hebr. pro *neutris* sumuntur, uti in vulgus notum est: vel ad vocem *habitacula* referri potest; solent enim adfixa foemin. sing. ab orientalibus subjungi pluralibus masc. & foemin. Ceterum *audire* & *invenire* exprimunt rei præsentis certum nuncium. *Invenire* est rem quæsitam consequi, & possidere; David quiescere noluit, donec *inveniret*, nos *invenimus;* sc. fixum Jehovæ domicilium adepti sumus. Sed addunt, *audivimus*, ut indicarent, se nondum oculis, sed auribus percepisse, & deprehendisse, per *nuncios* nimirum ad eos emissos, quibus hac de re certiores facti, & ad festum *dedicationis* invitati sunt.

Respicitur ad *nuncios* a Salomone quaquaversum directos, ut ex 2 Chron. VI. notum est.

§. XIII. Sed ubi hæc perceperunt? *in Ephrata & agris sylvæ.* h. e. in locis propinquis, & remotis, cultis & incultis. Est hic quid facile, est difficile intellectu. Per *agros sylvæ* equidem vix dubitaverim, quin agrestes & incultæ non tantum regiones intelligantur, sed in specie digitus ad montem Libani intendatur, quod jam vidit Chaldæus. Sic Jes. XXXII: 19. *& grandinabit in descensu sylvæ*, & Jes. X: 34. *Et destringet perplexa sylvæ ferro, & Libanus cadet.* Sunt multa alia loca, in quibus nomine *sylvæ* respicitur ad Libanum, ut Ez. XXI. Zach. XI. Jer. XXI. &c. *sylva* itaque κατ᾽ ἐξοχὴν sic dicta *Libanum* & *Antilibanum* designat. *Agri sylvæ* sunt regiones illi subjectæ; quod non est difficile. Sed quid erit *Ephrata?* nomen est antiquissimum *Bethlehemi*, ut constat ex Gen. XXXV: 19. XLVIII: 7. Unde *Bethlehem Ephrata* Mich. V. Sed *Ephraimita* etiam adpellatur *Ephratæus*, Jud. XII: 5. Posset quoque pro loco *fertili* & *frugifero* sumi; quæ vocis est significatio, & unde tractus Bethlemiticus hoc nomen hausit. Adplicemus hæc ad nostrum locum. 1. Si *Bethlehem* intelligatur, sensus erit; primum nuncium quidem esse delatum Bethlehemum, civitatem Davidis, cui hæc prærogativa competebat, quod familia Davidis inde esset orta; præterea *Bethlehem*, eam ob rationem exempli gratia nominata, in genere, vel loca *vicina* signabit, vel tribum *Juda* &c. *Agri sylvæ* loca quævis remotissima, & totius regni Ephraimitici ditiones, usque ad extremos fines. 2. Si *Ephratæos* intelligere placeat; eodem recidet sensus: audivimus inter *Ephratæos* usque ad ultimos fines. 3. Si denique agros *fertiles* intellexeris, iisque opponas *agros sylvæ*, sensus erit, per quæcunque loca nuncios penetrasse, culta & inculta; adeoque per totam terram Cananæam quaquaversum.

§. XIV. Votum Davidis, quod de Templo ædificando

do Deo fecerat, summo Numini fuisse adprobatum, & gratum, & nunc reapse adimpletum, adeoque Templum fuisse ex voto, Deo accepto, & ita secundum voluntatem Dei, a Salomone exstructum, posteaquam Israelitæ agnovissent, & eo ipso se in hanc ædem, ut stabilem ac unicam religionis sedem, consentire testati fuissent, quæ summa est præcedentis pericopæ, nunc ulterius profitentur, 3. sibi firmum fixumque esse propositum Jehovam ea in æde quærendi & adorandi, vers. 7. *Veniemus ad habitacula ejus; adorabimus ad scabellum pedum ejus.* Sic enim rectius quam *veniamus*, *adoremus*, vertimus. Verba enim non tam mutuam cohortationem, quam *propositi* explicationem continent, quod cum *scopo* & argumento cantici conjunctius est, & verba futuri temporis directe dicunt. Profitentur itaque Israelitæ, *a.* se Templum pro *habitaculo* & *scabello pedum* Dei habere, & habituros esse semper, *b.* nec negligentes se fore in Deo hic colendo, sed statis vicibus huc venturos, saltem festis solennioribus; ut lex jubebat, & hic *adoraturos*, seu cultum Dei ex præscripto legis exercituros. Totus enim cultus *adorationis* nomine hic venit, quod ea præcipuam ejus partem faciat, & sacrificia ac oblationes sine suppliciis non fierent, imo supplicationes essent *reales*, sive gratiarum actionum, confessionum, petitionum, & precum, sive pro peccatorum remissione, aut quibusvis bonis, signa & fundamenta typica. Quare Templum κατ' ἐξοχὴν *domus precationis* adpellatur Jes. LVI: 7. qui locus sublimiorem tamen habet sensum, sed in typico fundatum. Conf. Ps. XCV. & in primis preces Salomonis, cum Templum initiavit: in quibus *precum* hic fundendarum tantum meminit, easque ut Deus ibi exaudiat, petit. Quo etiam facit & phrasis, *supplicare* ad *Templum*, de iis usitata, qui Deum Israelis ibi venerabantur quocunque modo. Ceterum Templum hic tum *habitaculorum* nomine, de quo ad vers. 5 *tum* dixi, tum *scabelli pedum* ejus venit; quod hic verbo est explicandum. Dubium mihi non est, quin

popu-

populari hac phrasi, θεοπρεπῶς intelligenda, respiciatur ad *arcam*, supra quam thronus Dei in *nube*, vel inter *Cherubinos*, Divinæ majestatis sede typica & externa, residebat: cujus respectu ipsa *arca* pro *scabello* pedum erat habenda. Sic diserte I Chron. XXVIII: 2. ubi David declarat, sibi animo fuisse *domum quietis* ædificare *arcæ foederis* & *scabello pedum Dei*. Nec tamen prorsus spreverim, Templum ipsum hoc nomine *scabelli pedum* Jehovæ insigniri, ut Jes. LX: 13. ubi *locus sanctuarii* & *pedum* alternantur. Ez. XLIII: 7. Ps. XCIX. & alibi: cujus rei rationem non tam ab *arca* repetierim, quam a relatione terræ ad coelum, quippe quæ distinguuntur respectu inhabitationis Dei, ut *thronus* & *scabellum* pedum; Jes. LXVI: 1. Deus enim populariter censetur *coelum inhabitare* & *terram*, sed *illud* ut superiorem locum & thronum, *hanc* ut infimum Majestatis & gloriæ divinæ instrumentum ac suppedaneum. Cum autem in *terra* Templum sub Oecon. V. esset verus locus & unicus, in quo Deus ab Israelitis coli & quæri vellet; hinc recte pro *scabello pedum* haberi potuit; ut a sede coelesti distingueretur. Denique quum Israelitæ hic dicunt, *se adoraturos* esse *ad scabellum pedum Dei*, nemo illud ita intelligat, acsi ipsum *scabellum* adorare velint, quod & a modo Dei colendi sub V. T., & a phrasi ipsa, alienum est; aliud enim est, *scabellum* adorare, aliud *ad* illud; hoc enim locum adorationis non objectum designat; locum adorationis vero, vel in quo, vel versus quem, sc. facie & oculis eo versis. Utrumque admittit præfixum ל, utrumque hic locum habere potest. Si *ad* & *versus* reddas, tum per *scabellum* erit *arca* intelligenda: si *in*, de Templo capi potest, ut Ps. XXX. in *monte sanctitatis* adorare. Etsi vero *ad* & *versus* Templum etiam adorari possit, illud tamen absentibus rectius quam præsentibus competit; ut I Reg. VIII: 44, 48. *orabunt Te via civitatis hujus*, & *domus*, cujus adorationis versus Hierosol. & Templum illustre est in *Daniele* exemplum, nec non in Judæis exulibus. Hic autem

tem Israelitæ tanquam Hierosolymæ præsentes & in Templo occurrunt; dicunt enim, se *venturos*, quare *ad* Templum hic dici nequeunt adorare, sed, vel *in Templo*, vel *ad arcam*, prout *scabellum* pedum, vel de Templo, vel de *arca* exponitur.

§. XV. Huic propositi sui, de Deo Hierosolymis in Templo colendo, explicationi adjungunt, 1. votum pro continuatione & stabilitate inhabitationis Dei, ut & pro *signis* favoris Dei hic præstandis, vers. 8, 9. *Surge Jehova ad quietem tuam, Tu & arca roboris tui, sacerdotes Tui induant justitiam, & pii Tui lætum edant sonum.* Vix dubitaverim, quin Israelitæ hic ad preces Salomonis, 2 Chron. VI., quibus ædem consecravit, respiciant; & verba vers. 41, 42., quibus rex preces finivit, inde desumant, suaque faciant, eo scopo, ut sua vota se cum voto Salomonis conjungere indicarent: acsi dicerent. Quod Salomo, cum *arcam* in Templum transtulit, vovit, ut locus stabilis Dei quietis sit Templum, Deusque ibi rite & cum fructu colatur in perpetuum: illud nos similiter votis nostris expetimus, eoque ipso testatissimum volumus nostrum consensum in hanc religionis sedem; nihil magis in votis habentes, quam ut Deo hæc sedes perpetuo placeat, ejusque sui beneplaciti signa det, & effecta. Cum itaque dicunt, *Surge Jehova*, non indicant, arcam nondum in Templo esse collocatam, ut verba continere videntur, sed Salomonem iis verbis suo æque ac aliorum nomine esse usum; seseque illud *surge Jehova* Salomonis etiam *suum* facere.

§ XVI. Votum his versibus comprehensum duplex est, *alterum* pro stabilitate, & perennitate quietis Dei in ea sede, vers. 8., *alterum* pro cultu ibi rite & læte defungendo, vers. 9. *Prius*, *surge Jehova* &c: idem dicit, ac, sit hic locus *quietis* Jehovæ & arcæ sedes stabilis & tranquilla. Phrasis desumta est a solenni formula, qua Moses in deserto uti solebat, cum *arca* se moveret ante castra ad locum quietis monstrandum, & cum illa alicubi pedem figeret.

Arca loco se movente, dicebat: *surge Jehova & inimici tui dissipentur*, cum consisteret; *revertere Jehova ad myriades Chiliadum Israelis*, Num. x: 35, 36. Huc respiciens dixerat Salomo, cum arca in Templum transferebatur, *surge Jehova ad requiem tuam*, *verba* Mosis paulum immutans convenienter statui rerum præsenti. Tempore Mosis *arca* locum continuo mutabat, &, cum loco moveretur, precabatur, ut *hostes* a facie ejus dissipentur, eoque facto rediret ad exercitus Israelis. Sed hic orat Salomo, ut *surgat Jehova ad requiem suam*. h. e. ut sese loco moveat ad capessendum stabilem *quietis* locum: eo ipso indicans, 1. nullos restare *hostes* debellandos, sed populum circumquaque profunda frui pace, & tranquillitate; adeoque *arcam* nunc *quiescere* posse. Quæ solius regni Salomonis erat prærogativa, quare ante illud tempus *Templum* exædificare non licebat, ne quidem tempore *Davidis*: quia *domus* quietis Deo & arcæ non nisi tempore publicæ & stabilis *quietis* populi & reip. conveniebat: ut diserte 1 Chron. XXII: 9. 2. *Templum* esse fixam & stabilem religionis sedem, opposite ad *tabernaculum*, loca continuo mutans, ut est, 2 Sam. VII: 6. quare domus *quietis* Dei adpellatur Jes. LXVI: 1. 1 Chron. XXVIII: 2. Hæc indicat cum dicit *surge Jehova ad requiem tuam*; est acsi diceret: quod ante dici solebat, cum Jehova hostes debellaret, & locum populo quæreret, illud ego nunc alio scopo profero, qui & pace alta gaudeo, & Deo stabilem sedem acquisivi; quare *surge Jehova*, & *capesse locum quietis*; tempus nunc est opportunum id faciendi. Sed verba non hoc tantum significant, verum & votum cum precibus conjunctum comprehendunt, quo supplex petit Salomo, 1. ut Deus in hac *æde*, tanquam sede religionis, acquiescat; eamque, tanquam domum fixam, sua præsentia, seu gratiæ & favoris signis, repleat, 2. ut sit, maneatque domus Dei in *perpetuum*, vers. 14. 3. ut Deo ibi *quiescere* liceat, absque ut opus sit denuo ad *hostes* deprimendos *exire*, vel, quod idem est,

ut populus, & metropolis regni Hierosolyma, perpetua pace & prosperitate fruatur. Ceterum, cum distincte dicitur, *tu* & *arca*; hinc supplendum esse notetur dictum Mosis, *surge Jehova*, *tu* sc. & *arca*, ne quis illud perverse de *arca*, acsi nomine *Jehovæ* insigniatur, intelligat: quod facillimum est. *Tu & arca*, est arca cum symbolo præsentiæ tuæ super ea. Sed quare *arca roboris Dei?* 1. quod *potentissimæ* majestatis sit sedis symbolica, 2. quod *roboris* Dei multa data fuerint per *arcam* indicia & effecta: utique Deus ex hac majestatis suæ sede, sese invicto robore, & vi omnia subigente, esse præditum, sæpe demonstravit: ut in deserto, surge Jehova, *dispergantur* inimici, & Cananææ occupatione. 3. Addere liceat, quod super arca illud sit, quod populus respicere queat, & debeat, tanquam *status* sui firmissimum & unicum robur; nimirum *gratiam & justitiam* Dei, per *operculum* arcæ, τὸ ἱλαστήριον depictam, Rom. III: 25. quo sensu habetur, Jes. XLV: 24. *in Jehova sunt justitia & robur*, & Prov. XXVII: 5. *nomen Jehova est turris robusta*, *eo confugiet justus*. &c: quod ex vers. seq. aliquid roboris acquirit, ubi vovetur, ut *sacerdotes induant justitiam*.

§. XVII. Adjungitur vers. 9. *alterum* votum pro cultu Dei coram arca, vel in Templo, rite & læte a ministris sacris exercendo; *sacerdotes tui induant justitiam*, *& pii tui laeta sonent*. Quibus verbis, *a.* indicatur, domum quietis Dei esse locum cultus ac religionis, ubi Deo sunt *sacrificia* offerenda & preces fundendæ, vel eo dirigendæ. *b.* Vovetur & supplicatur, ut cultus ibi exercendus Deo placeat, & cum favoris divini signis conjunctus sit. *Sacerdotes* & *pii* sunt quævis personæ *Deo sacrae*: nec enim per *pios* alii intelliguntur ac per *sacerdotes*, nisi quod *piorum* titulus paulo sit generalior, sese ad omnes Deo sacros extendens, & *sacerdotum* qualitates exprimat: quæ ratio est, quare *sacerdotibus* adjungantur *pii*, tum ut de quibusvis Deo consecratis cogitaremus, tum ut personarum Deo sa-

crarum qualitates, quas præstare debeant, significarentur. Etsi *pii* passim de quibusvis *sanctis*, pietatis & charitatis studiosis, intelligantur, quod non spreverim; mihi tamen rectius videtur, personas sacras hac voce designari, quod cum priore versus membro aptius cohæret. Nec inusitata est hæc vocis *pii* restrictio: sic Aaron eximie insignitur, Deut. XXXIII: 9. & Christus qua sacerdos Ps. XVI: 10. ut & in genere personæ sacræ Ps. L: 15. *congregate mibi pios meos, qui foedus mecum pangunt super sacrificio.* Ita ὅσιος Græcis usurpatur. Sint itaque *pii* personæ Deo sacræ, in specie, si vis, *Levitæ*, quorum erat, carmina sacra Deo inter sacra accinere; quo verbum, *lætos edere sonos*, referri potest. *Piorum* titulus personis sacris datur, tum quod sint Deo ejusque cultui *devotæ* & consecratæ, benignitatis & favoris Dei peculiaria objecta; חסיד enim proprie est, *benignitate adfectus*, tum quod peculiari modo *pietati* & *benignitati* studere, seu *succo* interiore virtutis & charitatis manare debeant: quæ vis vocis est.

§. XVIII. *Sacerdotes*, vovetur, ut *justitiam* induant, *pii ut læta sonent.* 1. Prius passim ad *virtutes morales*, æquitatis, veracitatis, sanctitatis & justitiæ, quibus sacerdotes & personæ Deo sacræ ornatæ esse debeant, referri solet. Quod licet verum sit, nec hic exclusum velim; primo tamen & directe intendi, non autumaverim; *a.* quia, *beneficium* in pios sacerdotes & viros sacros conferendum hic intelligi, *votum*, & sequens membrum *pii laetentur*, exigit. *b.* quia vers. 16. diserte per *salutem* explicatur. *c.* Addatur, *justitiam* & *salutem* stylo script. V. T. tanquam bona vicina conjungi solere, ut Jes. XLVI: 13. *adpropinquare facio justitiam meam -- -- -- & salus mea non cunctabitur*, XLV: 8. *aperiat se terra*, & *fructificet omne genus salutis & propullulet justitiam*, CI: 8. *Et justitia mea in aeternum erit*, & *salus mea in omnem generationem*, ib. vers. 5. *propinqua est justitia mea: exiit salus mea*, nec non vers. 6. denique LXI: 10. *Induit me vestibus salutis; pallio justitiae amici-*

amicivit me, & Pſ. xcix: 2. *notificavit Jehova ſalutem ſuam, coram oculis gentium revelavit juſtitiam ſuam.* d. Nec illud nihili eſt, 2 Chron. vi: 41. unde, hæc verba deſumta ſunt, haberi, *ſacerdotes tui induant ſalutem, & pii tui laetentur bono.* His rationibus motus intellexerim per *juſtitiam*, qua ſacerdotes tanquam *veſtibus* ornandi ex hoc voto forent, 1. omnium bonorum, qua corporis, qua animi, abundantiam & adfluentiam: quæ quam apte nomine *ſalutis* veniat, nemo ignorat, niſi cui propria vocis ישע poteſtas, in *amplitudine, laxitate* & *ſpatio*, ſita, ignota eſt. Ita Job. v: 4. *longe aberant filii ejus a ſalute*, ſeu, omni bonarum rerum copia. Sed quare *juſtitia* adpellatur? ex eo vocis uſu, quo benignitatem & beneficentiam denotat, unde ad *eleemoſynas* transfertur, ſic pro bonorum abundantia venit, Jeſ. xlv: 8. Addi poteſt, *juſtitiam* hic pro effectis & ſignis *juſtitiae* & *veritatis* Dei ſumi: quo ſenſu *indui juſtitia* dicet, eam publice præferre & oſtentare per omne genus bona, quæ de ea teſtantur.

§. XIX. 2. Sed hic non ſubſtiterim; verum ſcholæ ſanctorum convenientius interpretarer *juſtitiam* de beneficio remiſſionis peccatorum, & juris ad communionem Dei, hoc nomine inſigniri ſolito, quod ex virtute *juſtitiae* Dei profluat. Deus enim qua *juſtus* & *aequus* judex *jure* remittit peccata, intercedente *victima*, quæ has virtutes Dei illuſtrat. Quod nemini noſtrum aut ignotum, aut dubium, exiſtimem. Adplicemus modo ad *ſacerdotes*: quo fini illi, tanquam interceſſores, vi muneris & nominis, conſiderandi ſunt, qui pro populo apud Deum intercedunt, & virtute victimæ, ac oblationis, favorem Dei, ſalva ejus juſtitia, imo ex ipſa, impetrant. Hi itaque dicuntur *juſtitiam induti*, quum ſeſe Deo hac in re comprobant, & *jus* ad beneficia, favoris Dei ſigna, conſequuntur. *Sacerdotes* ſunt *juſtitia* veſtiti, cum *jure* ad bona gratiæ pro ſe & populo, cujus perſonam gerunt, gaudent: quæ ipſa bona nomine *ſalutis* veniunt: qua ratione hæ vo-

ces recte junguntur. Ceterum illud addatur, quo dicta confirmari & illustrari possunt, sacerdotes, victimas pro peccato offerentes, peccata populi dici portare; tanquam qui in communionem victimæ, peccatis onustæ, veniant: quare, postquam litaverint, recte dici possunt *justitia* præditi. Quo, sed excellentiore, sensu Dominus noster *peccatum* & *justitia* dicitur pro nobis factus. Quod enim ipsi vera emphasi convenit, in *sacerdotes* non nisi *typice* & umbratili sensu quadrat, uti notum est.

§. XX. 2. Veniamus ad posterius, quod Levitarum in primis respectu vovetur, hac phrasi expressum, *laeta sonent pii tui*, proprie *tremulum* & *tinnulum* sonent. Pertinet enim verbum רנן ad nomina πεποιημένα a sono efficta; est autem in ר *tremulus*, & in נ *tinnulus* sonus. Inde ad *laetitiam*, in qua *tremulus* & *tinnulus* sonus inesse solet, transfertur, & de lætis cantibus usurpatur. Quod huc egregie quadrat. Vovent itaque his verbis, ut personæ sacræ omne genus *laetitia* gaudeant, & Levitæ in specie non nisi læta carmina, nunquam *lugubria*, cantent; adeoque Resp. & Ecclesia floreat, & sacra in Templo cum lætitia, & signis favoris Dei, peragantur; opposite ad illud, quod Joel. 1: 13. præcipitur, *accingite vos sacco & plangite sacerdotes, ejulate ministri altaris, pernoctate in saccis: munus enim farreum, & libamen sunt exclusa aede Dei vestri.* & c. 11: 17. *Inter porticum & altare fleant sacerdotes, ministri Jehovae* &c.

§. XXI. Votum Davidis pro ædificando Templo Hierosolymis cum agnovissent Israelitæ esse impletum per Salomonem, suumque propositum Dei ibi colendi testificati essent, nec non vota & ipsi nuncupassent pro prosperitate Templi, & cultus ibi exercendi; quæ superiores cantici partes fuerunt: tandem subjungunt repetitionem juramenti, quo Deus Davidi juraverat perpetuam regni in familia ejus successionem, modo filii ejus insisterent vestigiis Davidis; nec non Hierosolymæ & Sionis, tanquam regni & religio-

religionis unicæ sedis, firmum ac prosperum statum. Quæ promissa Davidi facta eo scopo memorant, tunc ut se huic promisso adsentiri testarentur, adeoque familiam Davidis pro sola regia, & Hierosolymam pro unica regni & religionis sede, habituros, tunc ut votorum suorum pro urbis & Templi prosperitate, modo factorum, *fundamentum*, in hisce promissis Davidicis positum, explicarent, adeoque se de implemento esse persuasos significarent.

§. XXII. Promissum Davidi factum hic profertur duplex, *alterum* de regno in domo Davidis perpetuo, vers. 11, 12. *alterum* de Hierosolyma unica religionis & regni sede, vers. 13-fin. Præmittitur scopus & ratio, quare ea promissa proferantur, ut Deum ea ratione ad vota sua exaudienda & permoverent, & certo permovendum esse, adeoque vota sua implenda, indicarent, vers. 10. his verbis. *Propter Davidem servum tuum, ne avertas faciem uncti tui.* h. e. preces a Salomone, uncto tuo, modo fusas pro domus hujus perennitate & felicitate ne repellas, sed impleas propter gratiam, in qua Tecum fuit David servus tuus, & propter promissa, ipsi facta. Vota sua modo verbis Salomonis expresserant, eoque ipso se precibus Salomonis adsentiri indicarant: has preces a Deo exaudiendas esse, nunc cum petant, eo ipso votorum suorum implementum supplicant: quare aptissime orant, ut Deus precibus Salomonis adnuat. Sunt, qui per *unctum* Dei hic intelligunt *Davidem* ipsum: sed 1. tunc prius membrum, *propter Davidem servum tuum*, per se staret, nec cum seq. connecti posset: oratio enim offenderet, si una serie legeretur, *propter Davidem ne avertas Davidem.* 2. Phrasis, *ne avertas faciem*, nos ducit ad *preces*, ut 1 Reg. 11: 20., quibus vultum ad eum, quem supplicamus, convertimus; quæ si respuantur, vultus cum pudore & ignominia sese avertere cogitur. *Preces* vero, quæ hic in censum venire possunt, non sunt *Davidis*, sed *Salomonis*, tum quod post mortem Davidis ode sit composita, tum verba ex precibus Salo-

monis

monis desumta præcesserint, vers. 8, 9. 3. Denique hæc ipsa verba, licet aliter ordinata, finiunt preces Salomonis 2 Chron. VI: 42. *Jehova Deus*, *ne avertas faciem uncti tui*, *recordare benignitatum Davidis servi tui*: quæ verba prorsus eundem sensum fundunt, quem nostra, *propter Davidem* &c: dubium vero non est, quin *unctus Dei* in precibus Salomonis sit ipse *Salomo*, qui precatus erat.

§. XXIII. Orant itaque Israelitæ, 1. ut Deus exaudiat preces Salomonis, quibus ipse Templum modo initiaverat. Illud enim phrasis, *non avertere faciem* precantis, indicat, ut modo observavi. Sed addatur, phrasin *avertere*, *retroire facere*, faciem, non simpliciter *repulsam* complecti, sed *ignominiosam*; qua quis *certa* sua spe excidit, vel *spes eum pudefacit*, uti est Rom. v. adeoque tacite innuitur, Salomonem summa cum fiducia orasse; nec posse *repulsam* pati, nisi Deus pudore velit adficere eum, qui ipsi tam pie, & solido fundamento, confidit: quod cum fieri nequeat, se cum fiducia id supplicare, *ne Deus avertat faciem* ejus, indicant. Eo etiam tendit titulus *uncti Dei*, quo Salomo hic insignitur: eo enim significatur, ipsum singulari Dei gratia & favore regem esse factum, & Davidi in regno successisse: talis personæ faciem avertere quomodo Deus posset? 2. Orant hoc scopo & animo, ut votorum suorum complementum in eo esse fundatum indicent, quod Deus exaudiat preces Salomonis. 3. Votorum implementum & precum exauditionem non a se, suisque meritis, sed a gratia Dei, qua ipse *Davidem* prosecutus est, derivant, & in eo fundant; cum dicunt *propter Davidem servum Tuum*, *ne avertas faciem uncti tui*. h. e. Propter Davidem, qui fuit intimæ tuæ admissionis minister, per quem tot tantaque egisti in bonum populi Tui, & cui tam præclara fecisti promissa. David hic profertur, tanquam persona, quæ quid habeat, quo Deus ad preces præstandas flecti queat, ut ex phrasi *propter Davidem* patet. Illud in Davide non fuit aut personæ ejus dignitas, aut meritorum pondus,

quale

quale quid nec in ipso fuit, nec ipse unquam jactavit, nec Script. memoravit; sed *gratia* Dei, qua ipsum ut pium suum servum est prosecutus, & promissis luculentis cumulavit: ut mox vers. 11. declaratur. Quod alias nomine *benignitatum Davidis* venit, 2 Chron. VI & Jes. LV. &c.

§. XXIV. Promissa, quæ hisce precibus mox subjunguntur, sunt *duplicis* generis, ut supra observavi, alia ad regni perpetuitatem, alia ad regni & religionis sedem Hierosolymam pertinent. *Prioris* generis, vers. 11, 12. ita sonant. *Juravit Jehova Davidi sincere, & irrevocabiliter: e fructu ventris tui collocabo in throno Tibi. Si observaverint filii tui foedus meum & præceptionem meam, quam eos edocui: etiam filii ipsorum in perpetuum sedebunt in throno tibi.* Promissum hic venit nomine *juramenti*, ejusque sinceri & *irrevocabilis*: id enim voces significant, quæ proprie sonant, *juravit Deus veritatem, a qua non recedet.* h. e. juramentum fidele & immutabile ipsi fecit. Quale quid etsi in historia non legamus a Deo fuisse prolatum; licet *promissi* Davidis fiat mentio 2 Sam. VII., attamen simile quid fuisse in visione Davidi revelatum, ex Ps LXXXIX. constat. Ceteroquin posset omne Dei *promissum* propter *certitudinem* suam adpellari juramentum: *dona enim Dei sunt poenitere nescia.* Sed videamus de *materia* promissi, vel juramenti; quæ complectitur continuam & perpetuam successionem regni in domo ejus, modo filii se ea non præstent prorsus indignos; quod non facient, si *foedus & praeceptiones* Dei tenuerint. 1. Bonum est successio regni in familia Davidis, eaque perpetua, quod exprimitur his verbis vers. 11. *e fructu ventris tui collocabo in throno tibi*, sc. non unum aut alterum ad breve tempus, sed continuo & perpetuo: quæ emphasis in eo latet, quod non dicitur, *fructum ventris tui collocabo*, *nec e fructu aliquem*, sed in genere *e fructu ventris collocabo*, quæ elliptica loquendi ratio est captata, ut de continua & perpetua successione cogitaremus: *e fructu* ventris, sc. sine ulla limitatione aut restrictione,

po..am in solio: quod clarius indicatur, verf. 12. ubi in fin. dicitur, *in perpetuum sedebunt in solio tibi.* Voces enim *in perpetuum* cum præcedentibus cohærent & sequentibus, sive & ad præceptorum Dei observantiam, a posteris præstandam, & ad *sessionem* in throno pertinent, adeoque connectunt promissum cum conditione; quod studio est factum, ne non separanda separaremus. Ceterum cum *perpetua* promittitur successio, ea, si ad externum regnum Davidi respicias, non est prorsus illimitata & æterna intelligenda, sed ad durationem oeconomiæ Veteris restringenda; ut *perpetua* sit, quamdiu duratura sit ea dispensatio externa & legalis, cui adstricta est, & convenit forma regiminis Davidici, de quo supra egi ad Ps. CXXV.

§. XXV. 2. Adjungitur conditio; *si observaverint filii tui foedus meum, & praeceptum meum, quod edocui eos.* Vox עדתי est numeri sing. pro usitatiore עדותי ut recte est a nonnullis Rabbinis notatum: quæ verba complectuntur sinceram & plenam observantiam *foederis Sin.*, omniumque ejus legum, in specie quæ ad reges eorumque officia pertinent; ut sunt, quæ ad religionem institutam tuendam & ornandam, nec non ad populum juste & æque gubernandum, requiruntur. Hæc conditio uti diserte expressa est, 2 Sam. VII. Ps. LXXXIX., sic ex natura regni Davidici sua sponte sese offert. Regnum enim Davidis superesse censetur, cum talis sit regni forma & administratio, quæ eam Davidici regni ob oculos sistere & renovare potest; adeoque cum in familia ejus non tantum continuatur, sed & juste ac pie gubernatur, quemadmodum sub Davide: cæteroquin *solium* Davidis, licet in ipsa domo ejus sit, non amplius locum haberet, cum ejus thronus sit sedes justitiæ, æquitatis, & pietatis. Præterea semen Davidis non illi tam dici merentur, qui secundum carnem ipsius posteri sunt, quam qui ejus imaginem præferunt, sicut filii Jacobi, Israelis, ea emphasi adpellantur. Quod si itaque a paternis vestigiis deficiant, eo titulo, ac prærogativa ei adnexa,

adnexa, tanquam filii degeneres quoque excidant, necesse est. Denique regnum Davidis est regnum *servi Dei*, in quo ad clavum sedet non rex pro arbitrio agens, sed supremi numinis *minister*, qui secundum ejus leges gubernat; & in quo regno lex Divina suprema lex est: ita ut Deus sit maneatque *Rex*, & ejus *ministri* sint, qui throno insident. Ex quibus manifestum est, regiam Davidis domum regni prærogativa ipso jure excidere debere, si a foedere & statutis Dei descissat. Quod etiam experientia comprobavit.

§. XXVI. Hæc licet recte sese habeant, putem tamen paulo penitius in hanc pericopam intrandum esse, ejusque partes ita distinguendas, ut *prior* vers. 11. absolutum contineat promissum, in Messia certo certius & ultimo implendum, & *posterior* vers. 12. de posteris Davidis sibi continuo successuris intelligatur sub conditione obedientiæ, legi divinæ præstandæ. Utique promissum vers. 11. nullam habet expressam conditionem, & *juramento* insuper est sancitum; cum illud vers. 12. ab expressa conditione suspendatur. Deinde cum vers. 12. *filii* & *filii filiorum ejus* memorentur, & vers. 11. simpliciter dicatur, *e ventre tuo ponam in solio tibi*, videmur vers. 12. ad plures, se continua successione excepturos, duci, & vers. 11. ad unam singularem & eximiam personam ex lumbis Davidis adstringi. Nescio an nimis subtile sit, phrasin, *fructum ventris*, retulisse ad filium ex virgine Davidicæ stirpis oriundum; quod nonnullis Patrum a jam in mentem venit, nec sine omni rationis specie. Vox enim *venter*, in phrasi *fructus ventris*, de *utero* satis constanter usurpatur; & phrasis ipsa significat *liberos* ex utero profectos; quo præterea facit, quod patrum respectu dici soleat non *fructus uteri*, *sed lumborum*. Memorat quidem Job. XIX: 17. *filios uteri sui*, sed, si pro בטני non sit leg. בטנה *uteri ejus*, relate ad uxo-

a Vid. Irenæus adv. Hær. l. III. c. 18. & Augustinus ad h. l.

uxorem, cujus uterum adpellat suum. Hac ratione *fructus uteri Davidis* foret filius ex *utero* aliquo stirpis Davidicæ oriundus, adeoque Messias ex virgine Davidicæ nasciturus: sed de eo quicquid sit, res ipsa, sive expositio modo memorata, non est spernenda, secundum quam vers. 11. Davidi absolute promitteretur, ex fructu ventris ejus aliquem, κατ' ἐξοχὴν sic dictum, & in Ecclesia notum, in ejus throno esse collocandum; quicquid etiam de filiis aliis Davidis, & posteris ejus, sibi longa serie successuris, fieret. Hoc promisso, certo certius implendo, præmisso, subjungitur apte aliud de regno externo Davidis in familia ejus propagando, sub conditione, si posteri foedus Dei observarent. Quod si contingeret, ut futurum esset, posteros Davidis sese suis criminibus ea corona indignos præstare, exciderent quidem ipsi ea prærogativa; attamen verum & certum maneret, Davidi in solio esse collocandum *e fructu uteri ejus filium* Davidis, qui solium illud teneret in æternum. Conf. Ez. XXI. 2 Sam. VII. Ps. LXXXIX. & ad eum comment. noster, unde dicta egregie firmantur.

§. XXVII. Sed quo tendit promissi de regni successione perpetua in domo Davidis commemoratio? quid hoc ad Templum & Hierosolymam religionis sedem unicam? Scopus Israelitarum, ni fallor est, 1. Gratiæ, quam David apud Deum habuit, illustre specimen proferre, quod sane excellentius hoc promisso dari non poterat: ut ipse David 2 Sam. VII. gratus agnoscit. Preces propter Davidem esse exaudiendas oraverant, vers. 10. quare nunc apte declarant, quanta in gratia fuerit David apud Deum. 2. Promissi de regni successione hic meminisse videntur, ut publice profiteantur, se regno Davidis adhæsuros, & reges ex ejus domo pro regibus totius populi esse agnituros. 3. Sed regni Davidici mentio huc cum maxime quadrat, quia metropolis ejus erat Hierosolyma, foretque in perpetuum; quare promissum de regni Davidis perpetuitate simul *Hierosoly-*

rosolymae conservationem & prosperitatem complectebatur. Vid. Ps. CXXII.

§. XXVIII. Quod ut clarius elucesceret, mox addunt promissum de ipsa Hierosolyma, tanquam sede religionis & regni, ejusque felici conditione, vers. 13.-fin. In qua pericopa א. occurrit summa promissi, ab Israelitis proposita, vers. 13. ב. ipsa promissi verba, vers. 14.-fin. Vers. 13. continet verba Israelitarum, quibus de Deo loquuntur, cum vers. 14. & seq. verba ipsius Dei complectantur, quare vers. 13*tium* recte pro summa promissi sequentis habemus. א. Verba vers. 13. ita habent. *Profecto elegit Jehova Tsionem, expetiit sibi esse habitationem.* h. e. Tsionem esse voluit tum regni metropolin, tum cultus sui sedem. *Prius* nomine *Tsionis* latet involutum. Cum enim civitas esset Davidis, ibique regia ejus: *Tsionis* electio comprehendit domus Davidicæ, tanquam *regiae* familiæ, adprobationem & constitutionem, una cum ipsa *civitate*, cui domus regia adfixa erat, adeoque familiæ ejus, in qua regni successio perseveraret, & Hierosolymæ tanquam metropolios electio exprimitur, quod ex vers. 17. confirmatur, de quo postea. *Posterius* membrum ad sedem religionis Hierosolymæ, vel in monte Tsionis, figendam pertinet: verba sunt emphatica; *expetiit sibi eam habitaculum* sc. fixum & stabile, opposite ad *tabernaculum*, loca subinde mutans: quo *Templum* eo in loco ædificandum designatur; de quo ad vers. 5. dixi. Quod vero *Tsioni* hoc adsignetur, in eo nihil est difficultatis, cum eo nomine etiam mons *Moria*, tanquam pars ejus, in quo Templum fuit conditum, comprehendi sæpe soleat. Conf. Ps. LXXVIII: 68. & alibi sæpe. In verbo *expetiit* latet, Templum ibi secundum voluntatem Dei esse conditum, & locum illum fuisse Deo valde *gratum*, idque externo signo a Deo patefactum: ut est 1 Chron. XXI.

§. XXIX. Summam promissi de Hierosolyma, perpetua religionis & regni sede, cum exhibuissent Israelitæ; nunc

ipsa verba, quibus Deus illud protulit, repræsentant, & religionis, & regni, respectu. *Prius* vers. 14–16. *posterius* 17 & 18 continetur. Verba, quibus Deus pollicitus erat, Hierosolymam fore unicam & perpetuam cultus Dei sedem, eoque nomine prosperrime acturam, ita sonant, vers. 13—16. *Hæc erit requies mea in perpetuum: hic habitabo, quia cupii illam. Annonæ ejus benedicendo benedicam: pauperes ejus saturabo pane. Et sacerdotes ejus induam salute; & pii ejus lætas voces edent.* Quibus verbis, haud difficilibus intellectu, significatur, *a.* Hierosolymæ fore *Templum* Dei, quod ipse externo præsentiæ suæ symbolo honoraret, & ubi cultus religiosus, populo præscriptus, solum exerceretur, fore autem ibi sedem religionis fixam & stabilem; nec pro brevi tempore, aut interruptis vicibus, sed continuo & in perpetuum; quamdiu illa oeconomia staret. Quæ prærogativa Hierosolymæ ab ipsa Dei *electione* originem haberet, *quia ipse eam expetii*, addit Deus. Hic sensus est vers. 14. ex superioribus, ubi singula, quæ hic occurrunt, exposui, satis clarus; quare nihil addo. *b.* Significatur, Hierosolymæ conditionem eo nomine fore prosperrimam, eamque quibusvis bonis hujus vitæ abundaturam, vers. 15. *annonæ ejus benedicam.* h. e. Curabo, ut proventus Hierosolymæ sit copiosissimus, ibique, quicquid ad vitam sustentandam, & læte agendam, est necessarium, summa copia reperiatur. Vox Hebr. proprie de *venatione*, nec non *piscatione* usurpatur, sed inde ad *viaticum*, commeatum, & quemvis proventum ac annonam, transfertur, transitu haud longe remoto, cum ex *venatione* ac *piscatione* passim delicatiores cibi compararentur. Sic pro *viatico* venit Jos. IX. & pro omni *cibo* Neh. XIII. & alibi. LXX verterunt θήραν: pro qua voce cum irrepsisset vitio librariorum χήραν, Vulg. reddidit *viduam*; incogitantiæ Interpretis insigne specimen! Additur, *pauperes ejus satiabo pane*, h. e. tanta erit alimentorum copia, ut vel pauperes & egeni, quorum tempore caritatis anno-

næ

næ miserrima solet esse conditio, abundantissime habituri sint, unde ad satietatem usque edant. Ceterum *panis* nomine quævis alimenta venire, uti in oratione Dominica, tralatitium est. *c.* Denique indicatur, cultus sacri exercitium ibi fore ex voto, vers. 16. *Et sacerdotes ejus induam* &c. h. e. faciam, ut sacerdotes omne genus bonis abundent, & externis demonstrabo signis, eorum sacrificia mihi esse grata; sive ad remissionem peccatorum, sive ad alia bona impetranda offerant; eos votorum compotes reddam; *pii*, seu *Levitæ*, & in genere quævis personæ Deo sacræ, læta semper accinant *carmina*, nunquam *lugubria*. Quæ cum ad vers. 9. supra sint exposita, ea hic tetigisse suffecerit.

§. XXX. Veniamus itaque ad *posteriorem* textus partem, quæ Hierosolymam ob oculos ponit, tanquam florentis & perpetui regni in domo Davidis sedem, vers. 17, 18. ubi א. promissum absolute proponitur, vers. 17. ב. ex diversa & opposita hostium sorte illustratur, vers 18. א. Absoluta propositio ita habet. *Ibi exsplendescere faciam cornu Davidi, disposui lucernam uncto meo* h. e. Regnum Davidis in familia ejus, eo in loco, splendidum erit mea cura, & prosperrimum. Duæ occurrunt, quæ regnum exprimunt, phrases metaphoricæ, altera *cornu*, altera *lucernae*: de *cornu* dicitur, illud splendidum futurum, de *lucerna*, eam a Deo esse dispositam, utrumque Davidi, ut uncto Dei, adsignatur, & Hierosolymæ ut sedi & loco adligatur. Hoc filum sequamur in expositione. *a*. Duplex regni metaphora sese hic offert, altera a *cornu*, altera a *lucerna* petita. *Prior* nos ducit ad *cornua* animantium, quibus ea propria sunt. Etsi enim hæc vox de *radiis* solis, iisque splendidis & coruscis, etiam usurpetur, indeque ad quævis *corusca* transferatur, eo tamen hic digitum non autumaverim intendi, tum quod vox קרן *cornu* notare soleat, tum quod *cornu* sit usitatissimum regiæ Majestatis & potentiæ emblema, ut ex Daniele, & aliunde notum est. Cornua,

cum

cum animantia iis ſuperbiant, eaque in altum ſurgant, & denique robur animantium in iis ſitum ſit, hinc tum ad excellentiam & dignitatem, tum ad potentiam, tum etiam ad ſuperbiam, ut in phraſi *ſumere cornua*, *adtollere cornua*, ut Pſ. LXXV. & alibi, expingendam adhibentur. Potentiam & excellentiam exprimunt, Pſ. LXXV fin. in ſpecie, qua *hoſtes* feriuntur & proſternuntur, ut Deut. XXXIII: 17. Pſ. XLIV: 6. Zach. II. in viſo 4. cornuum. Cum denique regia Majeſtas, & ſummam dignitatem ac gloriam, & invictam potentiam comprehendat, hinc pro *regia Majeſtate* ſumi ſolet emblema *cornuum*: ita 1 Sam. II: 10. *Jehova dabit robur regi ſuo, & exaltabit cornu uncti ſui* Dan. VII. *Decem cornua ſunt decem reges.* Ez. XXIX: 21.

§. XXXI. *Alterum* emblema eſt *lucernae*, a Deo in uſum & gloriam Davidis inſtructæ; deſumtum, ut puto, a *tentoriis* & *cubiculis*, quorum luminaria lucent: ita Job. XVIII: 6. *Lumen in tentorio ejus obtenebreſcet, & lucerna ejus ſuper ipſo reſtinguetur.* Sic & Jer. XXV: 10. *perire* in ipſis faciam *lumen lucernae.* Cui oppoſitum eſt, quod Job. XXIX: 3. reperitur, *quum ſplenderet iſta ejus lucerna ſuper caput meum.* Solet autem imago *lucernae*, quæ in tentoriis ſupra capita ſedentium ſuſpenſa erat apud Oriental., uſurpari pro *ſplendidiſſima* domus fortuna, & in ſpecie perſonis, iſtam fortunam ſuſtinentibus, & ad ſeram poſteritatem propagare aptis, ut Jobi commentator ad loca citata demonſtravit. Huc reſpicitur, cum David ipſe appellatur *lucerna Iſraelis*, 2 Sam. XXI: 17. & regiæ Majeſtatis ſucceſſio in domo Davidis hac ipſa phraſi repræſentatur, ut 1 Reg. VI: 36. *Filio ejus*, dicit Deus, *dabo tribum unam, ut ſemper ſit lucerna Davidi ſervo meo coram me Hieroſolymis.* Sic & 1 Reg. XV: 4. & 2 Reg. VIII: 19. *noluit Deus diſperdere Judam propter Davidem ſervum ſuum, quemadmodum dixit ei, ſe daturum ipſi lucernam & filiis ejus omni tempore.* Quæ verba repetuntur, 2 Chron. XXI. 7. Huc etiam facit, quod David Pſ. XVIII: 29. gratus confitetur, poſtquam

quam in regno tranquille degeret, *quia tu lucere fecisti lucernam meam* &c.

§. XXXII. *Lucerna* itaque domus, & populi, ejus lætum ac prosperum statum expingit, & in specie personam illustrem ob oculos ponit, quæ illum statum adfert, vel sustinet. Quo vel ipsum *lucis* emblema nos ducit, quippe quo gloria, prosperitas, & lætitia solet depingi; uti notum est. Ceterum emblemata *cornu* & *lucernæ* conjunguntur, ut de potentissima simul ac splendidissima & prosperrima cogitaremus conditione; nobisque personam illustrem ob oculos poneremus, quæ fortitudine & benedictione vestita populum beare, & in felici statu tueri possit, absque ut hostes eum turbare queant, vel audeant. Quales Majestates sunt cum *cornua* per summam excellentiam & potentiam omnia vincentem & prosternentem, tum *lucernæ*, quatenus & ipsæ sunt felicissimæ ac gloriosæ, & populus per ipsas in prosperrima conditione collocatur, & positus conservatur, absque ut aliquæ tenebræ eum apprehendere queant.

§. XXXIII. Videamus nunc quid de *cornu* & *lucerna* hic habeatur. *Cornu*, dicit Deus, se facturum, ut *exsplendescat*, & *lucernam* se *disposuisse*. Verbum צמח proprie *splendescere*, *exsplendescere*, sedem habens in *nitore* & *splendore*, sed usu exprimit *efflorescere*, soletque usupari de *germinibus* & *satis*, quæ non tantum e terra prodeunt, sed in lætam & altam segetem excrescunt, splendidamque præbent speciem. Hic cum *cornu* construitur, quod *efflorescere* dicitur, quod germinibus & satis proprium est, ut attributa quædam seminis Davidis, emblemate germinis non comprehensa, ob oculos ponerentur. Miscentur itaque duæ metaphoræ in hac phrasi, altera *germinis*, altera *cornu*, & loco germinis dicitur *cornu* exoriturum, & in altum surrecturum. Quod itaque Jer. XXIII & XXXIII. *germen*, quod Davidi efflorescerct, adpellatur, illud hic *cornu* nomine insignitur; ut *originis* ex Davide cogitatio non tantum

tum ſuſcitaretur; ſed *perſonae* ſimul notitia præberetur, quæ ex Davide oriretur. Ut itaque *germinationis* verbum nos ad ortum tenerum ex Davide, ſic nomen *cornu* ad perſonæ illuſtris & potentiſſimæ ortum ducit. Cum itaque Deus hic promittit, ſe *effloreſcere facturum cornu*, quæ eadem phraſis occurrit Ez. XXIX: 21., declarat, 1. habiturum hoc ſemen ex Davide initia, & ortum, 2. fore perſonam Majeſtatis & potentiæ pleniſſimam 3. magna *gloria* veſtitam; ita ut *exſplendeſcere* dici queat.

§. XXXIV. *Alterum* verbum, de lucerna uſurpatum, quod ejus inſtructionem ad lucendum comprehendit, nihil habet ſingulare aut difficile. *Parare* lucernam eſt, quicquid ad lucendum eſt neceſſarium ei ſuppeditare; quo indicatur, Dei curæ & favori eſſe adſcribendum, quod talis perſona ſuſcitetur, quæ, felici & glorioſo in ſtatu poſita, populum redderet felicem & beatum. Sed cum Deus hic præterito tempore utatur, dicens, *paravi*, digitus intenditur ad firmum Dei propoſitum, & promiſſum Davidi factum, & certitudo eventus ſignificatur, per quam eſt, ut id, quod futurum eſt, jam *exiſtere* dici, utique exiſtimari poſſit, qua *præteriti* temporis emphaſi nihil eſt in verbo Prophetico vulgatius: ſed de fut. etiam capi poteſt, cum præt. temp. verbum, futuro temp. ſubjunctum, ejus indolem ſequi ſoleat.

§. XXXV. Sed cui hoc cornu erigeretur, & hæc lucerna accenderetur? textus habet, *Davidi* & *uncto Dei*, h. e. Davidi, regi meo, vel qui a me rex deſignatus, & in regnum immiſſus, eſt. Titulus enim *uncti Dei* hic ad Davidem pertinet, quia lucerna paſſim Davidi dicitur accendenda in Script. S., ut loca citata docent. *David* & *unctus* Dei hic ob orationis elegantiam ſeparantur, cum in utroque verſus membro conjungi debeant. Senſus ergo eſt, Davidi, uncto Dei, cornu eſſe ſuſcitandum, & lucernam paratam: quo ſequentia indicantur. 1. Domum Davidis cum ipſo non interituram, ſed poſt ipſum ſuperfuturam

2. eam-

2. eamque non obſcuram, aut infirmam, ſed illuſtrem ac potentem futuram, 3. imo regia Majeſtate & poteſtate fulgentem. 4. eaque ſplendidiſſima, proſperrima & potentiſſima. 5. quam tueretur & præferret perſona ex Davide orta. 6. quæ populo *cornu* & *lucerna* præſtaret, tum eum quam celeberrimum efficiendo, tum quævis proſpera in eum conferendo, tum denique firmiſſimum robur & præſidium ei præbendo. 7. nec pro brevi tempore, ſed in perpetuum: quod, ut loca ſupra citata, & alia multa, ut 2 Sam. VII. &c. evincunt, ita hic occulte involutum jacet. Cum enim abſolute *cornu* & *lucerna* Davidi promittatur, nulla temporis, vel termini, addita mentione, ſine reſtrictione illud capiendum eſſe, res ipſa evincit. 8. Denique hæc omnia *propter Davidem* eſſe futura; ſed eo, quo ad verſ. 10. explicui, ſenſu. Id enim phraſis *Davidi* comprehendit, quæ idem dicit, ac in *gratiam Davidis* &c.

§. XXXVI. Additur poſtremo *loci* definitio, ubi hæc repræſentarentur, cum dicitur, *ibi efflorefcere faciam*, ſc. Hieroſolymæ; ut ex nexu orationis cum verſ. 13. manifeſtum eſt. Quo ſignificatur, 1. regni Davidici perpetua ſucceſſio, quippe quod in Tſione erat fundatum. 2. Hieroſolymæ etiam continuatio tanquam *ſedis* regni, ejusque ſtabilitas perpetua. 3. Summa celebritas & proſperitas, nunquam interitura, quippe in qua *cornu* ſtaret, & ſupra quam immediate luceret *lucerna*; undeque gloria & proſperitas ad totum populum emanaret. 4. Quam etiam ob cauſam *Templum* Dei in ipſa conderetur, & conditum ſtaret in perpetuum, ac floreret. Deus enim hunc locum quietis ſuæ elegit propter Davidem, ejusque thronum ibi ſtabilitum, quod ex nexu cantici facile elucet.

§. XXXVII. Illuſtratur luculentum hoc promiſſum ex oppoſita ſorte hoſtium Davidis, verſ. 18. *Hoſtes ejus induam ignominia: & ſuper ipſum floreſcet corona ejus.* In *priore* membro nihil eſt difficultatis. *Hoſtes* Davidis hoc in loco ſunt, qui hoſtili ſunt in domum, & regnum in domo ejus,

 ani-

animo, quique omni ope adnituntur, ut, vel regnum Judae destruatur, vel ad aliam domum transferatur, vel denique accidatur, & imminuatur aut debilitetur: adeoque quotquot sese huic Dei promisso sint oppositturi, sive extranei, sive cives, fuerint. Hi hostes Davidis, eoque nomine ipsius Dei adversarii, *induerentur ignominia* tanquam *veste*; argumento, eos totos fore in ea, totos coopertos & obrutos, & propterea omnium oculis, ac contemtui & ludibrio, expositos; ut qui *vestem* induti in publico comparent. Vox Hebraea בשת, quam per *ignominiam* reddunt, proprie in *perplexitate* teritur, & usurpatur de *aridis* multo *strepitu* & *tumultu inter se confusis*, instar *stipularum* in vento: ad animum translata exprimit animum *perplexum*, pudore, ignominia, consternatione & desperatione, confusum. Indicatur itaque, 1. hostium conatus, & molimina contra domum Davidis fore irrita. 2. Unde praeter *pudorem* nihil referrent. 3. ipsis exitiosa, quae ipsos praecipites dant in statum ignominiosum, & perplexum; unde nullum invenirent exitum.

§. XXXVIII. Longe alia foret sors domus Davidicae, in qua diadema regium perpetuo floreret: quo posterius membrum tendit, *& super ipsum florebit corona ejus*. LXX. habent *sanctitas mea*, sive ad significationem *separationis* & *consecrationis*, quae in voce נזר est, respexerint, sive laminam auream Pontificis Hebr., cum inscriptione *sanctitatis Jehovae*, in oculis habuerint. Utique sunt, qui ad *laminam illam* hic alludi volunt, quia ea & ציץ & נזר adpellatur. Ex. XXIX, XXXIX. Lev. VIII. & alibi. Sed, cum David hic non ut Pontifex, sed rex, repraesentetur; laminae Pontificali locus esse nequit. Corona radiata, quae, foliis suis in orbem expansis, similitudinem *floris* expansi referebat, & propterea nomine ציץ insigniebatur, non fuit *insigne regium*, sed *sanctitatis* & *consecrationis* Deo, quare *insigne sanctitatis* adpellatur. Hic de *insigni* regio agitur; adeoque vox נזר hic *diadema* & *coronam* regiam designat, ut


1 Sam.

1 Sam. I: 10. 2 Reg. XI: 12. Pf. LXXXIX: 40. De hac *corona* adferitur, *& florebit*, vel *nitefcet & fplendefcet*, utramque poteftatem præfert verbum ציץ, quippe quod proprie *nitorem vibrantem* in origine fua continet; cujus veftigia superfunt in Script. S. Cant. II: 9. *emicans* de *cancellis*. Ez. I: 7. & *fcintillantes* ut *fpecies æris terfi*, & derivatum pro *fcintilla* occurrit Jef. I: 31. Ab hoc *nitore vibrante* ad *florem* facili tranfitu fe exporrexit hæc vox; quem ufum passim in Script. habet.

§. XXXIX. Uterque fignificatus hic locum reperire poteft fatis commodum. *Prior* fi obtineat, vertenda funt verba: & *fplendefcet corona ejus*, fplendorem Majeftatis & gloriæ vibrabit: quod Pf. XXI: 5. per *coronam auream* capiti Davidis, vel Salomonis, *impofitam* exprimitur. Senfus itaque eft, regnum Davidicum per *coronam*, infigne regni, expreffum, fore gloriofiffimum, & feliciffimum, oppofite ad hoftes ejus, pudore & confternatione confundendos, & in vilem ac miferum ftatum præcipitandos. Sed *pofterior* fi placeat, & *florebit corona ejus*, fenfus erit, coronam nitorem, & vigorem, emiffuram inftar *floris* nitentis, oppofite ad *florem marcidum* & *arefactum*; cui hoftes forent fimiles, quippe, inftar ftipularum aridarum in vento, confundendi pudore & confternatione: quam vocis נבלה dixi effe poteftatem. Sic Jef. XXVIII: 1. memoratur corona faftofa ebriorum Ephraimi, & *flos marcidus decoris ornamenti ejus*, quo in loco adluditur ad ferta & corollas, e virentibus floribus contextas, quas Veteres in epulis & compotationibus imponere folebant capitibus. Quod forte & noftro loco adplicari poffet, fi ufus verbi *florere* fit premendus; ut fenfus fit, Davidis domum femper læte & profpere acturam; inftar eorum, qui corollis virentibus cincti laute & hilariter agunt, oppofite ad hoftes, pudore & ignominia veftiendos &c.

§. XL. Nihil reftat, quam ut de *implemento* promiffi verbo moneam; cum ei obftare videatur, tum coronæ Da-

vidicæ obſcuratio aliqualis per regnum Iſraelis poſt Salomonem erectum, tum coronæ ablatio a domo Davidis poſt exilium Babylonicum, tum denique ipſius regni Judæ deſtructio, & ſceptri ablatio per Romanos. Quæ difficultates ut e medio tollantur, *duo* obſervanda ſunt, *unum*, promiſſum, quoad carnale Davidis ſemen, eſſe conditionatum, a legis obſervantia, quam reges domus Davidicæ præſtare deberent, tanquam conditione, ſuspenſum; quod verſ. 12. ipſis verbis adſeritur, & ex hiſtoria ſciſſi regni Salomonici, exilii Babyl. & aliunde, clarum eſt. Illa enim fata diſerte a regum & populi defectione, tanquam cauſa, derivantur. *Alterum* eſt, promiſſum, de regno Davidis perpetuo, ultimum ſuum inplementum habere in *Meſſia*, ex Davide oriundo, ad quem regnum Davidis, ſed alia ſub forma, devolveretur in æternum. Quæ ex ſupra dictis, & ad Pſ. LXXXIX. ſatis eluceſcunt.



PSALM.



PSALM. CXXXIII.

1. *Canticum adscensionum, Davidis. Ecce quam bonum & quam jucundum! sedere fratres etiam una.*
2. *Instar olei boni*, uberis & suavis, *super caput, descendentis super barbam, barbam Aaronis, quod defluit juxta vestes ejus.*
3. *Instar roris Chermonis, qui defluit super montes Tsionis. Profecto ibi praecepit Jehova benedictionem & vitam in perpetuum.*

PROLEGOMENA.

§. I.

LÆta & solennia inter tempora, quæ in regnum Davidis inciderunt, præcipuum haud uno nomine illud meretur locum, quo, totius populi per universam Cananæam ordinibus Hierosolymam solenniter convocatis, sub finem regni ejus, ipse rex, & ordines, totum populum repræsentantes, in unum coacti, magnifica dona ac munera lubentes lætique Deo ad Templum condendum, & sacra ordinanda, obtulerunt, Deumque pro tantis bonis, unde ea dona exerpta erant, solenniter celebrarunt, Salomonem & Zadokum publice *unxerunt*, illum Regem, hunc Pontificem; denique læta coram Deo convivia celebrarunt; omnesque, etiam ipsi Salomonis fratres, *Davidis*

dis filii, Salomoni fidelitatem & ſubjectionem jurati promiſerunt. Hunc ſolennem & illuſtrem totius regni conventum, qui 1 Chron. XXVIII, & XXIX. deſcribitur, eumque ultimum ſub Davide, & omnium celeberrimum, ſi hujus cantici verbis, vel ſimilibus, ſummatim hoc cantico comprehenſis, dixero, vel a Davide fuiſſe dimiſſum, vel a populo concelebratum, cantico a Davide eum in finem facto, ac populo in ore tradito; nihil aut improbabile, aut paradoxum, me proferre, is, ni fallor, conceſſerit, qui ad *argumentum* ejus, & ſingulas partes, animum adverterit.

§. II. Characteres utique, ex quibus de hypotheſi hanc oden explicandi, judicium ferendum eſt, mihi ſeſe offerunt ſequentes. 1. *Primus* eſt, πανήγυριν panegyrin aliquam fratrum hic celebrari, & non ſimpliciter incolatum aut cohabitationem concordem. Phraſis enim *ſedere* יחד *uniter* non tam de *concordia*, quam de *conventu* concorde uſurpatur, ut mox adfirmabo. Eo etiam nos ducit ſimile ab inauguratione Aaronis deſumtum: quo reſpicit emblema *unctionis* ejus, uti conſtat. 2. *Secundus* eſt, conventum hic intelligi *univerſalem* totius populi, vel ejus delegatorum: quod ex fratrum nomine, & emblemate roris Hermonis in montes Tſionis defluentis, colligo. Emblema cogitare nos de totius Cananææ civibus jubet, & fratrum adpellationem cum nulla adſit ratio reſtringendi, eousque eſt extendenda, quousque vocis uſus inter Judæos vulgaris patitur; adeoque omnes Jacobitas comprehendat, neceſſe eſt: quo facit, quod David in oratione, ſolenni illo in coetu habita, omnes omnium tribuum ordines *fratres* ſuos adpellet. 1 Chron. XXVIII: 2. 3. *Tertius* habet, in hac panegyri ſolennem aliquam inaugurationem fuiſſe factam, quæ ad ſummum totius populi regimen ſpectabat; qualis olim fuit *Aaronis*, poſtea regis & Pontificis, ex quo *regnum* obtinuit inter Iſraelitas. Huc nos emblema *unctionis* Aaronis ducere videtur; utique hæc ad illud

lud emblema eligendum occasionem præbuisse videtur; cujus cæteroquin ratio difficulter panditur. 4. *Quartus* fert, in hac panegyri singularis benedictionis Divinæ, qua universo populo benedixerat Deus, specimina fuisse data; & in specie a toto populo in Hierosolymam collata, quæ spem faciebant benedictionis in perpetuum duraturæ. Hoc mihi colligisse videor ex vers. 3*tio*, tum quod Deus ibi *præcepisse* dicatur in præterito *benedictionem* & *vitam* in æternum; tum quod *ros* Hermonis dicatur defluxisse in *montes* Tsionis; *ros* sc. munerum, a Divina benedictione ortorum, in Metropolin & sedem religionis collatorum. De quo mox plura. 5. *Quintus* denique character est, talem totius populi intelligi conventum, qui ut pulcherrimum & jucundissimum præferebat conspectum, sic constantis omnium Jacobidarum unionis, & mutuæ communionis, cum insigni prosperitate conjunctæ, in perpetuum duraturæ, spem haud vanam præbebat: quod ex initio & fine cantici sponte sua elucet: quare tetigisse suffecerit.

§. III. Hi characteres, si probabili ratione consignati sint, quin ad modo memoratum nos ducant conventum, equidem dubitare nequeo, cum in nullum alium, in illum exactissime, quadrent omnes. Fuit illa panegyris solennis omnium totius populi Jacobidarum ordinum; in qua Salomo & Zadok, ille rex, hic Pontifex, publice sunt uncti & inaugurati, nec non amplissima munera, quæ de singulari benedictione Divina testabantur, quam David propterea publice celebravit, in Hierosolymam & Templum collata sunt, denique mutuæ communionis vincula arctissime constricta sunt; omnibus, ne ipsis fratribus Salomonis, proprie dictis, exceptis, ut diserte adnotatur, c. XXIX: 24., in regni & religionis unitatem consentientibus, *Salomone* & *Zadoco* communi consensu unctis & initiatis. Hunc conventum tam splendidum, tam salutarem toti populo, eumque ultimum, a Davide cantico aliquo concludi, quid mirum, quid paradoxum in eo? Videtur autem eo

Mmm scopo

ſcopo hæc pauca verba protuliſſe, ut omnibus in ore manerent; & celebritas panegyris in recente ſemper memoria conſervaretur: quod unitati Iſraelitarum & mutuæ communioni concordi conſervandæ admodum conducebat.

EXPLICATIO.

§. IV. Hac hypotheſi jacta, ad explicationem, ei adcommodandam, nos mox adcingamus; miſſis, & ſuo loco relictis, Interpretum opinionibus variis, magis minusve probabilibus: ne plus juſto prolixior ſit tractatio. Occurrit hic I. Propoſitio, verſ. 1. II. Ejus illuſtratio tum figurata, tum ſimplex verſ. 2, 3. I. *Propoſitio* emphatice, & cum adfectus demonſtratione facta, ita habet, verſ. 1. *Ecce, quam bonum & quam jucundum! ſedere fratres etiam una.* h. e. Ecce panegyrin, vere jucundam, & ſalutarem; fratrum titulo unice congruam, in qua quotquot *fratres* ſunt, ſeſe tales vere demonſtrant. Hæc enim emphaſis eſt voculæ *etiam*, fratres ſedere *etiam* una; quod idem eſt, ac eos ſeſe fraternæ relationi convenienter gerere, quippe quæ amicam & intimam requirit ſocietatem, ejusque exercitium, in communi *conventu* eorum & *concordi* coactione conſpicuum. Loquitur poeta α. de *Fratribus* β. eorum *conventu* ſolenni & concorde. γ. De quo pronunciat, eſſe hoc quam *optimum* & jucundiſſimum.

§. V. α. *Fratrum* titulus, præter propriam notionem, nemini non notam, comprehendit vulgatiſſimo uſu unius ſtirpis & originis progeniem, adeoque tum Abrahamidas, tum *Jacobidas* omnes; ſed, cum priore reſpectu etiam *Eſavitæ* comprehendantur tituli hujus ambitu, qui & *fratrum* nomine veniunt in Script. S., hic ad *Jacobi* poſteros reſtringimus; hoc titulo paſſim inſigniri ſolitos in Script., ut in vulgus notum eſt, non tam ejusdem religionis & ſocietatis, vel reip. reſpectu, quam originis; licet alium reſpectum exclu-

exclusum nolim. Etsi enim *fratres* proprie sint vi unius originis & communis stirpis; attamen cum unius societatis & religionis accesserint vincula, nexus fraternitatis arctius fuit constrictus. Religionis communio itaque non efficiebat *fratres*, sed colligabat: quare proselyti hoc nomine venire non solent; nec etiam *fratrum* titulus, in sola cognatione *Spirituali* fundatus, occurrit in Script. V. T., nisi forte uno alterove loco apud Prophetas, ubi de N. T. agitur, ut Jes. LXVI: 20. Fratres itaque hic sunt non proprie dicti tantum fratres, nec soli Sacerdotes & Levitæ, licet exclusos nolim, cum filii Davidis expresse memorentur in ultimo illo conventu, sed in genere omnes Jacobidæ, tum quod nulla adsit restringendi ratio, tum quod usus vulgatissimus hujus vocis ita jubeat.

§. VI. β. Horum fratrum panegyris exprimitur phrasi *sedere una*. Interpretes, vel de concorde sessione, vel de inhabitatione concorde in terra Cananæa interpretari solent; sed rectius de *conventu in unum* capimus, & ad Comitia totius populi referimus, ita tamen ut *concordiam* non exclusam, sed cum maxime inclusam velimus, re ipsa id exigente. Ad comitia nos ducit vox יחד *una*, quæ absolute posita nusquam nisi de *uno* loco occurrit, vel saltem nisi *loci* conventus intellectus comprehendatur. De sola concordia hominum, diversis in locis degentium, nusquam reperias. Sed an unius Cananææ habitatio non sufficit usui, vel emphasi hujus phraseos? non existimaverim; 1. quia illud tanti non erat, nec adeo extolli merebatur. 2. Quia una in terra animis valde divisi & disjuncti habitare potuerunt, & habitarunt aliquando. 3. Phrasis *habitare uniter* arctiorem involvit societatem, quam est *terræ* longe lateque extensæ communis habitatio, maxime hoc in loco, ubi additur, *etiam* una; quo quam arctissima societas fraterna designatur. Ergo oportet vocula יחד, vel de sola *concordia*, vel de *conventu* in unum intelligatur. Prius cum repugnet vocis usui, posterius hic statuendum est: quo sensu

etiam occurrit Pſ. II: 2. *Principes conſultarunt uniter*, ſeu, in unum coacti, XXXI: 14. & XLI: 8. *una contra me muſſitant*, h. e. junctis capitibus, & in circulis hominum; ſic de *ſocietate* inita, quæ *loci* communionem involvit, 1 Chron. XII: 17. *Si veneritis ad mei auxilium*, dicit David, *erit mihi animus ad unitatem*, h. e. eo ero animo, ut vos in numerum meorum militum & ſociorum adſumam in unum corpus. De habitatione conjuncta, unitis tentoriis, reperitur Gen. XIII: 5, 6. XXXVI: 6, 7.

§. VII. *Sedere*, vel *habitare*, itaque fratrum *una* ſequentia complectitur, ut ideas paulo diſtinctius explicem. 1. Totius populi *comitia*, quibus quotquot *fratres* ſunt, ex una ſtirpe orti, in unum coacti ſunt, & conventum mutuum celebrant, ſocietatis colendæ & bono publico conſulendi ergo. 2. Conventum *concordem* & fraternum; in quo fratres ſeſe vinculo illi convenienter gerunt. 3. Conventum *tranquillum* & *ſecurum*; quam emphaſin habet verbum *ſedere*, ſine metu, ſine ſollicitudinibus; cum cuncta ſunt tuta & pacifica, ut Mich. V: 3. 1 Reg. XXI: 30. *Et ſedebant tres annos*, & *nullum erat bellum* &c: ſic & 2 Reg. XIV: 10. 2 Sam. VII: 1. 4. Denique conventum *Ordinum*, & primorum populi, qui una de ſumma rei deliberant, quorum eſt *ſedere*: uti notum eſt.

§. VIII. γ. De celeberrimo hocce conventu Fratrum teſtatur David, eum eſſe *quam optimum* & *jucundiſſimum*, ad præſentem experientiam provocans: cum dicit; *ecce, quam bonum* & *quam jucundum eſt*. Vocula *ecce* non tantum adtentionem excitat, & bonitatem rei adauget, ſed in rem præſentem ducit; & rei præſentis, quæ digito monſtratur, notà eſt; adeoque, ad veritatem dicti demonſtrandam, provocatur quisque ad rei præſentis contemplationem. Videte, quotquot de jucunditate & utilitate fraternorum conventuum non ſatis perſuaſi eſtis, videte hunc *conventum*, quam bonum, quam amoenum. Teſtatur autem David, non tantum *bonum* & *jucundum*, ſed opti-

optimum & jucundissimum esse, uti adverbium מה *quam*, *o quam*, evincit. *Utilitas* & *jucunditas* istius conventus has ob rationes videtur celebrari. 1. Quia *fraternus* animus in eo erat conspicuus, & pax ac concordia fraterna in eo elucebat; Deo & hominibus gratissima, & ad *bonum* publicum utilissima & necessaria. 2. Quia *felicitatis* temporum illorum erat certissimum argumentum; quod omnium tribuum unio hinc enitescebat, quodque publicæ *pacis* & *securitatis* erat indicium. Commoratio ordinum totius populi, in unum coactorum, de utroque testabatur; eratque in primis maximum regni Davidici bonum, quod tribus, antea adeo divisæ, nunc tam amice conspirarint. 3. Quia mutuæ *communionis* omnium tribuum luculenta hic data erant specimina, ejusque in perpetuum duraturæ certa erant hic jacta fundamenta; tum quod in unum Regem & Pontificem consenserant, Salomone & Zadoko hic solenniter unctis, tum quod *munera* sua largissime in Hierosolymam & Templum contulerant. Quæ duo, ut ultimo conventui fuerunt propria, 1 Chron. XXVIII, XXIX: sic hic præcipue intenduntur, ut ex *similitudinibus* mox elucebit. 4. Denique, quia prosperitatis populi, & benedictionis Divinæ super toto populo, clarissima hic exhibita erant testimonia in *muneribus* collatis: ut David solenni gratiarum actione & prece indicat. 1 Chron. XXIX. quo respicitur in emblemate *roris*, & in nuda oratione, qua Deus *benedictionem* ibi *præcepisse* dicitur. 5. Postremo quia hic conventus luculentam spem præbebat ulterioris benedictionis Divinæ in perpetuum, ut vers. 3. innuitur. Ex hoc enim conventu talis populi conditio elucebat, in qua Deus sibi complacere poterat, qualemque Deus secundum Vet. Oeconom. requirebat.

§. IX. II. Quæ omnia ex propositionis illustratione, tum *emblematica*, tum *simplice*, clariora evadent. א. Duo hic adhibet emblemata poeta, alterum *olei*, quo Aaron, cum inauguraretur, unctus est, alterum *roris* Hermonis: sed

ſed quæ emblemata in majus auget, vel hyperbolica oratione proponit, ut ſæpe in viſis prophetarum fieri ſolebat, ad rem Spiritualem & plenius & fortius depingendam. Hinc eſt, quod oratio intra naturalia, & propria figurantium rerum effecta & adtributa non maneat, ſed ulterius ſeſe efferat; quod non niſi extraordinarie & miraculoſe in rebus illis naturalibus locum habere poſſet. Oleum non tanta copia fuit effuſum in faciem Aaronis, cum inauguratus eſt, ut per veſtimenta ejus usque ad extremas & infimas partes defluxerit; ſed acſi id fuiſſet factum, David hyperbolice loquitur, ut rem emphatice exprimeret. *Ros* Hermonis ſeſe per Cananæam nunquam ita expandit, ut in montes Tſionis defluxerit; ſed id fingit poeta in ſublimi oratione; ut rem Spiritualem vividius expingeret. Verum illud non erat in emblemate ſecundum ordinarium curſum; ſed per Dei providentiam erat poſſibile, & in re Spirituali veriſſimum foret; quare id adſumit, acſi ita contigerit; in quo nihil eſt abſurdi, nihil a ſtylo ſublimi alienum, nihil ab hyperbolica Prophetarum oratione abhorrens; ut multis demonſtrari poſſet exemplis, ſi opus foret: ſufficiat illud unum, quod occurrit Joel. IV. fin. *deſtillabunt montes muſto, & colles diffluent lacte, & fons ex domo Jehovæ exibit, & irrigabit vallem Sittim*, ſic & Am. IX: 13. Pſ. XVIII, LXXII. & ubique. Ad hæc ſi adtendiſſent Interpretes: multo labore, in emblematum natura explicanda, ſuperſediſſent; de quo poſtea.

§. X. *Prius* emblema ab *oleo* in caput effuſo, & in ſpecie in caput Aaronis, tempore inaugurationis ejus deſumtum eſt, ſed hyperbolice propoſitum, acſi in *barbam* ejus non tantum defluxerit, ſed per omnes ejus *veſtes*. Duplicem hic in primis committunt errorem Interpretes nonnulli, *unum*, quod poſterius *defluere* cum *barba* conſtruant, *alterum*, quod ſuperiorem veſtis aperturam per *os* veſtium intelligant. Sunt, qui, cum dicitur, *quod deſcendit ſuper oram* veſtium, *ad barbam* eousque demiſſam referunt; ni-

mia

mia accentuum religione ducti, ut videtur. Sed immerito, cum accentuatio id non exigat, &, si vel postularet, ejus ratio hic habenda non foret. Accentus maximi distinctivi in voce, *super barbam*, hæc est ratio, ut indicaretur, duo hic occurrere *olei* emblemata, alterum *generale*, alterum *speciale* sc. unguenti unctionis Aaronis: qua ratione voces *sicut oleum* &c. repetendæ sunt ante voces *super barbam Aaronis*. Sed hac subtilitate missa, & accentuum auctoritate, non nisi humana & fallibili, suo loco relicta; posterius verbum ירד ad *oleum*, & non *barbam*, esse referendum, dubitari non debet; tum quod in re fluida usurpetur hoc verbum, tum quod hic de *oleo* & *rore* occurrat, tum denique quod defluxus hic extraordinarius per vestium longitudinem totam intelligatur. Quod postremum cum multis secus videatur, qui *alter* Interpretum error est, de eo pressius agendum est.

§. XI. Cum textus habet *super os vestium*, multi, vocem illam *oris* nimium prementes, intelligunt *oram* in summo vestis circa pectus & humeros, sive supremum *orificium tunicæ* & *pallii* Pontificis. Sed *a*. valde impropria & insolita dictio est, oleum defluere super *aperturam* vestis; quare non super *vestem*? Vox enim *aperturam* vestis dicit, a *limbo* circa eam distinctam. *b*. Defluxus super os vestium ulteriorem gradationem continet; adeoque sese ultra *barbam* extendere debet, sed *barba* & *ora* vestis cohærebant. *c*. Phrasis Hebr. על פי solet usurpari pro *juxta*, ut sit *juxta*, vel *secundum* vestes: quemadmodum Jes. XIX: 7. *juxta fluvium*, Ps. CXLI: 7. *juxta inferos*, aut mortuorum regionem. Prov. XXII: 6. *instrue puerum secundum viam ejus*. Lev. XXVII: 8. *secundum illud, quod adsequitur manus voventis*. Ita hoc in loco *secundum*, *juxta*, *vestes ejus*, ita ut oleum a capite per barbam defluat *juxta vestes*: & quidem secundum omnem *mensuram* earum, quo tendit vox מדות, qua poeta studio est usus &c. Quæ ut stylo Hebr. est congrua oratio, sic in hunc locum apte quadrat; cum

profusis-

profusissima olei effusio totum corpus metiens, & usque ad infimas vestium partes descendens, intelligenda sit. Nihil difficultatis in eo est, quod simile quid in Aaronis unctione locum non habuerit; cum exaggeretur hic olei effusio, ad rem spiritualem vividius exprimendam, ut modo notavi.

§. XII. Videamus nunc, quo collineet emblema, & quid ob oculos ponat? 1. In genere quidem eo mihi tendere videtur, ut *jucunditas*, & *celebritas* fraterni conventus quam vividissimis coloribus depingeretur. *Oleo* nihil præstantius, in primis *unguento* inaugurationis Aaronis, ex pretiosissimis aromatibus composito; quo nihil fragrantius & jucundius est: quam bonæ *fragrantiæ* notionem adfert etiam usu suo vox טוב *a*, quare lætitiæ, & celebritatis aptissimum emblema, etiam usitatissimum; ut in *oleo lætitiæ* Ps. XLV. Jes. LXI. & alibi sæpe. *Diffusio* olei per *vestes* lætitiæ dispersionem per totum populum, & conventus famam longe lateque disseminandam, exprimit. 2. Sed, ut ad specialiora descendamus, emblema nos ducit ad præcipuam istius conventus *solennitatem*, quæ altera quasi erat Pontificatus inauguratio, in eo sita, quod tum Templi ædificatio fuerit solenniter decreta, donariis eum in finem largiter collatis; tum Pontificatus ad veram lineam Aaronis, cui hoc munus a Deo erat adligatum, reductus in *Zadoko* uncto & inaugurato. Hucusque sacerdotium fuerat *Tabernaculo* adstrictum, quo inauguratio Aaronis tendebat, sed nunc *Templo* longe splendidiore modo adligaretur; quo *Zadoki* ducebat inauguratio. Deinde, Aaronis familia in duos filios divisa, *Eleazarum* & *Ithamarum*, ille, ut natu major & legitimus hæres muneris Paterni, successit; sed post quatuor successiones Pontificatus est in *Eli* ad Ithamaridas translatus, mansitque usque ad *Abjatharum* ultimum ejus lineæ, quando ad veram & legitimam lineam *Eleazaris* rediit in *Zadoko*, in hoc illustri conventu solenniter

a Vid. ad Jer. VI: 20. & Ps. LXIX: 32.

ter *unctio*. 1 Chron. XXIX. Quæ quaſi altera erat *Aaronis* inauguratio, qua ejus pontificatus, qui ad illegitimam lineam deflexerat, ad rectam familiam translatus, quaſi renovatus, & altera vice ſolenniter inſtitutus eſt, maxime cum in *Pinehaſo* hæc linea ſolenni Dei promiſſo fuiſſet confirmata. Num. XXV: 12, 13. Sed hæc renovata inauguratio longe *ſplendidior* & illuſtrior fuit, ac prima Aaronis, tum quod cultus ſacer per Templum & alia multo inceperit eſſe glorioſior ſub Salomone, tum quod populus & regnum in longe florentiore ſtatu hoc tempore fuerit, quippe pace, divitiis, potentia & amplitudine longe celeberrimo & proſperrimo. Quo reſpectu Aaron hoc tempore cenſeri poteſt tam largiſſime unctus, ut ad talos fere defluxerit unguentum.

§. XIII. 3. Sed paulo penitius in perſonam *Pontificis*, qua *ſacerdotum* capitis, & totius populi centri, penetremus, eumque nobis ob oculos ponamus tanquam vinculum unionis omnium filiorum Jacobi, & fontem omnis benedictionis, ad populum derivandæ. Pontifex enim, quo totum ſacerdotium comprehenditur, univerſum populum repræſentabat, ut *duo lapides* ſuper humeris, & 12 in pectorali oſtendebant, eumque in ſua perſona in unum corpus, vi *religionis*, uno in loco & unius perſonæ ſub auſpiciis, exercendæ, compingebat, nec non auctor erat, ut favor Dei, & quævis bona, inde orta, ſeſe ad totum populum extenderint; totaque illa Oeconomia duraret, & floreret, quippe in religione illa fundata. Pontifice itaque vigente, & feliciter agente, totus populus in ſummo flore ſit, neceſſe erat. Ex quo conſpectu explicandum eſt viſum Joſuæ Pontificis Zach. III. ut alio tempore oſtendam. Quo etiam reſpicitur Pſ. CXXXII. ubi ſacerdotes dicuntur veſtiendi *ſalute* & *juſtitia*. Hoc oculo ſi Pontificem contemplemur, haud difficulter detegemus, *unctionem* ejus, eamque profuſiſſimam, exhibere imaginem *unionis* totius populi in unam Eccleſiam, & regnum ſacerdo-

cerdo-

cerdotale uniti, ut & *favoris* Dei erga populum, tanquam fontis omnium bonorum, cum per sacerdotium tanquam canalem quævis bona ad populum redundarint. Cum itaque in hoc *conventu*, ut in rem præsentem veniam, sacrorum modus & ratio esset definita, omniumque votis firmata, ipse Pontifex unctus: facile videmus, quo scopo hoc emblemate usus fuerit poeta; ut, ad celebritatem conventus extollendam, in omnium oculos ingereret, quanta bona inde ad universum populum profluerent, bona sc mutuæ unitatis & benedictionis Divinæ, præterea universos adhortaretur ad unionem hanc conservandam, & se tali sacerdotio dignos constituendos, ut oleum a capite Pontificis ad usque ultima membra defluat. *Unctio* itaque Pontificis, 1. totius populi in Pontifice consecrationem in *regnum sacerdotale* repræsentat. 2. *Oleum* exhibet quicquid ad populum exhilarandum & glorificandum facit. 3. Olei defluxus juxta vestes expingit bonorum illorum communicationem cum omnibus, etiam remotissimis a loco sacerdotii, adeoque per universam terram. 4. Denique tacite insinuatur, Hierosolymam, ubi ille conventus fuit habitus, esse unicam regni & religionis sedem, adeoque observandam tanquam causam unicam omnis benedictionis, eoque nomine ab omnibus, qui reip. sibique bene velint, esse devote adeundam; cum oleum inde ad quasvis partes, etiam remotissimas, unice defluat.

§. XIV. Ultima, eaque omnium illustrissima, totius regni comitia sub finem regni Davidis, in quibus, Salomone & Zadoko, illo rege, hoc Pontifice, solenniter unctis, muneribusque ab Ordinibus totius populi in sacros usus, & Templi constructionem, largiter collatis, solida perpetuæ unionis Israelitarum & reliquarum tribuum jacta sunt fundamenta, præclara quoque benedictionis Divinæ producta sunt specimina, quæ perpetuæ benedictionis spem præbebant: hæc, inquam, comitia cum David in priore cantici parte a jucunditate & utilitate celebrasset, nec non elegan-

elegante emblemate unctionis Aaronis in Pontificem illustrasset, quoad restitutionem Pontificatus in recta Aaronis familia, domo sc. Eleazari, hacce in panegyri factam, in Zadoko, & totius populi utilitatem a Pontificatu, & sacerdotio, derivandam; mox *alterum* addit emblema, haud minus illustre, itidem in majus auctum, & hyperbolice propositum; *roris*, nimirum, *Hermonis*, *qui defluit in montes Tsionis*, vers. 3.

§. XV. Quod emblema antequam explicem, de sensu *litterali*, haud una difficultate laborante, quædam præmittenda sunt. Mons *Chermon*, seu *Hermon*, in Script. occurrit tanquam limes *septentrionalis* terræ Israeliticæ Transjordanensis, uti *Arnon fluvius* terminus *australis*, Deut. III & IV quo respicitur Ps. LXXXIX: 13. *Aquilonem & austrum creasti: Tabor & Chermon exultant in nomine tuo*, licet & illud alio referri queat. Extendit autem sese ille mons versus *Libanum*, cum quo nonnunquam commiscetur: vid. Jos. XI: 3. coll. Jud. III: 3. Habuit multos vertices, quasi totidem *montes*, quare *omnis mons Hermon*, vel totus mons multorum collium, memoratur Jos. XIII: 11. Horum verticum unus erat maxime insignis *Paneadi* imminens, & *mons Panius* dictus Eusebio *a*, memoratur, quem Jos. *b*. *verticem montis* dicit *in sublimitatem infinitam elatum;* juxta quem *fontes* esse *Jardenis* fluvii scribit. Hunc verticem proprie *Hermonem* fuisse dictum, crediderim; cum vox, ut ex Arab. lingua patet, denotat *prominentem montis verticem*, ubi finitur, & resecatur, ἀποτομώτατον τοῦ ὄρους *editissimum montis præcipitium* adpellat *Arrianus c*, unde totum illud montanum nomen accepit. Præter hoc montanum, num aliud temporibus antiquis fuerit in Cananæa, hoc nomine insignitum, mihi non constat. Recentioribus quidem temporibus hoc nomen tulit mons haud procul a *Tabor*, ut ex Itineratoribus patet; sed *a*. de antiquitate no-

a H. E. l. VII. c. 17. *b* B. J. l. I. c. 16. *c* Exped. Alex. M., l. I. p. 5.

minis non conſtat: profertur quidem Epiſt. *Paulæ ad Marcellam*, inter Hieronymianas, ubi *Hermonim* occurrit, qui conſpici poſſet e Galilæa; ſed nihil vetat, altiſſimum illum Hermonis verticem intelligi, ut recte a Clerico *a* eſt obſervatum. *b.* Illud conſtat, nusquam in Script. S. alterius montis hoc nomine fieri mentionem, ac qui modo a nobis eſt deſcriptus. Quare ſine ratione de alio hic cogitant haud procul a *Tabor*, de quo mox.

§. XVI. Præter montem *Hermon* occurrunt *montes Tſionis*, numero plur., uti *montes ſancti*, Pſ. LXXXVII: 1. licet *unus* tantum mons fuerit eo nomine notus, ſive per excellentiam *montes* dicatur, ut ſæpe alias plur. num. eam ob cauſam pro ſing. uſurpatur, ſive ad duos colles reſpiciatur Tſionem & Moriam, cui Templum fuit inædificatum; ſive denique montes Tſionis idem ſit ac *montes Hieroſolymæ*, quæ voces ſæpe permiſcentur, ſive *montanum* Tſionis, & circa Tſionem intelligatur. Quacunque ratione capiatur, mihi perinde eſt; modo hinc non colligatur, alios montes ac eo nomine notos intelligi, de quo mox. Illud verbo notetur, montanum Tſionis fuiſſe illuſtre, tum per *civitatem Davidis* ibi poſitam, tum per *Templum* eo ſuperædificatum; cujus rei reſpectu *Deus eum montem elegiſſe*, & *ibi habitare*, dicitur Pſ. CXXXII: 13. & alibi ſæpe. Plura de hoc monte dixiſſe, nihil adtinet.

§. XVII. Videamus, quid de his montibus proferat canticum. Hermoni adtribuitur *ros*, qui *defluere* dicitur in *montes Tſionis*: ſic enim verba vertenda ſunt, & intelligenda. *Sicut ros Hermonis, qui defluit in montes Tſionis.* Sunt, qui particulam jungentem, *&*, per ellipſin præmitti volunt relativo *qui*, ut ſit, *ſicut ros Hermonis, & qui* &c.; ſed 1. ſine ratione ſolida. Diſtantia montium Hermon & Tſion illos eo adegit, cum ros ex Hermone usque ad Tſionem pertingere nequeat, nec illud naturæ rei conveniat. Sed, quanti ſit illud faciendum, & qua ratio-

a Ad h. l.

ratione expediendum, mox patebit. 2. contra *nexum* orationis, qui connectit rorem Hermonis & Tsionis: nisi enim poetæ in animo fuisset, rorem Hermonis defluere in montes Tsionis, longe alia ratione mentem expressisset, sc. sicut *ros* Hermonis & Tsionis, vel, qui descendit in *Hermonem* & *Tsionem*. 3. contra usum relativi *qui*, quippe quo ad eundem *rorem* ducimur. 4. denique contra phrasis usum vers. 2., ubi de eodem *oleo* ex barba Aaronis per omnes mensuras ejus defluente usurpatur.

§. XVIII. Sed hæc interpretatio nos gravissimæ difficultati implicare videtur, ex eo natæ, quod, cum montes illi 100 milliarum spatio distent a se invicem, prorsus fieri nequeat, rorem ex Hermone defluere in montes Tsionis. Quæ difficultas Interpretibus crucem fixit, & nonnullis quoque ansam præbuit, vel particulam & inserendi, de quo modo vidimus, vel alios montes vicinos admodum intelligendi, per *Hermonem* sc. montem Galilææ, vicinum monti Tabor, & per *Tsionem* montes, colles, vicinos haud procul a *Sione*, urbe tribus *Issaschar*, quæ memoratur Jos. XIX: 17. ut Cl. Relandus opinatur *a*. Sed 1. nusquam *Hermon* nisi in limitibus Septentrionalibus Canaanææ occurrit in Script., ut modo observavi. 2. nusquam etiam *montes Tsionis* alii ac Hierosolymis. 3. Nec omnis tollitur difficultas, cum *ros* ab uno monte non defluat in alterum. 4. In textu non occurrit *Sion*, cum ש, ut Jos. XIX. sed *Tsion*, cum צ, nec littera א, ut Jos. XIX. hic adest: adeoque sine lectione mutata subsistere nequit hæc opinio. Quod si vocem *Tsionis* commutare liceret cum voce *Sionis*; intelligerem potius ipsum montem *Hermonem*, ut sit; *sicut ros Hermonis*, scilicet, qui coelitus super totum illud *montanum* defluit. Montanum enim illud nomine *Sionis* fuisse insignitum, ex Deut. IV: 48. constat. Simile quid Ill. Grotio videtur fuisse in animo.

§. XIX. Sed hinc mihi nata est cogitatio, silentio non premen-

a In Palæst. p. 325.

premenda; *montes Tsionis* esse forte in genere montes *siccos* & *aridos*. Utique & nomen *Tsion*, & emblema *roris*, in hanc opinionem recte conveniunt. Ut Jes. XXXII: 2. emblema petitur *a rivis aquarum in arido & sicco*: sic hoc loco recte a *rore supra montes aridos*, quo nihil est aptius. Deinde vox Hebr. ציון aeque pro *arido* in genere, ac monte *Tsione* in specie usurpatur, tantum est leve discrimen in punctatione; pronunciatur enim צִיּוֹן cum *siccitatem* dicit, & צִיּוֹן cum *montem* illum signat. Hoc si admittatur, vox plur. *montes* faciliores habebit explicatus. Ne autem orationis structura scrupulum injiciat, not. 1. verbum *defluere* non respicere ad *Hermonem*, acsi inde delaberetur, sed ad *coelum*, cui *roris* destillatio ubique adtribuitur in Script. S. ut Deut. XXXIII: 13, 28. acsi legeretur: *sicut ros Hermonis*, *qui coelitus defluit super montes aridos*. 2. Membra ita cohaerere, ut posterius sit prioris explicatio & illustratio; hac ratione: *sicut ros Hermonis*, scilicet, vel, id est, sicut ros *qui de coelo in montes siccos* defluit. *Ros Hermonis* est, qui in eum montem defluit, quo ille totus tectus est; ros autem Hermonis est ros *montium aridorum*, adeoque *sicut ros Hermonis* idem est ac *sicut ros*, qui defluit in *montes aridos*. Mons *Hermon* ergo hic tanquam κατ' ἐξοχὴν *mons aridus* occurrit, coelitus humectari solitus: quod in *Hermonem* in Galilaea aptissime quadrat, cum *ros* ibi magna copia descendere soleat, teste *Maundrello*, sed in *Hermonem* ad limites Cananaeae Septentrionalis non nisi *humidi nivei* respectus, quo totus, quemadmodum *Libanus*, est tam aestate quam hyeme obtectus, quare eximie *mons nivis* adpellari solet. Licet autem nomine *roris* quemvis humorem coelestem comprehendere, ut Deut. XXXIII: 13, 28. Zach. VII: 12. Posset etiam haud inepte cogitari, duo haec membra, elegantiae causa disjuncta, hac ratione conjungenda esse, acsi legeretur, sicut ros qui *descendit super Hermonem*, *super montes aridos*. Quo nihil est vulgatius.

§. XX. Sed

§. XX. Sed hæc mittamus, & acquiescamus in simpliciore orationis structura, & de *rore Hermonis defluxuro in montes Tſionis* interpretemur: nec offendat locorum distantia, aut effectus naturæ leges migrans; quia sermo est hyperbolicus, quo emblema in majus, rei figuratæ causa, augetur, quemadmodum ad vers. 2. observavi. Conferatur nunc emblematica descriptio Ecclesiæ Apostolicæ in Tſione fundandæ; Jes. 11: 2. ubi *mons domus Jehovæ constabiliendus*, dicitur, *in vertice montium*, & *erigendus supra colles*: haud absimili ratione, ros Hermonis hic hyperbolice ob oculos ponitur, tanquam qui totam Cananæam pervaderet, & in montes *Tſionis* defflueret. In quo nihil est absurdi, modo *rei figuratæ* hoc conveniat, de quo nunc dispiciendum est.

§. XXI. Comparatio inter panegyrin totius populi, seu comitia regni solennia, Hierosolymis, & inter *rorem* Hermonis super montibus *Tſionis*, instituta, ut dextre capiatur, & in omni complexu suo ob oculos ponatur; operæ pretium fuerit, *a.* observasse, *Hermonem* hic memorari, tanquam limitem septentrionalem Cananææ, adeoque complecti totum populum, cis- & transjordanensem, versus septentrionalem *Judæ* plagam: quemadmodum Ps. cxxxii: 6. sub nomine *agrorum sylvæ*, sive *Libani* ut ibi vidimus. Ros Hermonis itaque est ros totius tractus septentrionem versus usque ad extremos terræ Cananææ limites, cis & trans Jordanem; *b.* adtendisse ad *usum* emblematis, ex *roris*, ejusque effectorum, populari conspectu eruendum. Emblemata enim naturalia non philosophice sed populariter sunt tractanda; si quis sensum eorum in Script. S., & vulgari usu loquendi, penetrare velit.

§. XXII. Hac ratione emblema *roris*, *a.* expingere solet *jucunditatem* & *laetitiam*, quatenus & *lucidi* ac jucundi est adspectus, & vim habet refrigerandi & refocillandi in calidis regionibus & temporibus: quo sensu *rivi aquarum in*

terra

terra arida occurrunt, Jeſ. XXXII. ita benignitas, ſeu ſtudium religionis, comparatur, propter *jucundam* quam præfert ſpeciem, *rori matutino*, Hoſ. VI. Hoc quam apte huc quadret, ex dictis ſponte ſua elucet. Conventus totius populi Hieroſolymis, qui de unione omnium Iſraelitarum teſtabatur, & pacis ac ſecuritatis erat indicium, lætiſſimi erat adſpectus, & ingentem lætitiam ac conſolationem adferebat, in primis *Hieroſolymae*, ſedi totius regni, ubi confluxerat populus. Erat itaque inſtar *roris* ſuper *montibus Tſionis*, ex Iſraelitarum terris orti. *b.* In *rore* adtendi ſolet ad guttularum immenſam copiam, & *compactionem* earum, ita ut multæ guttulæ unam rem conſtituere videantur. Unde eſt, quod *ros* multitudinem & denſiſſimam copiam ſignare ſoleat, ut 2 Sam. XVII: 12. *Erimus ipſi*, ſc. cum toto populo coacto ipſi ſuperveniemus, *ſicut cum ros cadit ſuper terram.* Huc etiam intenditur Pſ. CX., ubi immenſa diſcipulorum Chriſti copia cum *rore* comparatur, in phraſi, *ros juventutis tuae*: quo in loco ſimul reſpicitur ad lectiſſimam & vegetiſſimam multitudinis partem; quam Orient. *rorem*, ut Lat. *florem delibatum*, adpellant. Quod ſi ad animum revocemus, ſponte ſua ſeſe nobis offert ſumma *frequentia* Iſraelitarum, & quidem lectiſſimæ eorum partis, Hieroſolymis, & hoc tempore, & poſt futura. Erat itaque hic conventus inſtar *roris* ex terris Iſraelitarum ſuper Hieroſolymam *cadentis*.

§. XXIII. *c.* Ros, cum ſit medium, quo terra foecundatur, & facies terræ renovatur, præcipue in aridis terris, uſitatiſſimum ſolet eſſe omnis *abundantiæ* emblema: ita Deut. XXXIII. Hoſ. XIV. *ero tanquam ros Iſraeli*, Zach. VIII. Job. XXIX: 19. *ros pernoctabit in ramo meo*, & alibi. Hoc oculo ſi emblema hic intueamur, facili negotio detegimus, 1. omnium bonorum copiam per totam terram Cananæam expingi, 2. eorumque bonorum liberaliſſimam collationem in Hieroſolymas; quo factum fuit, ut Hieroſolyma quaſi revixerit, & inſigniter floruerit.

Quod

Quod in hunc conventum egregie convenit, tum quod dona & munera ab omnibus totius populi ordinibus fuerint in eo largissime exhibita, tum quod, Hierosolyma omnium consensu sede regni & religionis constituta, decimæ, primitiæ; aliaque dona in usus sacros, ab Israelitis copiose ad eam sint deferenda. Quam apte itaque *ros Hermonis* dicitur in *montes Tsionis defluere*. *d.* Denique *ros*, qui *coelo* delabitur & sine ope humana accidit, tanquam *donum* Divinum, quod de supremi numinis favore erga homines testatur, consideratur, eoque nomine imaginem præfert *benedictionis* Divinæ; uti in locis citatis, Deut. XXXIII. & alibi. Ros itaque *Hermonis*, ut benedictionem Dei super toto populo, sic *roris* illius delapsus super montes Tsionis repræsentat sortem, quam Hierosolyma haberet præcipuam in ea benedictione populi; tum quod effecta & fructus benedictionis eo deferrentur, tum quod *signa* favoris Dei erga populum hic ostenderentur, & exhiberentur, Deoque *grates* hic publice agerentur a toto populo: qua ratione ros *Israelis* in montes Tsionis deflueret. Hujus benedictionis Divinæ & signa in his comitiis fuerunt conspicua, & publica facta est celebratio, ut ex 1 Chron. XXIX. constat: quam apte itaque cum *rore* Hermonis super montes Tsionis comparatur hic *conventus*. *e.* Addi postremo & illud potest, *roris* emblema usurpari de studio religionis, ejusque exercitio, tum quod cultus Dei sit *coeleste* quid, tum quod pulchram præbeat speciem, tum quod ex *multis* partibus coadunatis sit compositus, tum denique quod civitati & Ecclesiæ vitam, florem, & veram consolationem ac refrigerium adferat. Ita Hos. VI. *benignitas* Israelis comparatur *cum rore*. Nihil ad hunc locum est accommodatius. Hisce enim in comitiis Hierosolyma est religionis sedes constituta, & in Templum, ibi condendum, omnes consenserunt, studiumque religionis in donariis, largissime manu offerendis, ostenderunt: ab hoc itaque tempore religio, a toto populo Hierosolymis unice exer-

cenda, recte dicitur speciem præbere *roris* Hermonis, seu terrarum Israelis, defluentis supra montes *Tsionis*.


§. XXIV. Subjungitur huic emblematicæ illustrationi nuda & simplex explicatio utilitatis, a fraterno illo conventu exspectandæ, his verbis: *profecto ibi præcepit Jehova benedictionem & vitam in perpetuum*. Nihil hic difficilis, modo verbo notetur, *ibi* pertinere ad *panegyrin* fraternam, ut ex argumento cantici & nexu orationis patet, *præcipere* vero hic & *sistere*, & *promittere*, denotare, intenditur enim futurum æque ac præsens, ut ex phrasi *in perpetuum* liquet. vid. Lev. xxv: 21. *Præcipere* Dei est proprie rem repræsentare, & dein se facturum polliceri. In vocibus *benedictionis* & *vitæ* respicitur ad promissa foederis Sinaitici, quæ & vitam longævam, & jucundam ac prosperam, omniumque bonorum abundantiam comprehendunt, his nominibus passim insigniri solita. Vid. Deut. xxx: 19. & ubique. Quousque sese phrasis *in seculum* porrigat, cum de promissis Sinaiticis agitur, supra sæpe observavi, quare hic nihil addam.

§. XXV. Sensus itaque est. 1. Signa favoris Dei, & *benedictionis* ejus effecta, fuisse in hoc conventu conspicua; ita ut de eo vere dici queat, Deum *ibi praecepisse*, præsto stitisse suam benedictionem: quod ex *utilitate* & *jucunditate* ejus, vers. 1. demonstrata, sponte sua elucescit. Præterquam quod hic conventus de pace & prosperitate regni testaretur, bonorum a Deo in populum collatorum præclara specimina in donis, ab ordinibus regni Deo consecratis, sunt præbita, & Deo propterea publicæ *grates* sunt actæ. 1 Chron. xxix. 2. Præterea significatur, Deum huic conventui adligasse suam benedictionem in perpetuum, eumque tanquam thesaurum constituisse, ex quo quævis bona identidem depromerentur, & in universum populum redundarent. Id enim emphasis phraseos, *ibi praecipere*, complectitur. Respicitur ad Templum eo in conventu decretum, & sacra ibi cum sacerdotio ordina-

dinata, ut ſupra ſæpe obſervavi &c. 3. Denique indicatur, in hoc conventu, tanquam luciſſimo ſpeculo, conſpici, qualis eſſe, ſeſeque gerere debeat populus, ſi *benedictionem* & *vitam* conſequi velit in perpetuum. In hoc enim conventu populus, *a.* ſeſe unitum & concordem, *b.* veræ religionis ſtudioſum, demonſtravit, & *c.* conſenſum in domum Davidis, ut regiam, & Templum Hieroſol., ut unicam religionis ſedem, publice eſt teſtatus. Hoc animo ſi eſſe pergeret populus, utique fieri non poſſet, quin omne genus bona, vi foederis Sin., in eum confluerent.

§. XXVI. Hactenus in *litterali* ſenſu hujus cantici explicando verſati fuimus. Sed nihil vetat, quominus ad regni Davidis & Salomonis antitypon extendamus cogitationes, easque defigamus in illud tempus, quo Meſſias, perſona Davidis depoſita, & peccato ac ſatana debellato, paceque ac ſpirituali benedictione impetrata, adſumere incepit perſonam *Salomonis*, ſive, ut clarius loquar, quo *rex* & *pontifex* Eccleſiæ ſolenniter unctus eſt, ut in hisce comitiis factum eſt. Quod tempore *Pentecoſtis* contigiſſe, quando Spiritus in Apoſtolos eſt effuſus, Petrus ipſis verbis docet. Act. 11. Sit itaque *conventus* Apoſtolorum, qui hisce *comitiis* reſpondeat, & *unctio* Aaronis exhibeat *Spiritus S.* effuſionem, oleo a capite Chriſto ad inferiora etiam membra deſcendente: nec longe quærenda erit convenientia. *a.* Apoſtoli, ut fratres, in unum coacti fuerunt. *b.* totum populum, ſeu 12. tribus repræſentarunt, 12. etiam numero Apoſtoli. *c.* Actum eſt de Eccleſia ædificanda, & omnia eo in conventu ad id ſunt præparata. *d.* Chriſti in coelis uncti in regem & Pontificem effecta conſecuti ſunt, & indicia in *oleo* Spiritus ad ipſos defluente, unde quoque ad infimas totius corporis Chriſti partes deflueret. *e.* Conſtitutus etiam eſt hic conventus omnium benedictionum theſaurus, & tanquam in imagine expinxit qualitates *Eccleſiae*, quæ benedictionis fieret particeps. *f.* Denique lectiſſima totius mundi pars, eaque

numerosissima, multa benedictione Spirituali mactata, *ros Hermonis*, seu mundi & Gentium, huc deflueret; seu gloriam & dona sua conferret in hanc novam Hierosolymam, tum communionis cum hac Ecclesia *matre*, tum *grati* animi testificandi ergo: prorsus quemadmodum *munera* Hierosolymam detulerunt Israelitæ, uti est Jes. LXVI. Posset quoque de Christo, qui in Galilæa est educatus, & versatus, ut & de Apostolis, viris Galilæis, in *roris Hermonis* emblemate cogitari, qui in Tsione resederunt. Sed hæc perstrinxisse suffecerit.



PSALM.



PSALM. CXXXIV.

1. *Canticum adscensionum. Ecce! benedicite Jehovæ omnes servi Jehovæ, stantes in domo Jehovæ. In ipsis noctibus*, seu *in jubilationibus*,
2. *Adtollite manus vestras in sanctum, & benedicite Jehovæ.*
3. *Benedicet Tibi Jehova e Tsione, qui fecit coelum & terram.*

PROLEGOMENA.

I.

ARgumentum cantici est Tsionitarum', cujuscunque ordinis & status, primo personarum sacrarum, dein reliquorum omnium civium, in unum coactorum, utique præsentium, exhortatio ab illustri persona, seu duce & præfecto, facta, ad Jehovam, Deum Israelis, bonum & veracem, dignis laudibus publice & læte celebrandum, eique gratias agendas, in eo fundata, & ex eo educta, quod Jehova, supremus Mundi rector, qui coelum & terram creavit, potentissimus & optimus, Tsionem inhabitans, inde populo Tsionæo sit benedicturus, uti in præsentia singulari modo fecerat, omnia bona in eum conferendo. Cum exhortationi ad Jehovæ benedicendum subjungat poeta, *Jehovam e Tsione benedicturum* esse, exhortationem suam in eo esse fundatam, & inde repetitam, quod Deus quævis prospera sit concessurus populo, clare indi-

indicat. Sunt, qui canticum volunt esse *dramaticum*, quo diversæ personæ sistuntur loquentes, aliæ benedictionem Jehovæ inperantes, aliæ benedictionem, a Jehova faciendam, pronunciantes, seu voventes & adprecantes, sive prior sit ductor Levitarum eos excitans ad officium recte faciendum, & posteriores sint Levitæ ductori benedictionem Divinam optantes, sive prior sit populus, a sacerdotibus benedictionem Dei petens, & posterior sacerdos, eam pronuncians. Sed, præterquam quod diversarum personarum, uti nonnulli recte observarunt, nullum sit indicium, & una eademque persona utrumque, adhortari scilicet alios ad Deum laudandum, illisque benedictionem vovere, præstare possit, maxime si, quod nos in argumenti propositione fecimus, benedictionis Divinæ adprecatio consideretur tanquam adhortationis fundamentum, & ratio movens; *prior* persona nec Levitarum ductor esse potest, cum omnes servi Jehovæ sine discrimine excitentur, ut & reliqui cives, nullumque sit indicium deductionis Levitarum ad ædem sacram, nec etiam, imo multo minus, populus, benedictionem a sacerdotibus petens, cum Jehovæ celebratio tantum injungatur personis sacris.

§ II. Præterea, ad verum cantici conspectum recte percipiendum, *duo* notari velim. *Unum* est, populum, ex personis sacris & civibus reliquis constantem, hic repræsentari in unum coactum, tanquam in comitia: cujus indicium in eo est, cum quod sermo ad præsentes dirigatur, tum vocula *ecce* in principio rem ob oculos sistat, uti Ps. præcedente habuimus, tum denique benedictio ei in sing. promittatur, vers. 3. *benedicat tibi* &c. *Alterum* habet, statum populi Israelis, seu Tsionitarum, fuisse pacatum, prosperum, quo multiplice benedictione Jehovæ fruebatur, & gauderet in posterum. Cujus indicium est sicut in vocula præmissa *ecce*, ut mox patebit, ita in eo, quod omnis status Tsionitæ excitentur ad Deum laudandum, eique

que gratias agendum, ejusque exhortationis ratio a benedictione Divina, ipsis adsignata, repetatur.

§. III. Qui characteres licet in varia populi Israelis tempora conveniant, uti Davidis & Salomonis, Josaphati, Hizkiæ, & Maccabæorum, Simonis ac Joh. Hyrcani; nullum tamen eo videtur aptius, quo David, sub finem regni, sacris ordinatis, & omnibus ad Templum, a Salomone condendum, ac ordines sacerdotum ac Levitarum, præparatis; comitia totius populi Hierosolymis celebravit, quibus munera & dona largissime sunt ab ipso & primoribus oblata, Salomo quoque & Zadock solenniter uncti sunt & inaugurati. Quam hypothesin, 1. hujus & superioris cantici comparatio egregie commendat. Utrumque enim cum הנה *ecce*, particula rem præsentem ob oculos sistente, incipit, & in *benedictione* populi a Jehova terminatur: 2. luculenter illustrat & valide confirmat, quod David 1 Chron. XXIX: 20. orationem & preces hac ipsa adhortatione, ad totum coetum directa, concluserit, & *dixit David universæ concioni, benedicite, age, Jehovæ Deo vestro, & benedixit totus coetus Jehovae, Deo patrum ipsorum* &c.

§. IV. Quibus admissis, de *autore*, tempore & scopo cantici facile judicatur. Idem enim, qui præcedentis, *autor* erit David; eodem etiam *tempore*, quo illustria illa comitia habita sunt, quibus superius canticum adplicui, compositum; eo denique *scopo*, ut populus cum Sacerdotibus & Levitis ad Jehovam pro concessis beneficiis celebrandum excitaretur: sicut factum tunc fuisse, modo ex 1 Chron. vidimus. Plusquam probabile itaque est, canticum hoc superioris esse adpendicem & clausulam, eoque tendere, ut populus ad Deo, pro benedictione a Deo inpetrata, & exspectanda, gratias agendas publice excitaretur, & hac formula in posterum uteretur inter sacra, in memoriam illustris hujus eventus, & ad se invicem

ad

ad Deum laudandum, & digne tanto favore agendum.

EXPLICATIO.

§. V. Hypothesi cantici explicandi jacta, ad *partes* ejus paucis illustrandas, cum pluribus non sit opus, pergo. Sunt autem, ut ex dictis patet, *duae; prior* exhortatoria ad Deum celebrandum, vers. 1, 2. *posterior* promissoria, ad officium injunctum urgendum, vers. 3. *Prior* ita habet vers. 1, 2. *Ecce! benedicite Jehovae omnes servi Jehovae, consistentes in domo Jehovae; in ipsis noctibus*, vel *in jubilationibus, adtollite manus vestras ad sanctum, & benedicite Jehovæ.* h. e. Ecce tempus est opportunum, & ratio movens, Jehovæ Deo Israelis, veraci & bono, laudes accinendi & gratias agendi! vos itaque, qui præsentes adestis, & omnia hæc Jehovæ beneficia in populum collata coram oculis habetis, cujuscunque sitis ordinis & status, officium hoc Jehovæ præstate; vos, servi Jehovæ, in domo Jehovæ stantes, sacerdotes & Levitæ functiones sacras in æde ejus obeuntes, in laudes Dei erumpite, vos quoque cives reliqui, quicunque sitis, manibus coelum versus sublatis, jubilate & benedicite Jehovæ.

§. VI. Cum honorificus titulus *servorum Jehovae*, de sacerdotibus & levitis satis usitatus, & phrasis *standi in domo* Jehovæ pro functionibus eorum sacris, cujuscunque sint naturæ, satis nota sit, mox etiam, Ps. sequente recurret; *benedictionis* Jehovæ notio, omnem laudationem, celebrationem & gratiarum, actionem involvens, abunde illustrata, adeoque nostra opera hic non requiratur; *tria* tantum proferam observata, minus vulgata. *Primum*, ad voculam cantico præmissam הנה *ecce* pertinens, habet, eam adtentioni excitandæ non tam inservire, quod in tali orationis serie, ubi officium inperatur, insolentius est, quam

quam ipsum officium, quod sequitur, commendare ab opportunitate temporis, & rationem moventem ac incitantem, tanquam præsentem, ob oculos ponere: adeo ut eundem hic usum habeat, quem ad Ps. CXXXIII: 1. observavimus, idemque sit, acsi plenius dictum fuisset: *ecce!* videte & ad animum revocate vos, qui præsentes adestis, quam debitum & opportunum sit officio, ad quod vos exhortor, defungendi; quanta sit, & futura sit, super vobis benedictio Jehovæ. Respicit enim hæc vocula ad versum *tertium*, & cum eo quoque cohæret, facitque ad populum eo magis inflammandum, ut in Jehovæ benedicendo strenuus sit ac copiosus. *Ecce* itaque est, *ecce* nunc tempus est id faciendi, *ecce* quam magna & multiplex est Jehovæ super vobis benedictio! *benedicite* ergo *Jehovæ* &c.

§. VII. *Secundum* observatum, ad vers. 2*dum* illustrandum, duplex est, *alterum* circa personas, ad quas adhortatio dirigitur, *alterum* circa sensum, in primis respectu vocis קדש *sancti.* Sermonem excitatorium ad eosdem, ac vers. 1., adeoque *servos Jehovæ stantes in domo Jehovæ*, verti, uti communiter statuitur, non autumaverim, sed ad alios quoscunque præter personas sacras, cum ut inelegans & inutilis repetitio vitetur, tum quod reliqui cives, in comitia coacti, excludi nequeant, iisque idem officium Deo benedicendi recte conveniat; in primis quia David *toti coetui* dixerit, *benedicite Jehovæ*, 1 Chron. XXIX: 20. ut modo vidimus. Quod vero ad sensum verborum adtinet, notari velim, *sanctum* hic rectius de *coelo* capi, & *manus eo adtollere* respicere ad gestus precantium ac benedicentium, simul ardens studium benedicendi & subjectionis testificationem complecti. *Sanctum* intelligi, quo manus tollantur, & non manuum qualitatem, ut nonnulli capiunt, ad earum *puritatem* referentes, structura sermonis edocet, cum non habeatur, *tollite manus sanctitatis*, sed *manus vestras sanctum*, pro, per facillimam ellipsin, *ad sanctum*; & usitata satis sit phrasis, *tollere manus ad sanctum*,

ctum, uti 1 Reg. VIII: 38. Pſ. XXVIII: 2. & alibi. Etſi vero de ſanctuario terreſtri, in Tſione erecto, quod Deus *inhabitare* cenſebatur, capi poſſit, & debeat, ut paſſim ſolet, cum eo ſeſe in precibus & laudationibus Dei vertere ſolerent, ſicut 1 Reg. VIII. & alibi traditur; *coelum* tamen exclusum nolim, ſicut Pſ. XXVIII: 2. *manus adtollere ad aditum ſanctitatis Dei*; ubi vid. dicta, cum Deus mox ſiſtatur, verſ. 3. *creator coeli & terræ, qui e Tſione benedicit*, adeoque thronum habet in coelo, & ſcabellum pedum in terra, ſeu Tſione. *Manus vero tollere ad ſanctum*, qui geſtus erat precantium & celebrantium Jehovam, uti conſtat, ſicut ſinceritatem & ardorem, neceſſarium ſancti hujus officii requiſitum, ita fidei & ſubjectionis confeſſionem, qua Deo *manus* quaſi dantur, ipſeque verus Deus, & ſummus Dominus, omnis boni largitor liberaliſſimus, & omniſufficiens, agnoſcitur, comprehendit. Quibus, quippe facilibus, non inmoror.

§. VIII. Sed quid ſibi vult vox בלילות *in noctibus*, ut vertitur, in fin. verſ. 2*di?* cui illuſtrandæ *tertium* inſerviet obſervatum. Ad excubias Levitarum in domo Jehovæ referri, ſicut ſolet, & ſtructura orationis poſtulat, vix poterit, cum nec de ſolis Levitis, ſed *omnibus* ſervis Jehovæ hic agatur, nec phraſis *ſtare* in domo Jehovæ ad ſolas excubias reſtringi queat, nec, quid emphaſios habeat, & quo tendat, adpareat. Quid, ſtationem *in noctibus* ſpeciatim memoraſſe, adtinebat? ſi continua & perpetua ſtatio indicaretur, ut volunt, *interdiu* æque ac *noctu*, dictum fuiſſet: niſi *nox* ſit νυχθήμερον, uti apud Arab. & Job. III: 6. ſed id rarius in Script. S., & ne ſic quidem multum ad rem faceret. Nec ſatisfaciunt, qui cum benedictione Jehovæ, a ſervis Dei facienda, conſtruunt; cum *nocturnæ* benedictionis & laudationis Jehovæ mentio huc minus quadret, utique ſine ratione & emphaſi fieri videatur: ne dicam, cum *ſtatione* propius cohærere, & a *benedictionis* adhortatione longius diſtare; niſi quis, uti LXX fecerunt, ver-

versuum distinctione missa, cum sequentibus construi velit.

§. IX. Mihi nihil aptius videtur, quam vocem בלילות sumere pro בהלילות, a radice הלל, & vertere *in jubilationibus*, ac cum seq. jungere, ut sit, *in jubilis tollite manus vestras ad sanctum, & benedicite Jehovæ.* Quem sensum, rei & scopo congruum, nemo forte spreverit, modo vox Hebr. eum admittat. Parum difficultatis adfert litteræ ה defectus, cum in ipsa punctatura בלילות pro בהלילות lateat; nec desint similia exempla. Sed הלילה pro *jubilatione* nusquam occurrit, quod sciam, fateor; sed cum הלולים pro *laudationibus* in usu sit, quare הלילות, a sing. הלילה, vigente lingua non obtinuerit, nulla ratio est; cum forma satis sit analogica, & in aliis vocibus obvia, uti ex gr. in עלילה a עלל, שנינה a שנן, פלילה a פלל, לבינה a לבב, חנינה a חנן, & pluribus aliis, quæ sunt formæ פקיד. Sensus itaque erit, cives posse & debere manus ad Deum, in coelo & Tsione degentem, cum jubilis, lætis, gloriabundis & triumphabundis, vocibus elevare, ac Jehovam ea ratione laudare, & celebrare, eique gratias agere. David hoc ipso tempore dixit, 1 Chron. XXIX: 13. *confitemur nos tibi*, ומהללים *læti ac jubilantes celebramus nomen magnificae tuae excellentiae.*

§. X. *Posterior* cantici pars, rationem moventem officii benedicendi Jehovæ, modo injuncti, a benedictione Jehovæ, qua gauderet populus Tsionis, derivatam, complexa, his verbis apte subjungitur, vers. 3. *Benedicet tibi Jehova e Tsione, qui fecit coelum & terram.* h. e. Cum tibi, popule Tsionis! quævis bona, favoris sui signa & effecta, ex adfectu benevolo, sit largiturus, uti voveo & promitto, *Jehova*, Deus Israelis, isque verax & bonus, qui Tsionem elegit sedem suam, ibique *praecepit benedictionem & vitam*, omnipotens iste & omnisufficiens universi creator, & rector supremus, videtis vos omnes, quam opportune, & solida ratione ductus, vos ad Jehovæ benedicendum exhortatus sim, quamque necessarium, & debitum,


tum, sit officium illud, quod injunxi. Verba votum non tam, quam promissum benedictionis divinæ super populo Tsionis continent, quare in fut. occurrit verbum *benedicet* tibi, & manifeste ad vers. 3*tium* cantici præcedentis, *quia ibi praecepit Jehova benedictionem* &c. respiciunt, eoque tendunt, ut hoc promisso superior adhortatio ad Jehovam celebrandum tanquam necessaria, debita & tempestiva, urgeretur, & animis altius inprimeretur: uti supra observavi, & sponte sua ex structura cantici in oculos incurrit.

§. XI. Cum supra ad præcedens canticum de *benedictione*, Tsioni adsignata, exposuerim, titulus *Jehovae*, & *factoris coeli ac terrae*, nihil difficultatis habeat, aut moræ injiciat, de voce *e Tsione*, & sing. num., quo poeta, dicens *benedicet tibi*, utitur, paucis absolvam. Vox *e Tsione* multum, respectu constructionis, de ambiguo trahit; potest enim cum *Jehova*, verbo *benedicere*, & pronomine *Tibi*, connecti. *Jehovae*, quocum proxime cohæret, si adnectatur, relatio ejus ad Tsionem, quam arctissima, ob oculos ponetur; adeo ut *Jehova e Tsione* sit Tsionita quasi, qui sedem fixit Hierosolymis in monte Tsionis, ubi coli, undeque benedicere, & denominari vult: sicut Ps. sequente, vers. 21. *benedictus sit Jehova e Tsione habitans Hierosolymis*, videbimus. Quod si cum verbo *benedicere* conjungatur, ut facile potest, sensus erit, Jehovam in Tsione thesaurum quasi bonorum suorum recondidisse, & inde ea esse in totum populum collaturum; quatenus, ut Ps. CXXXIII: 3. habuimus, *ibi praecepit benedictionem*; sicut Ps. CXXVII: 5. *benedicat tibi Jehova e Tsione, & videas bonum Hierosolymae:* ubi vid. dicta; & Ps. XX: 3. *Mittat auxilium tuum e sancto, & e Tsione fulciat te.* Denique si vox *e Tsione* ad personam referatur, cui benedictio Jehovæ promittitur, ut sit, *tibi*, qui es *e Tsione*, vel Tsionita, benedicat Jehova: benedictio ad populum Tsionis restringetur, simul unusquisque de Tsione, seu civis Tsionis, tanquam metropolis regni & Ecclesiæ, comprehendetur; adeo ut

e Tsio-

e Tsione sit cum populus, acsi haberetur ציון עם *populus Tsionis*, tum unusquisque de Tsione, cui jus civitatis ejus competit. Nihil vetat, ut amplior sensus sit, statuere, ambiguitatem studio esse captatam, ut omnia hæc comprehenderentur, quippe connexa, & huc recte quadrantia. Jehova enim Tsionita recte dicitur Tsioni benedicere e Tsione.

§. XII. Ex quibus, quam apte poeta loco *vobis* dixerit *tibi* benedicet, elucescit; sive distributive, ut dicitur, capiatur, pro *cuique* vestrum, quos ad Jehovæ benedicendum excitavi, quod jam occupatum est, sive ad populum Tsionis, collective sumtum, respiciatur, voce *e Tsione* ansam præbente. Est utique numerorum permixtio hoc in casu satis usitata & facilis, ut de populo modo in plur., modo in sing., mentio fiat: quod hic eo rectius admittitur, quia populus in unum coactus, adeoque tanquam *unitus*, hic, ut supra vidimus, consideratur.





PSALM. CXXXV.

1. *Hallelujah. Celebrate nomen Jehovæ, celebrate servi Jehovæ.*
2. *Qui statis in æde Jehovæ, in atriis domus Dei nostri.*
3. *Laudate Jah, quia bonus, nomini Jehovæ psallite, quia jucundum est.*
4. *Quia Jacobum elegit sibi Jah, Israelem in peculium suum.*
5. *Ego novi, magnum esse Jehovam & Dominum nostrum præ omnibus Diis.*
6. *Quicquid vult Jehova, facit in coelo & terra, in aquis & omnibus abyssis.*
7. *Exæstuare faciens*, vel *facit*, *vapores elatos ab extremitate terræ, fulgura ad pluviam facit; producens est* (producit) *ventum e thesauris suis.*
8. *Qui percussit primogenitos Aegypti, ab homine ad bestiam.*
9. *Misit signa & portenta in medium Aegypti*, vel *tui, o Aegypte!*
10. *Qui percussit gentes multas, & occcidit reges multos potentes.*
11. *Sichonem regem Emorhæorum, Ogum regem Basanis, & omnia regna Cananæa.*
12. *Et terram eorum dedit haereditatem populo suo Israeli.*

13. *Jeho-*

13. *Jehova est nomen tuum in perpetuum, Jehova est memoriale tui in ætatem & ætatem.*

14. *Quod judicaturus sit Jehova populum suum, & de servis suis condoliturus.*

15. *Idola gentium aurum sunt & argentum, opus manuum hominis.*

16. *Os ipsis est, nec loquuntur, oculi ipsis, nec vident.*

17. *Aures ipsis, nec auribus percipiunt, etiam vacuitas soliditatis spiritus in ore ipsorum.*

18. *Instar eorum erunt,* vel *sint, fabricatores eorum, quicunque in iis fiduciam reponunt.*

19. *Domus Israelis benedicite Jehovæ, domus Aaronis benedicite Jehovæ.*

20. *Domus Levi benedicite Jehovæ, timentes Jehovæ benedicite Jehovæ.*

21. *Benedictus* sit *Jehova e Tsione, inhabitans Hierosolymam.*

PROLEGOMENA.

§. I.

ARgumentum cantici est seria adhortatio, ac adfectuosa excitatio, Israelitarum omnis ordinis & status, omniumque Dei timentium in medio eorum, ad Deum quovis modo laudandum, & lætis vocibus celebrandum, ratione movente petita a Dei bonitate, & Israelis electione in peculium, nec non formula Deo confitendi ac laudes dandi suppeditata, qua uti, vel ad quam, tanquam normam, sese componere possint, quæ varia continet potentiæ & bonita-

bonitatis Dei ſpecimina, mundo & populo Dei præſtita, & olim & nunc, & in perpetuum continuanda; præterea vanitatis idolorum & idololatriæ confeſſionem & demonſtrationem, una cum eorum exitio, qui ei fuerint dediti. Poeta incipit cum hac adhortatione, & in ea deſinit, rationes moventes verbo tantum memorat, ſed in formula laudandi ſuppeditanda prolixior eſt, quippe quæ maximam & præcipuam cantici materiam conſtituit: ut ſequens tractatio docebit.

§. II. Quod argumentum ut recte intelligatur, notandum eſt, 1. Populum, ad quem ſermo dirigitur, diſtribui in domum Iſraelis, Aaronis & Levi, ac proſelytos, *timentes Jehovæ* dictos, nulla mentione regum aut principum facta, argumento, ſummam rerum hoc tempore penes miniſtros ſacros in rep. & Eccleſia fuiſſe, & proſelytos haud exiguo fuiſſe numero inter Iſraelitas. 2. Repræſentari præterea populum, tanquam ab omni idololatria alienum, uti ex formula Deum laudandi, quæ ipſi præſcribitur, manifeſtum eſt, cum Deus in ea celebretur, tanquam ſolus Deus, ſupremus rector univerſi, & Eccleſiæ ſervator ac vindex potentiſſimus, *idola* diſerte tanquam vana proſtituantur cum eorum cultoribus. 3. Denique populum hic ſiſti, tanquam Hieroſolymis religionem exercentem, pace & proſperitate gaudentem, & cum publica idolorum traductione glorioſe ac miraculoſe in libertatem vindicatum a Deo. Præterquam quod nulla aut calamitatis aut periculi fiat mentio, *a.* excitatio ad jubilationem, & laudationem Dei, illud pro hypotheſi habet. *b.* Ratio quoque movens, a bonitate Dei, & electione Iſraelis in peculium, petita indicat, populum hoc tempore utriusque ſigna & effecta experiri. *c. Formula* denique laudationis Dei haud unum ejus ſtatus præbet indicium, in vindicta ab Aegyptiis ſumta; populorum hoſtilium trans & cis Jordanem ſubjugatione, & Cananææ diviſione inter Iſraelitas in perpetuam poſſeſſionem, in nomi-

nominis Jehovæ continuata demonſtratione per populi vindicationem, nunc etiam facta, & in poſterum facienda, denique in idolorum & idololatrarum proſtitutione. Quæ omnia poſtea in clariore luce collocabo.

§. III. Quæ criteria qui debite adverterit, is profecto mecum non dubitaverit, quin canticum unice in tempora Maccabaica, in ſpecie Simonis Ethnarchæ, conveniat, læta quippe illa & proſpera, quibus populus in pleniſſimam libertatem adſertus pacifice & proſpere degit, nova ſpecimina bonitatis & potentiæ Dei, ſimilia antiquis, quibus ex Aegypto eductus, & in Cananææ poſſeſſionem immiſſus eſt, luculenter expertus, & vim nominis Jehovæ ſemper durantem novo ſpecimine intuitus eſt; idola & idololatras quoque vidit publice proſtitutos. Quæ ex Pſ. cxv., noſtro aliqua ratione ſimili, confirmantur: uti ex dictis ad eum Pſ. liquet. Sunt, qui ex verſ. 14. *quia judicabit Jehova populum ſuum* &c: colligunt, populum hoc tempore in gravi calamitate & oppreſſione fuiſſe verſatum ab hoſtibus, ita ut opus habuerit *vindicatione* Dei. Sed, ſi ad nexum verborum cum præced., & verum eorum conſpectum, adtendatur, longe aliud hinc colligendum eſt, populum nim. vim perpetuam nominis Jehovæ & nunc ſenſiſſe, & experturum in poſterum, adeoque & nunc fuisſe vindicatum, & poſtea, ſi in ſimilem calamitatem inciderit, eſſe vindicandum. De quo ſuo loco.

§. IV. Ex quibus de *occaſione* & *ſcopo* Pſ. facile judicatur. *Anſam* præbuit præſens populi, recenter in libertatem vindicati, conditio læta & proſpera, quæ omnes excitare debeat ad læta cantica Deo accinenda, & omnium ora in ejus laudes ſolvere. *Scopus* eſt, populum partim in fide Jehovæ, veri & ſupremi Dei, Dei Iſraelis, & ſpe in eum reponenda, confirmare, quo cuncta tendunt, ut facile patet, partim excitare ad Deum debite glorificandum, tanquam præcipuam gratiarum actionum & cultus Dei partem, partim denique inſtruere vera ratione & modo illud

Qqq facien-

faciendi, formula quoque eum in finem tradita; quæ argumentum Pf. fere totum abfolvit, verf. 5—18.

§. V. *Structura* Pf. cum nihil habeat fingulare, ftylus quoque planus & facilis fit; mox ad *analyfin* pergo. Partes Pf. quatuor funt. I. *Prima* eft adhortatio in fpecie ad facros miniftros, actu miniftrantes in Templo, directa, ut Deum laudent, ratione ducta a bonitate Dei, & fpeciali electione Israelis in peculium, verf. 1–4. II. *Secunda* continet formulam cantici laudatorii, qua uti poffint, & populo præire in Deo celebrando, verf. 5–18. cujus membra poftea recenfebo. III. *Tertia* repetit exhortationem, fed latius extenfam ad omnis ftatus & generis homines inter Israelitas, verf. 18, 19. IV. *Quarta* continet claufulam, qua Deus benedicitur a poeta, verf. 21.

EXPLICATIO.

§. VI. Cum inveftigatione hypothefios Pf. exponendi opus non fit, cuncta enim recte in tempus, fupra definitum, quadrant, nec ratio ulla eft ab eo difcedendi, aut ad Novam Oeconomiam cum nonnullis oculos flectendi; *expofitionem* inftituere adgredior. *Prima* pars comprehendit. א. adhortationem fervorum Dei ad eum celebrandum verf. 1, 2. ב. ejus rationes moventes, verf. 3, 4. א. Adhortatio ita fonat, verf. 1, 2. *Hallelu-Jah. Celebrate nomen Jebovæ, celebrate fervi Jebovæ, qui ftatis in æde Jebovæ, in atriis domus Dei noftri.* h. e. Vos, fervi Jehovæ! ad quos præ reliquis fermonem meum exhortatorium dirigo, qui rebus facris in Templo, five æde ipfa five atriis, fungimini, Sacerdotes itaque & Levitæ, actu miniftrantes, magno cum ardore, corpore vibrato, & voce elata, laudibus celebrate magnificum & gloriofum nomen Jehovæ, Dei noftri, feu Deum, qui fefe nominis fui Jehovæ demonftratione reddidit illuftrem. Præmittitur infcriptio

Pf.

Pſ. voce הללויה *Hallelujah;* quippe quæ non partem ejus, ſed titulum præfert, ut ex variis Pſ., eo titulo inſignitis, liquet, & in antiquis verſionibus recte obſervatum eſt *a.* Unde liquet, quam precario myſterium Trinitatis a nonnullis quæratur in *trina*, ut putant, repetitione verbi הללו *laudate.* Dirigitur autem adhortatio unice ad ſervos *Jehovæ.* Quod enim modo in genere dictum erat, *laudate nomen Jehovæ*, illud mox reſtringitur ad *ſervos* ejus, verbo הללו elegantiæ tantum & emphaſios gratia repetito, idem enim eſt, acſi ſimpliciter haberetur, *laudate ſervi Jehovæ nomen ejus;* ut Pſ. CXIII: 1. *laudate ſervi Jehovæ:* ne autem alios ac miniſtros ſacros, eosque actu in Templo ſervientes, intelligeremus, poeta mox addit, *qui ſtant in aede Jehovae, in atriis domus Dei noſtri.* h. e. qui miniſterio ſacro funguntur in præſenti, ſive *Sacerdotes*, ſive *Levitae*, quorum alii in ipſa æde, ex ſancto & ſancto ſanctorum conſtante, alii in atriis miniſteria obibant. Quibus verbum *ſtare* adtribuitur ad functiones eorum exprimendas. *b.* Ex quo colligere licet, canticum, quod verſ. 5. incipit, ab ipſis publice eſſe in Templo inter ſacra canendum. Vid. ad Pſ. CXIII. Vult itaque poeta hac exhortatione, ut miniſtri ſacri præeant in canendo ad laudes Dei, & dein ſuccinant reliqui omnes, vel eorum exemplum imitentur, verſ. 19– *Eſt* autem adhortatio ad *laudandum nomen Jehovae.* h. e. Deum reſpectu earum virtutum & relationum ad populum, quæ nomine *Jehova* comprehenſæ ſunt, quasque nunc etiam ſingulari modo demonſtraverat. Vid. ad Pſ. CXIII: 1. Hanc enim nominis *Jehovæ* emphaſin hic eſſe adtendendam, egregie ex verſ. 13. eluceſcit, de quo poſtea.

§. VII. 2. Rationes moventes, quibus adhortatio urgetur, duæ proferuntur, *α. prior* a bonitate & amoenitate Dei, & laudis ejus, derivatur, verſ. 3. *β. poſterior* a benefi-

Qqq 2

a Vid. ad Pſ. CXI–CXIII. *b* Vid. Braunius ſelect. ſ. p. 199 & Gejerus ad Pſ. CXXXIV.

neficio electionis Israelis in peculiarem Dei populum, verſ. 4. *a.* *Prior* ita habet, verſ. 3. *Laudate Jah quia bonus; nomini Jehovae pſallite quia jucundum eſt.* h. e. Celebrandi Jah, & nomen Jehovæ pſalmis laudandi, & rationem & materiam habetis in bonitate Dei, & amoenitate nominis iſtius; adeo ut & excitari per illam debeatis, & inde materiam laudandi ac canendi ſumere poſſitis. Duo ſunt verſus membra, alterum his verbis continetur, *laudate Jah quia bonus eſt*, alterum vero hisce, *pſallite nomini Jehovae, quia jucundum.* Vulgo *Jehova* connectitur cum præced., ſed debet cum ſeq., ita ut ſit; *Jehovae pſallite nomini ejus*, quod eſt, ſtylo orientali, idem ac, *pſallite nomini Jehovae:* rationes ſunt, 1. quod uſitata phraſis ſit, *laudate Deum, quod bonus*, & non, *quod bonus Jehova:* vid. Pſ. CXXXVI: 1. CVI: 1. CVII: 1. & alibi. 2. quod minus recte fluat, *laudate Jah, quia bonus Jehova*, nomen Jehova additum, ubi dictum erat, *laudate Jah*, neſcio quid incommodi habeat. 3. quod & alibi occurrat, *pſallere nomini Jehovae*, ut Pſ. VII: 18. & *pſallere Jehovæ*, Pſ. XCVIII: 5. præterea modo habuimus, verſ. 1. *laudate nomen Jehovae.* Ceterum, quod tantum notandum habeo, voces, *quia bonus* eſt, *quia jucundum*, duplice ratione capi poſſunt, & de ratione movente, & de argumento laudationis ac cantus: *priore* modo erit ſenſus, rationem habetis, quæ vos ad laudandum & canendum excitet, in bonitate Dei, & amoenitate nominis ejus ſitam; *laudate, quia bonus eſt;* dignus propterea eſt, qui celebretur, & non poteſt non vobis quoque illud eſſe *utile* & *jucundum:* quod addo, quia verti quoque poſſunt voces, *bonum eſt, jucundum eſt*, ut Pſ. CXLVII: 1. *Laudate Jah, quia bonum eſt canere Deum noſtrum, quia laus ejus jucunda decora eſt.* *Poſteriore* vero modo verti poſſunt verba, *laudate Jah, quod bonus eſt, pſallite nomini Jehovæ, quod jucundum eſt*, h. e. ſit, hæc materia laudationis & cantationis veſtræ, *Deum eſſe bonum, & nomen ejus ſuave.* Hanc veritatem, hasce virtutes

tutes & relationes Dei, & olim & nunc demonstratas in gratiam populi, deducite carmine in honorem Dei, & celebrate. Digitus videtur simul intendi ad solenne, & usitatum in re læta canticum, quod incipiebat verbis: *bonus Jehova, in seculum benignitas ejus;* cujus frequens est mentio. Conf. Ps. CXVIII & CXXXVI. I Chron. XVI: 34. 2 Chron. VII: 3. XX: 21. & alibi. Ceterum cum *nomen Jehovæ* adpellatur נעים, simul respicitur ad liberalitatem donandi, quæ sese uberrime exserit, adeo ut nomen illud נעים nuncupetur, quatenus fons est omnis boni: usurpatur enim apud Arab. pro *largiendo* & *liberaliter impertiendo a.*

§. VIII. β. *Posterior* ratio, ab electione Israelis in populum peculiarem, his verbis profertur, vers. 4. *Quia Jacobum elegit sibi Jah, Israelem in peculium suum.* h. e. cum Deus Israelem olim elegerit, sibique adseruerit, populum peculiarem, a gentibus separatum, illudque hoc etiam tempore luculenter demonstraverit: sicut vestri in primis officii est, Deum laudibus extollere, ita rationem inde habetis, quæ vos excitet ad illud agendum, simul materiam abundantissimam laudationis. Verba respiciunt ad populi liberationem ex Aegypto, & formationem in populum peculiarem ad montem Sinai, ubi סגלה *peculium* Jehovæ factus est, de qua voce dixi ad Mal. III: 17. Sed, cum hic illud beneficium repetatur, Israelem & hoc tempore tanquam talem fuisse publice demonstratum, indicatur, ut facile cernitur. Habent vero hic conspectum & *rationis moventis*, & *materiæ* cantici laudatorii, uti modo observavi. Sed *ratio* movens duplicis est generis; altera continens *officium*, Israeli, tanquam peculiari populo, incumbens, altera *beneficium* singulare, quo excitari debeat ad Deum celebrandum: adeo ut sensus sit, laudate Deum, quia vos hoc cum maxime decet, cum sitis populus Dei peculiaris, cujus est, Deum, patronum & Dominum, celebrare

a Vid. Schultens ad Har. cons. VI. p. 193.

brare, præterea rationem habetis id faciendi, a singulari hoc beneficio, quo mactati estis, desumtam.

§. IX. *Secunda* Ps. pars comprehendit canticum, quod in laudes Dei a servis ejus cani vult, summatim propositum, vers. 5--18. In quo *a.* occurrit propositio generalis vers. 5. *b.* deductio ejus specialis, vers. 6--18. *a. Propositio* ita sonat, vers. 5. *Ego novi magnum esse Jehovam, & Dominum nostrum præ omnibus Diis.* h. e. Sit hæc cantici summa, ab unoquoque vestrum canendi: certissime ego persuasus sum, Jehovam esse magnum, & illustrem, solum verum Deum esse Dominum nostrum, omnibus sic dictis Diis longe superiorem, ita ut nihili sint respectu Dei. Interpretes vulgo censent, novam rationem moventem hic exhiberi, vocula כִּי *quia*, quacum incipit versus, *quia ego novi*, inducti. Sed illa vocula sæpe, ut Gr. ὅτι, abundat, vel orationem simpliciter inchoat; aut cum emphasi *profecto*, *sane a.* Nova si hic occurreret tantum ratio movens, superfluæ forent voces, *quia ego novi*, & rectius flueret oratio, si sequeretur, *quia magnus Jehova.* Præterea, cum poeta servos Dei excitasset ad Deo canendum, probabile utique est, ipsum etiam formulam cantici iis tradidisse; quemadmodum & simili in casu alibi fit, ut Ps. CXI--CXIII. CXLVII. &c. Denique formulam cantici, a servis Dei canendi, hic tradi, ex eo firmatur, quod vers. 13. sermo ad Deum vertatur; argumento, canticum esse, quod Deo canitur. Poeta itaque non est, qui loquitur, cum dicit, *ego novi*, sed unusquisque ministrorum sacrorum, quos ad Deum cantu celebrandum excitaverat: quos nunc introducit id facientes. Quod clarius foret, si præmisisset, *dicite;* ut Ps. CXVIII: 2-4. Sed illud verbum, אמר, sæpe per ellipsin reticetur, mente supplendum *b.* Apte vero iis hoc in ore dat, *ego novi*, quia ministri sacri erant, quorum erat cum adseveratione loqui, ad majorem aliorum, quibus præire debebant, convictionem. Formula

a Vid. ad Mal. I: 11. *b* Vid. ad Mal. III: 10.

la autem usitata est *adseverationis*, quæ rem certissimam & testatissimam esse significat, sive a Deo, sive hominibus usurpetur. Vid. Exod. III: 19. Job. XIX: 25. Exod. XVIII: 11. Summaria doxologiæ propositio est, *magnus est Jehova, & Dominus noster præ omnibus Diis.* h. e. Opibus & robore absolute magnus est, & præpotens summo gradu Jehova, Dominus noster; estque relate ad Deos & dominos omnes alios, quoscunque & qualescunque, iis incomparabiliter major; adeo ut nihili sunt, comparatione cum Jehova instituta. Verba, elegantiæ ergo divulsa, hac ratione sunt ordinanda. *Magnus est Jehova, Dominus noster, & magnus est præ omnibus Diis.* In priore membro adpellat *Jehovam*, in posteriore *Dominum* nostrum, variationis causa, & utrobique *Jehovam Dominum nostrum* vult intelligi. Deinde, non dicit, *magnus Jehova, Dominus noster, præ omnibus Diis*, sed, Jehova & Dominus noster; ut indicaret *duo* de Jehova, Domino suo, se prædicare, alterum absolute, alterum comparate. Denique cum in posteriore membro Jehovam adpellat *Dominum* & reliquos *Deos*, elliptice loquitur, & utrobique *Deum & Dominum* comprehendit, ut plena sit oratio; *Deus & Dominus noster est magnus præ Diis & Dominis omnibus;* uti 1 Cor. VIII: 5, 6. *Prius* itaque membrum, absolute propositum, *magnus est Jehova*, declarat, Jehovam, quod proprium est Dei Israelis nomen, esse omni modo & parte, ac κατ᾽ ἐξοχὴν *magnum*, quod Ps. XCVI: 4. dicitur, *magnus & laudandus valde;* adeoque summo gradu, & solus magnus; cui epitheton *magni* unice & absolute ac summo gradu competit, quatenus & opibus suis dives est, & viribus validus, omnisufficiens & omnipotens: quod utrumque involvit vox גדול; cujus radix proprie dicit, *implicari multis filis, & sic densius intorqueri;* unde inter alia ad *opes* & *vires* transiit, ut opibus & viribus validum ac magnum denotet. *Posterius* membrum, comparative expressum, *Dominus noster præ omnibus Diis*, concisa & elliptica oratione

tione, ſignificat, Jehovam eſſe Deum & Dominum Israelis, eumque reliquis Diis & Dominis longe majorem, ut ne comparatio locum habeat. *Magnus*, ea enim vox ſupplenda eſt ex præced., *præ Diis*, eſt iis longe major, ut ne ſimile quid ſuperſit: Conf. Ex. XV: 11. Pſ. LXXXVI: 18. XCVII: 9. & alibi: ubi etiam de *Deorum* titulo dixi.

§. X. *b.* In *propoſitionis* deductione, ſeu amplificatione & demonſtratione, *α.* magnitudinis Dei ſpecimina proferuntur, verſ. 6--15. *β.* idolorum vanitas in lucem profertur, verſ. 16--18. *α.* Specimina, quæ ex. gr. citantur, reſpiciunt *a.* ad orbem in genere, verſ. 6, 7. *b.* ad populum Israelis in ſpecie, verſ. 8--15. *a.* Relate ad orbem univerſum, verſ. 6, 7. his verbis: *quicquid vult Jehova facit in coelo & terra, in aquis & omnibus abyſſis; exæſtuare faciens eſt*, vel facit, *vapores elatos ab extremitate terræ, fulgura ad pluviam facit, producens eſt*, (producit) *ventum e theſauris ſuis.* h. e. Quam magnus ſit Jehova, Deus & Dominus noſter, reliquis ſic dictis Diis & Dominis incomparabiliter major, vel inde eluceſcit, quod ipſe ſit ſupremus & abſolutus coeli & orbis terraquei Dominus & rex, qui pro beneplacito cum iis agit, & majeſtatem ſuam demonſtrat ac vindicat per imbrem, fulgura & ventos; quibus judicia ſua exercet, & vel remuneratur, vel punit: quorum nihil eſt, quod agere poſſunt Dei & domini ſic dicti. Conf. Pſ. CXV. Jer. X: 13. LI: 16. & alibi. Nihil hic difficile, niſi in verſ. 7. non recte intelligi ſolito; ſed cujus verba jam alibi illuſtravimus ad Jer. X: 13. ubi eadem occurrunt, & obſervavi, *primum* membrum aquarum effuſionem e nubibus in terram, quam late patet, complecti, adeo ut vox נשאים dicat *vapores* elatos, conflatosque in nubes, verbum מעלה ſit *exæſtuare* faciens ſc. eſt, quod idem ac exæſtuare facit, *ab extremitate terræ* eſt ab una ad aliam, adeoque per totam terram; ut mox in *ſecundo* membro, *fulgura ad pluviam facit*, ſeu præter imbres, & cum iis, fulmina & fulgura ejaculatur; *tertium*

rurſus

rursus membrum, *educens*, proprie emicare faciens, scilicet *est*, *ventum e thesauris suis*, quibus quasi conclusi erant, inde ad beneplacitum Dei emitti soliti.

§. XI. *b.* Alia specimina, ad Israelem spectantia, *a.* producuntur nonnulla antiqua, ad populum ex Aegypto liberandum, ac in Cananæam introducendum, pertinentia, vers. 8-12. *β.* indicatur, ea beneficia esse durabilia in perpetuum, & identidem, ubi opus fuerit, renovanda, sicut nunc expertus erat populus, vers. 13, 14. *a.* *Prioris* generis proferuntur duo, *alterum* ad populi ab Aegyptiis vindicationem, *alterum* ad ejus introductionem in Cananæam pertinens; quare utrique præmittitur ש pro אשר. *Prior* pericopa ita habet, vers. 8. 9. *Qui percussit primogenitos Aegypti ab homine ad bestiam; misit signa & portenta in medium mibi Aegypti*, vel *tui*, *o Aegypte!* Utrumque enim sensum admittit vox בתוככי, quæ esse potest pro בתוכי *in medio mibi*, littera כ inserta, ut in אנכי pro אני, forma per כ aucta; sic & Ez: XVI: 53. בתוכהנה pro בתוכן ex הנה *in medio earum*, sed etiam pro בתוכך cum י paragogico, *in medio tui*, *Aegypte!* uti communiter solet accipi, excepto Syro, qui vertit, *in medio Aegypti.* Nihil hic obscuri. Necis primogenitorum expressa fit mentio, quod *ultima* fuerit plaga, & omnium atrocissima, quæ dimissionem populi Israelis produxit; reliquæ plagæ generali phrasi memorantur nominibus *signorum* & *portentorum*, quod fuerint *miraculosæ*, & cum Majestatis Dei Israelis signa, tum Aegyptiorum ac reliquorum hostium destructionem *portenderint.*

§. XII. *Posterior* pericopa 1. regum Cananæorum, trans & cis Jordanem, prostrationem ob oculos sistit, vers. 10, 11. *Qui percussit gentes multas, & occidit reges multos & potentes; Sichonem regem Emorbæorum, Ogum regem Basanis, & omnia regna Canaanis.* Quæ ex historia sacra satis nota sunt. Regum illorum excidium memoratur, quod fuerint illustres & validi, & Israel in eorum terras fuerit immissus. 2. Quod mox subjungitur, & alteram pericopæ

partem facit, verſ. 12. *Et terram eorum dedit haereditatem, haereditatem populo ſuo Israeli.* Quæ etiam ſatis plana ſunt. Repetitio vocis נחלה *poſſeſſionis haereditariae*, ſi ad ſolam ſermonis elegantiam non ſit reſtringenda, cenſeri poteſt facta, *tum* ad duplicis regionis, trans & cis Jordanem, quæ modo memorata erat, hæreditatem referri, *tum* etiam continuam poſſeſſionem, a parentibus ad liberos identidem tranſituram, &, ſi interrupta ſit, reddendam, deſignare poteſt.

§. XIII. β. Quod *poſterius* mox clarius & expreſſe memoratur, verſ. 13, 14. *Jehova eſt nomen tuum in perpetuum, Jehova eſt memoriale tui in aetatem & aetatem; quod judicaturus ſit Jehova populum ſuum, & de ſervis ſuis condoliturus.* h. e. Quod Jehova olim præſtitit Israeli, & in ejus gratiam egit, illud ſe in perpetuum facturum eſſe promiſit, nomine *Jehova* ſibi adſumto in perpetuum, ut ſit ſignum memoriale ſuum in omnes generationes; cujus virtute Deus hoſtes populi identidem judicabit, & hæreditatem populi interruptam reſtituet; ſicut hoc etiam tempore demonſtravit. Hic ſcopus & ſenſus eſt verborum, ab Interpretibus non perceptus. Continent verba *antecedens* & *conſequens*; *prius* verſ. 13., *poſterius* verſ. 14. *Prius*, fundamenti & principii inſtar, præmittitur, ſermone jam directe ad Deum verſo, uti in cantico, quod Deo canitur, facile fieri poteſt; & ſitum eſt in ipſis Dei verbis, quibus declaravit, *Jehova* fore *nomen ſuum perpetuum & memoriale*; Exod. III: 15. *hoc eſt nomen meum in ſeculum, & hoc memoriale mei in aetatem & aetatem.* Quo ſicut Hoſ. XII: 6. reſpicitur, *Et Jehova Deus exercituum, Jehova memoriale ejus*; & Pſ. CII: 13. ubi vid. dicta; ita & noſtro loco, uti ipſa verba indicant, quæ itaque non vertenda ſunt, *o Jehova, nomen tuum in perpetuum, o Jehova, memoria tui erit in omnes aetates*, uti Interpretes inſtituerunt, ſed, ut feci, *Jehova, Jehova eſt nomen tuum in aeternum, Jehova eſt memoriale tuum in omnes aetates:* plane

ut

ut in locis citatis. Emphasis orationis est in nomine *Jehova*, & sensus, illud nomen a Deo esse adsumtum, ut duraret in perpetuum, adeoque Deus se semper Israeli praestiturus sit *Jehovam*, Deum *veracem*, justum & aequum, ac bonum in gratiam Israelis. Quam vim & emphasin supra etiam indicavit poeta, quum dixit, *Laudate nomen Jehovae, psallite nomini Jehovae*, uti observavimus. Digitum itaque manifeste intendit ad id, quod Deus ipse de hoc nomine declaravit, quum Israelem educturus esset ex Aegypto, Exod. III. quo Deus populo sese obstrinxit ad populum in haereditate Cananaea tutandum, & promissorum implemento beandum in perpetuum, usque ad finem Oeconomiae V. Hinc deducit, Deum *populum suum semper judicaturum esse, & de servis suis condoliturum*. Quae verba itaque conspectum habent *consequentis*, ex praemisso antecedente fluentis, & in eo fundati; sive vertantur, *quod*, sive *quare*, quam ob rem, *judicabit Jehova populum suum* &c. Ex quo manifestum est, non agi hic de vindicatione, quam Israel hoc tempore exspectabat, cum ode est composita, sed quam Deus sese ab eo tempore, quo nomen Jehova adsumsit, semper in posterum praestiturum esse declaravit; adeoque generale consequens nominis Jehovae adoptati continent, quod ab eo tempore semper demonstratum est, & hoc ipso quoque tempore, quo Ps. factus est, apparuit verum esse, & in posterum manebit. Quod consequens ut magis penetraret in animos, & fidem ac spem populi corroboraret; poeta non suis, sed ipsius Dei verbis usus est, quae occurrunt in celeberrimo illo cantico Deut. XXXII: 36. ubi explicita sunt in comm. Cl. Vitringae ad illud; quare hic nihil addo, praeter interiorem potestatem verbi יתנחם. Radix נחם apud Arab. frequentatur in *gemitu graviore, cum vehementia e pectore educto*, adeoque videtur esse ὀνοματοποιόν, ut Lat. *gemere*, hinc eum על vel אל constructum dicit *adgemere* alicui, inde *condolere*, & *consolari*, in Niph. proprie in suspirationem agi,

 suspi-

ſuspirationem aliorum participare, & recipere, ſive conſolari; in Hithp. ſemet in ſuſpirationem agere, &c.


§. XIV. β. Magnitudini Dei celebratæ, & variis ſpeciminibus demonſtratæ, apte ſubjungitur *vanitas* idolorum, & *miſeria* idololatrarum, ad illuſtrandam quoque propoſitionem, Deum eſſe magnum *præ Diis omnibus*, verſ. 5. eo aptius, quod vanitas illa hoc tempore fuerat comprobata per glorioſam Iſraelis vindicationem ſub Maccabæis ab idolis, & idololatris, cum horum proſtitutione & excidio. Verba ita habent, verſ. 15-18. *Idola gentium argentum ſunt & aurum, opus manuum hominis. Os ipſis eſt, nec loquuntur, oculi ipſis, nec vident, aures ipſis, nec auribus percipiunt, etiam vanitas ſoliditatis ſpiritus in ore ipſorum. Inſtar eorum erunt*, vel ſint, *fabricatores eorum, quicunque in iis fiduciam reponunt.* Quæ verba Pſ. cxv. cum jam habuimus & illuſtravimus, nihil ſupereſt, quod hic moram injiciat, niſi in ultimo membro, verſ. 17., quod verti, *etiam vacuitas ſoliditatis ſpiritus in ore ipſorum*, ſecutus Cl. Schultens *a*, qui videndus eſt. Significatur, nullum penitiſſime in iis eſſe ſpiritum, qui ſe per os exſerit; nihil itaque motus vitalis, tantum abeſt, ut loquerentur, viderent, aut audirent; mutis itaque animantibus longe inferiora: quare אף *etiam*, quin etiam, præmittitur. Sed negligendum non eſt, vocem אף quoque *naſum* ſignificare, & LXX Interpretes in edit. Alex. ſuppleviſſe ex Pſ. cxv. *naſus ipſis eſt nec odorantur, manus ipſis, nec adtrectant, pedes ipſis nec incedunt*, quando ſequitur, *vacuitas ſoliditatis ſpiritus in ore ipſorum.* Quibus ſi aliquid tribuendum ſit, nec tamen culpa in librarios conjicienda, ſtatuendum eſt, poetam voce אף eſſe uſum, ut reliqua, quæ ſilentio involvit, ſupplerentur, quod facile fieri poterat ex Pſ. cxv. in vulgus noto; acſi dixiſſet *naſus;* ſed quid plura proferre neceſſe eſt, ſufficit dixiſſe, *nullum in ore eſſe ſpiritum.* Ceterum quo hæc vanitatis idolorum, & idololatrarum exitii,

a Gr. p. 245.

exitii, commemoratio ſpectet, facile patet, & ad Pſ. cxv. fuſius expoſui.

§. XV. *Tertia* Pſ. pars, quæ exhortationem repetit, ſed latius extendit ad omnis ſtatus homines inter Israelitas, his verbis comprehenſa eſt, verſ. 19, 20. *Domus Israëlis, benedicite Jehovæ, domus Aaronis benedicite Jehovæ, Domus Levi benedicite Jehovae, timentes Jehovae benedicite Jehovae.* Quæ nihil moræ injiciunt. De *timentibus Jehovae*, epitheto proſelytorum, dixi ad Pſ. cxv. *Quarta* denique Pſ. pars, quæ, per modum *concluſionis*, benedictionem Dei, vel ejus formulam continet, in qua poeta deſinit, & adhortationem finit, habet verſ. 21. *Benedictus ſit Jehova e Tſione, habitans Hieroſolymam;* ubi nihil not., niſi hoc unum, *Jehovam de Tſione*, eſſe Jehovam Tſionitam, qui ibi ſedem habet, ut mox exponitur. Particula מן genitivum format, ut Jer. XLVI: 25. Ammon מנא de No. ſic & alibi *a*.

a Vid. Boot. Anim l. II: 1. Schult. ad Prov. XXVI: 7.





PSALM. CXXXVI.

1. *Halleluia. Celebrate Jehovam, quia bonus est, quia in aeternum benignitas ejus.*
2. *Celebrate Deum Deorum, quia in aeternum benignitas ejus.*
3. *Celebrate Dominum Dominorum, quia in aeternum benignitas ejus.*
4. *Eum* celebrate, *qui solus facit magna mirabilia, quia benignitas ejus in aeternum.*
5. *Qui fecit coelum intelligenter, quia in aeternum benignitas ejus.*
6. *Qui constipavit terram supra aquas, quia in aeternum benignitas ejus.*
7. *Qui fecit luminaria magna, quia in aeternum benignitas ejus.*
8. *Solem, ut dominaretur diei, quia in aeternum benignitas ejus.*
9. *Lunam & Stellas, ut dominarentur nocti, quia in aeternum benignitas ejus.*
10. *Qui percussit Aegyptum in primogenitis ejus, quia in aeternum benignitas ejus.*
11. *Et eduxit Israelem e medio ipsorum, quia benignitas ejus in aeternum.*
12. *Manu forti & brachio exserto, quia benignitas ejus in aeternum.*

13. Qui

13. *Qui secuit mare algosum in partes, quia benignitas ejus in aeternum.*

14. *Et transire fecit Israelem per medium ejus, quia in aeternum benignitas ejus.*

15. *Et excussit Pharaonem & exercitum ejus, quia benignitas ejus in aeternum.*

16. *Qui populum suum ambulare fecit in deserto, quia benignitas ejus in aeternum.*

17. *Qui percussit reges validos, quia in aeternum benignitas ejus.*

18. *Et occidit reges magnificos, quia in aeternum benignitas ejus.*

19. *Sichonem regem Emorhaeorum, quia benignitas ejus in aeternum.*

20. *Et Ogum regem Basanis, quia in aeternum benignitas ejus.*

21. *Et dedit terram ipsorum haereditatem, quia in aeternum benignitas ejus.*

22. *Haereditatem Israeli servo tuo, quia in aeternum benignitas ejus.*

23. *Qui in humilitate nostra recordatus est nostri, quia in aeternum benignitas ejus.*

24. *Et potenter vindicavit nos in libertatem ab hostibus nostris, quia in aeternum benignitas ejus.*

25. *Qui panem dat omni carni, quia in aeternum benignitas ejus.*

26. *Celebrate Deum coelorum, quia benignitas ejus in aeternum.*

PROLEGOMENA.

§. I.

ARgumentum Pſ. eſt generalis adhortatio ad Jehovam, Deum & Dominum ſupremum, laudandum & celebrandum propter bonitatem & liberalitatem ejus, ac præclara, inde fluentia, & de ea teſtantia, opera, cum Creationis tum Providentiæ, partim & præcipue ſpecialis reſpectu populi Iſraelis, partim generalis reſpectu omnium hominum, productis utriusque ſingularibus ſpeciminibus, in primis, quæ Iſraeli contigerunt, in ejus liberatione ab Aegyptiis, ductione per deſertum, introductione, deletis hoſtibus, in hæreditariam poſſeſſionem Cananææ, & vindicatione ab oppreſſoribus in ea, ſtatusque pacati & proſperi productione. Cum Jehovam, Deum Deorum, & Dominum Dominorum, injunxiſſet celebrandum ob bonitatem & benignitatem, ſeſe in recenſendis operibus Dei, ex eo fonte ortis, & ejus ſignis, diffundit, & primo opus creationis recenſet reſpectu inſignium ejus partium, coeli, terræ, & luminarium expanſi, dein ſeſe ad opera Providentiæ vertit, & præclara beneficia, miraculoſe in Iſraelem collata, usque ad præſens tempus in medium profert, quibus Aegyptiaca ſervitute eductus, in deſerto clementer & liberaliter habitus, & in Cananæam introductus eſt, nunc autem, hoſtibus proſtratis, pace & proſperitate mactatus erat. Quando generale bonitatis providentiæ Dei ſpecimen in *omni carne* alenda ſubjungit, & in adhortatione ad Deum laudandum finit repetita.

§. II. Ad cujus argumenti conſpectum recte percipiendum *tria* tantum notanda habeo, quæ argumentum Pſ. ſuppeditat. 1. *Primum* eſt, Iſraelem proprie dictum intelligendum eſſe, qui hic ad Deum celebrandum excitatur,

tur, & præcipua bonitatis Dei signa & effecta consecutus est. Præterquam enim quod *Israelis* nomen, & *servi* Dei epitheton, eo ducat, opera Dei in ejus gratiam præstita, quæ hic memorantur, illud extra dubium collocant: uti facile cernitur. 2. *Secundum* est, Israelem hic repræsentari tanquam ex humili, abjecto & adflicto, statu recenter liberatum, & hostium potestati ereptum, adeoque in statu pacato & prospero versatum. De quo sicut adhortatio ad Dei laudes canendas satis testatur, expressa commemoratio hujus liberationis, vers. 23, 24., nos dubitare non sinit. 3. *Tertium* est, Israelem hic in scenam produci, tanquam de solius Jehovæ, Dei & Domini sui, divinitate, ac suprema Majestate, persuasum, & ab omni idololatria alienum. Hanc enim habet hypothesin adhortatio ad eum directa, qua excitatur ad Jehovam, quem pro solo vero Deo habebat, laudandum, tanquam Deum coelorum, Creatorem, & supremum rectorem universi.

§. III. Duo tantum sunt tempora Oecon. V., nobis ex historia nota, in quæ Ps. omni emphasi convenit, plura, quibus aliqua ratione adcommodari potest. Quoties Israel singulari liberatione ab hostibus gavisus est, & Deus Israelis sese magnificum in ejus gratiam præstitit, excitari potuit ad Deum hoc cantico celebrandum, ut tempore Josaphati, Hizkiæ, reditus ex Babylonico exilio in Cananæam, &c. quo postremo tempore videtur quoque hoc, vel simili cantico usus, Ezr. III: II. sicut prædictum quoque erat Jer. XXXIII: II. Sed nullum horum est, quod omnibus criteriis plene satisfacit; vel enim non satis ab idololatria purgatus fuit populus, vel ab hostium dominio & metu non plene liber; uti tempore reditus, quo *tenues* adhuc & servi fuerunt; secus ac hic traditur, vers. 23, 24. *Duae* autem periodi, quas innuo, in quas omnes lineæ exacte & emphatice quadrant, sunt altera Salomonis, altera Simonis Ethnarchæ & Joh. Hyrcani Maccabæorum: uti mox in oculos incurrit. Sed quænam earum sit eligenda, vix

definiri poteſt. Videtur mihi probabile, Pſ. priore tempore eſſe compoſitum, & poſteriore quoque ſolenniter uſurpatum. Ratio eſt, quod formula illa, quæ ſingulis verſibus identidem repetitur, *quia bonus eſt*, *quia in æternum benignitas ejus*; tempore Davidis & Salomonis introducta eſt, & ab eo tempore in uſu eſſe coepit; præterea tempore inaugurationis Templi prima vice, quantum conſtat, ſolenniter adhibita, uti noſtro Pſ. per antiphonias; de quo mox; cujus clarum exſtat indicium 2 Chron. v: 13. Quæ ipſa ſolennitas videtur anſam præbuiſſe vati alicui, quicunque fuerit, hoc canticum, alternatim canendum, componendi. In qua hypotheſi lubentes acquieſcimus.

§. IV. Ex quibus cum de *ſcopo* Pſ., ejusque *uſu*, facile conſtet, eſſe nimirum, ut Israel formulam habeat Deum in hac & ſimilibus aliis ſolennitatibus privatim & publice laudandi; ad *ſtructuram* Pſ., quæ quid ſingulare habet, pergo. Cum ſingulis verſibus ſubjungatur, *quia benignitas ejus eſt in æternum*, probabile videtur, quæ vulgata eſt hypotheſis, Pſalmum eſſe antiphonicum, quo cantori ab aliis accinitur, adeoque ad ſingulas ſententias hac formula, *quia benignitas ejus eſt in æternum*, adclamatur: quæ itaque diſtichon intercalare conſtituit, quod ἐπῳδὴ dicitur, quo alter chorus ad ſingulas propoſitiones accinebat, iisdem continuo vocibus repetitis. Quale cantandi genus antiquitus fuiſſe uſitatum, nemini non notum eſt. Quid? quod ipſam hanc formulam eum in finem fuiſſe adhibitam, ex Ezr. III: 11. liquere videatur. Cum enim dictum eſſet, ſacerdotes & Levitas cantores fuisſe conſtitutos, ut Jehovam, ex inſtituto Davidis, *laudarent*, ſic pergitur: & *reſponderunt*, alii aliis, in *laudando Jehova*, *quia bonus*, *quia in æternum benignitas ejus*: digito forte in hoc ipſum canticum intento. Ceterum verſus ille intercalaris, continuo repetitus, docet, hymni argumentum & ſcopum in eo præcipue eſſe ſitum, & eo etiam tendit, ut animis illud altius infigatur, & ſingulas ſententias ad illud demonſtrandum

dum facere ostenderetur. Obtinebat autem ejusmodi quid in jdylliis veterum potissimum. De quo vid. Doctiss. Lowth, de poesi sacra Hebræorum optime meritus *a*. Est cetera stylus planus & facilis.

§. V. *Partes* Ps. *tres* sunt generales. I. *prima* Deum laudandum a variis nominibus & titulis describit, vers. 1—3. II. *Secunda* ejus *opera*, tanquam materiam laudationis, recenset, præmissa generali propositione, vers. 4., א. *creationis*, vers. 5—9. ב. *providentiae*, α. specialis erga Israelem, vers. 10-24. β. generalis erga totum mundum, vers. 25. III. *Tertia* repetit, per modum *conclusionis*, adhortationem generalem, vers. 26.

EXPLICATIO.

§. VI. *Prima* pars his verbis profertur, vers. 1-3. *Celebrate Jehovam, quod bonus est, quia in aeternum benignitas ejus. Celebrate Deum Deorum, quia in aeternum benignitas ejus. Celebrate Dominum Dominorum, quia in aeternum benignitas ejus.* h. e. Jehovam, Deum vestrum, eumque supremum Deum & Dominum, cui quicquid in universo excelsum, & potestate præditum, subjectum est, agnoscite, confitemini, & laudibus palam extollite coram omnibus, ad id per benignitatem ejus largissime & in æternum sese exserentem excitati, indeque sumta materia. Hanc enim duplicem potestatem habet כי *quia*, qua & rationem moventem, & materiam ac argumentum, denotat; ut ad Ps. superiorem habuimus, & observavimus. Significatur vero his verbis, *quia bonus est, quia benignitas ejus in aeternum.* 1. virtutem hanc in Deo esse summam, 2. eamque largissime & in æternum a Deo demonstrari, & exseri in hominum, in primis Israelis commoda, 3. Deo maxime gratum & gloriosum esse ab ea laudari, 4. officium etiam omni-

a Prælect. XIX & XXIX.

omnibus hoc faciendi incumbere; maxime quo tempore Deus singularia ejus dedit specimina, 5. nec verbis tantum & Psalmis, sed & opere ipso, sese huic bonitati convenienter gerendo, eamque imitando: quæ est *realis* celebratio. Insignitur autem Deus tribus nominibus, *Jehovae*, *Dei Deorum*, & *Domini Dominorum*, partim ad arctam ejus ad populum suum relationem, quam nomen *Jehova* involvit, Dei Israelis proprium, inculcandam, partim ad summam ejus excellentiam, potentiam & potestatem, supra omnia exprimendam, qua, quicquid vult, potest, adeoque bonitatem suam sicut libere, ita potenter exserere: quare etiam magis celebrandus est, quod, cum tanta sit ejus Majestas, verenda & metuenda, bonitate tanta sit præditus, & ab ea maxime celebrari velit. Tituli enim *Dei Deorum & Domini Dominorum*, cum in genere excellentissimum & summum Deum & Dominum exprimunt, sicut Hebræis substantivum se ipsum regens superlativam format sententiam, ut *canticum canticorum*, *coeli coelorum*, &c. quo etiam plur. *Dei* & *Domini Deorum* ac *Dominorum* tendit; tum in specie, relate ad sic dictos & Deos & dominos, sive sint Angeli, sive idola, sive homines Majestate aut dignitate excellentes, Deum & Dominum supremum, *ex quo, per quem, & ad quem sunt omnia*, quocum comparati omnes illi sunt nihili faciendi, significant. Verum, licet uni personæ divinæ hæc epitheta censeri possint data, ut sensus sit, Jehovam, Deum Israelis, esse Deum Deorum & Dominum Dominorum, sicut Moses Deut. x: 17. eum adpellat, cum tamen aliunde constet Deum tanquam *triunum* fuisse antiquis notum, nihil vetat statuere, digitum ad hoc mysterium intendi, sicut & alibi in trina repetitione nominis Jehovæ aut Dei fit, de quo alibi solet disputari; quod & ex eo roboratur, quod tres distinctæ sint sententiæ, quæ singulæ formulam laudationis habent subjunctam; & Jacob in benedictione filiorum Josephi simili ratione instituat. Gen. XLVIII: 15, 16.

§. VII. In

§. VII. In *Secunda* parte Pſ., qua opera Dei, bonitatis exuberantis ſigna & effecta, recenſentur aliqua, א. generalis occurrit propoſitio, verſ. 4. *Eum celebrate, qui ſolus facit magna mirabilia; quia benignitas ejus in æternum.* Generalis eſt propoſitio, quæ mox per partes aliquas deducitur, qua Deus celebrandus ſiſtitur, tanquam potentiſſimus, ſimul bonus, qui *ſolus* facit *magna mirabilia*, omnium creaturarum cognitionem & vires ſuperantia, eaque illuſtria & ſtupenda, ſed quæ bonitati ejus ſimul teſtimonium præbent, quippe inde orta. Hoc enim oculo ea hic conſiderari vult poeta; ut facile adparet: non itaque ad nocendum ſimpliciter, aut potentiam oſtentandam, ſed ad benefaciendum. Nihil hic obſcuri: habuimus etiam ſimile effatum Pſ. LXXII: 18. & alibi. Hic tantum additur, ad magis elevanda mirabilia Dei, epitheton *magnorum*, nam *magna* adpellantur mirabilia: quo epitheto inſigniuntur, quod *multa* ſint & *valida*, ſeu efficacia, quibus reſiſti nequit, ſimul *connexa*, quæ ſyſtema multis partibus, tanquam filis, contextum, & firmum efficiunt. Quod vox גדול proprie dicit, cujus proprietas eſt, *implicari multis filis*, & ſic denſius intorqueri: uti alias eſt obſervatum.

§. VIII. ב. In ſpeciali deductione. *α*. opera *creationis* memorantur, verſ. 5-9. ordine a Moſe obſervato, Gen. I. *a*. Primum eſt expanſi formatio, verſ. 5. *qui fecit coelum intelligenter, quia in æternum benignitas ejus.* Reſpicitur ad *exſpanſum*, a Deo formatum *ſecundo* die, quod Moſes expreſſe dicit fuiſſe *coelum* adpellatum; cujus etiam meminit David Pſ. XIX: 2. ubi adpellat *opus manuum ejus*; ſicut hic verbum עשה adhibetur, quod emphatice notat *perficere*, rei veram ſuam formam dare; & differt a ברא Vid. Jeſ. XLIII: 7. & ibi Vitringa. Alibi adhibetur verbum נטה *extendere* Jer. X: 12. Jeſ. XLII: 5. & רקע ſenſu ſecundario *dilatandi*, Gen. I. Additur *in ſapientia*, vel *intelligentia*, ad ſapientem expanſi diſpoſitionem, de ſapientia Dei teſtantem, exprimendam; ſed quæ vox, licet hic tantum oc-

currens, sese ad sequentia quoque extendit opera. Conf. Prov, III. 19. Jer. x: 12. *b. Secundum* est, terræ firma constitutio supra aquas, verf. 6. *Qui constipavit terram supra aquas, quia benignitas ejus in aeternum.* Verbum רקע hic propriam exserit suam virtutem, qua dicit *tundere*, *calcare*, & tundendo *constipare* pede, uti verbo notavit quoque Cl. Schroeder *a*, alias quoque *dilatare*, *expandere* denotat; & eo sensu de *caelo*, seu expanso usurpatur, Gen. I., verum de *terra* adhibitum, ejus firmam & pressam constitutionem significat, ut & Jes. XLII: 5. ubi vid. Cl. Vitringa. Additur *supra aquas*, quatenus, aquis in voragines collectis, terra locum & situm superiorem accepit. Conf Ps. XXIV: 2, & ibi dicta.

§. IX. *c. Tertium* opus, verf. 7–9. 1. generatim proponitur, verf. 7. *Qui fecit luminaria magna, quia in aeternum benignitas ejus. Lumina*, אורים, alias מאורים, adpellantur a propria *aestuandi*, sive aquarum, sive aliorum fluidorum, potestate, quatenus lumen *manare* & *fluere* dicitur, quod etiam in נהר obtinet; & *sol*, *luna* ac *stellae* intelliguntur, ut sequentia docent, ita dicta, quod lucem per orbem spargant, sive in se habeant, sive aliunde mutuentur, quod perinde est; quo eodem sensu relativo *magna lumina* dicuntur, quatenus & multiplicem lucem fundunt, & validam ac penetrantem: absque ut *magnitudinis* corporum, majoris minoris, habeatur ratio; cui ipsa vox Hebr. etiam non favet, cum, ut supra dixi, copiam & robur vox גדול, non *magnitudinem* staturæ, denotet. 2. *Speciatim* deducitur, luminibus illis nominatim per partes expressis, verf. 8, 9. *Solem, ut dominaretur diei, quia in aeternum benignitas ejus; lunam & stellas, ut dominarentur nocti, quia in aeternum benignitas ejus.* Vox ממשלת, verf. 8. in sing. sed verf. 9. in plur. occurrit, quod verf. 8. *Soli* tantum tribuatur, sed verf. 9. *Lunae & Stellis*: construitur utrobique cum ב, sive genitivum formet

&

a Ad Jes. III. p. 380.

& cum emphasi redundet, ut sæpe alias, adeoque idem sit, ac חית Gen. I: 16. sive *imperii* solis & lunæ objectum designet, & idem sit, ac *in diem*, & *noctem*. *Imperare* autem dicuntur lumina coelestia *diei* & *nocti*, quatenus *diem* constituunt, & *noctem* illustrant, idque efficaciter, vi q. premente & inprimonte; quæ propria est verbi משל potestas.

§. X. *β*. *Altera* pars deductionis comprehendit opera providentiæ, *a*. specialis, respectu populi Dei, vers. 10-24. *b*. universalis, respectu mundi, vers. 25. *a*. Particularis hujus providentiæ opera recensentur *quinque* præcipua. I. *Primum* est *liberatio* populi ab Aegyptiorum dominio, cum signis potentiæ, bonitatis & justitiæ, conjuncta, vers. 10-12. *Qui percussit Aegyptum in primogenitis ejus, quia in aeternum benignitas ejus: & eduxit Israelem e medio eorum, quia in aeternum benignitas ejus: manu forti & brachio exserto, quia benignitas ejus in aeternum.* Nihil hic obscuri. Conf. dicta ad Ps. CXXXV: 8, 9. 2. *Secundum* est quo, mari rubro scisso in partes, Israel secure illud transiit, Aegyptii vero, eum persequentes, undis suffocati sunt, eaque ratione Israel perfecte liberatus est; vers. 13-15. *Qui secuit mare algosum in partes, quia in aeternum benignitas ejus; & transire fecit Israelem per medium ejus, quia benignitas ejus in aeternum: et excussit Pharaonem & exercitum ejus in mari algoso, quia benignitas ejus in aeternum.* Quæ etiam nostra non indigent opera: tantum notetur emphasis verbi נער, cujus proprietas est in *agilitate excussa*, ac in motum expromta; unde inter alia usus excrevit, quo dicit, *sedibus*, *opibus*, *mente*, etiam *vita* excuti. Hic vero indicat. I. Aegyptios mente consternatos, & in præcipitem fugam præ metu aquarum fuisse actos. 2. Curribus excussos, & violenta nece adfectos. Ita Job. XXXVI. 14. *horum anima morietur* בנער *cum excussione*, XXXVIII: 13. *ut adprehendas alas terræ, & excutiantur improbi ex illa.* Conf. Ex. XIV: 25, 27. ubi verbum נער quoque occurrit.

§. XI. 3. Tertium est, quo sub Dei ductu horridum alias,


alias, & infrugiferum ac siticulosum, desertum Arabiæ secure & sine ullius rei defectu peragrarunt; vers. 16. *Qui ambulare populum suum fecit in deserto; quia in aeternum benignitas ejus.* Pauca sunt verba, sed quæ plus dicunt, quam ad primam speciem videtur; quod aliunde supplendum, hic, tanquam notum, reticetur. Significatur enim, eos 1. singulari Dei, tanquam pastoris, ductu gavisos esse, 2. per horridum desertum ductos, nec tamen 3. cum aliquo suo incommodo, Deo eos tutante, & iis omnia necessaria mirabiliter & benigne suppeditante, ita ut *benignitas* Dei in eo singulariter fuerit conspicua. Conf. Jes. LXIII: 13, 14. Jer. II: 6. Ps. LXXVIII: 52, 53. & alibi. Novum autem & distinctum bonitatis specimen hic memorari, ex littera ל præmissa elucescit. 4. *Quartum* est, quo, regibus, trans & cis Jordanem, profligatis, in eorum terras immissus est populus, vers. 17--22. *Qui percussit reges validos, quia in aeternum benignitas ejus, & occidit reges magnificos, quia in aeternum benignitas ejus; Sichonem regem Emorraeorum, quia in aeternum benignitas ejus; Ogum regem Basanis, quia in aeternum benignitas ejus: & dedit terram eorum haereditatem, quia in aeternum benignitas ejus; haereditatem Israeli servo suo, quia in aeternum, benignitas ejus.* Quæ tota pericopa cohæret, & unum continet opus connexum; ut ex structura sermonis elucescit. Nihil habet, hic notandum. Conf. Ps. CXXXV: 10, 12. Tantum observetur, generali titulo regum validorum & magnificorum quoque comprehendi reges Cananææ, diserte expressos Ps. CXXXV. hic itaque mente intelligendos.

§. XII. 5. *Quintum* est, quo Deus populum, in statu depresso & abjecto positum, identidem visitavit in gratia, donec eum perfecte, omnibus vinculis ruptis, liberavit, sicut hoc tempore, vers. 23. 24. *Qui in humilitate nostra recordatus est nostri, quia in aeternum benignitas ejus; & potenter vindicavit nos in libertatem ab hostibus nostris, quia in aeternum benignitas ejus.* Respicitur vers. 23. ad varias vicissitu-

cissitudines *servitutis* & *liberationis* sub Judicibus, & vers. 24. ad perfectam liberationem sub Davide, quam verbum פרק adportat; quod proprietatem habet in *frangendo*, *effringendo*, unde secundaria orta est significatio potenter extrahendi, & in libertatem vindicandi, effractis q. omnibus carceribus & vinculis. Conf. Thren. v: 8. Nihil etiam hic obscuri.

§. XIII. *b.* Ad generalem Dei providentiam spectat, vers. 25. *qui panem*, vel cibum, *dat omni carni*, *quia in aeternum benignitas ejus.* Nulla ratio est restringendi ad homines, minus ad Judaeos: generalis est phrasis, qua Dei universalis conservatio exprimitur, quae sese ad omnia animantia ac homines extendit. Conf. Ps. CIV: 27, 28. CXLV: 15. CXLVII: 9. *Omnis caro* est omne animatum, homines & bestiae Gen. VI: 1. & alibi; *panis* est quicquid alit & sustentat, etiam animantia, ut Ps. CXLVII: 9. Quae universalis conservatio hic consideratur tanquam signum & effectum *benignitatis* Dei, qua Deus, sese erga creaturas suas bene esse adfectum, demonstrat. Conf. Ps. LXV: 10. Act. XIV: 17. & alibi.

§. XIV. *Tertia* pars Ps. repetit generalem adhortationem per modum conclusionis, vers. 26. *Celebrate Deum coelorum*, *quia in aeternum benignitas ejus.* Deus coelorum adpellatur, quod sit supremus, qui in sublimi habitat, & omnia moderatur, ac inde, tanquam e thesauro, pluviam & quaevis bona emittit &c. Quae satis plana sunt.





PSALM. CXXXVII.

1. *Ad fluvios Babelis, ibi sedimus, etiam flevimus, cum recordati sumus Tsionis.*

2. *Super salicibus in medio ejus suspendimus citharas nostras.*

3. *Quia*, vel *quamvis*, *ibi petierint a nobis, qui nos captivos abduxerunt, verba cantici, & qui longe nos projecerunt*, dicentes, *cantate nobis de canticis Tsionis.*

4. *Quomodo canticum Jehovæ caneremus in terra peregrina?*

5. *Si tui obliviscar, Hierosolyma! obliviscetur* anima mea *dextrae meae.*

6. *Adpacta erit*, *sitque*, *lingua mea palato meo, si non adscendero Hierosolymam, summum, caput laetitiae meae*, vel *ad caput laetitiae meae.*

7. *Recordare, Jehova! filiis Edomi diei Hierosolymae, qui dixerunt, nudate, nudate, usque ad fundamentum in ea.*

8. *Filia Babelis vastatrix vastata* erit, sitque: *beatum! qui rependerit tibi maleficium tuum summum, quo cumulasti nos.*

9. *Beatum! qui prebenderit & excusserit parvulos tuos ad petram.*

PROLEGO-

PROLEGOMENA.

§. I.

ARgumentum Ps. est descriptio celebrationis dierum jejuniorum solennium, causa Tsionis, & in ejus memoriam, institutorum in exilio Babylonico, a piis exulibus factæ, quibus flumina Babelis adire solebant, ibique sedere lugentes, & e salicibus ibi suspendere citharas suas, sefeque mutuo in abstinentia a carminibus sacris & lætis, non obstante Babyloniorum blanda tractatione & invitatione ad læta carmina canenda, confirmare; præterea singuli declarare consueverant, se Hierosolymæ ardente ferri desiderio, tanquam summi & capitis lætitiæ suæ, & propterea tamdiu cantui sacro renunciaturos, & mutos sese hac parte præstituros, quamdiu carere debuerint Hierosolymæ, & sacrorum, ei adnexorum, exercitio; denique fidem, spem & amorem suum explicare soliti erant, per imprecationes cum iis, qui præ reliquis lætitiam suam demonstraverant super excidio Hierosolymæ, nominatim Idumæis, tum destructoribus Hierosolymæ Babyloniis, quibus totalem destructionem denunciarunt, spiritu prophetico ducti, & votis suis expetiverunt. Narrat poeta in hoc cantico, qua ratione sese pii exules solennibus diebus, in memoriam Tsionis destructæ institutis, gesserint, quibus signis luctum expresserint, qua formula sese in abstinentia a lætis carminibus confirmarint, desiderium & amorem suum erga Tsionem expectoraverint, hostibus vero & destructoribus imprecati fuerint.

§. II. Ad genuinum cantici conspectum recte percipiendum, notandum est, 1. Judæos exules, sed pios, in regione Babyloniæ degentes, hic in scenam produci flentes, & loquentes per totum Ps. Quod licet in priore parte Ps.

ab omnibus agnoſcatur, in poſteriore tamen a nonnullis negatur, qui putant, Judæos Hieroſolymæ jam verſantes introduci, verſ. 5. & ſeq. quia eam adloquuntur. Quæ hypotheſis, præterquam quod ſubleſto nitatur fundamento, cum ſermo ab abſentibus æque ac præſentibus ad metropolin quoque deſtructam verti poſſit, ut facile patet, 1. nexui orationis repugnat; quippe qui exigit, ut iidem, qui in antecedente, loquantur in conſequente: nullo mutatæ perſonæ indicio ſeſe offerente. 2. Emphaſi & vero ſignificatui verbi *oblivisci* verſ. 5. non convenit; quod in abſentes rectius quadrat. 3. a vero ſenſu phraſios, *ſi non adſcendero Hieroſolymam* verſ. 6., aberrat, ut ſuo loco patebit. 4. cum imprecatione, Idumæis & Babyloniis facta, conciliari nequit, cum illos adhuc non fuiſſe punitos indicet. De quo etiam poſtea. β. *Exules* hic deſcribi, tanquam ſolennes jejuniorum & luctus dies in memoriam Tſionis celebrantes in Babylonia. Quo nos manifeſte ducit, quod *juxta fluvios* Babelis ſediſſe & fleviſſe dicuntur, *quum recordarentur Tſionis*. Phraſis *ſedere* & *flere* non de habitatione, ſed ſtatu ſolennis luctus intelligenda eſt; nec alio referri poteſt, quod *juxta fluvios* id fecerint, & citharas e *ſalicibus* ibi *ſuſpenderint*, ut mox patebit: denique, quod additur, *quum recordabamur Tſionis*, manifeſte indicat, illud factum eſſe in *memoriam Tſionis*, nunc deſtructæ, adeoque tempore ſtato, quod in ejus memoriam erat inſtitutum. Quemadmodum eo ſenſu Paulus vult, ut *Chriſti ex mortuis ſuſcitati eſſent memores Chriſtiani*, 2 Tim. II: 8. De quo etiam mox plura. γ. Præterea depingi horum dierum celebrationem ab iis factam mox ab initio deſtructæ Hieroſolymæ, & deinceps continuatam. Mentio *diei* Hieroſolymæ, verſ. 7. clare indicat, ejus excidium jam tunc fuiſſe factum: quo etiam epitheton Babyloniorum, quo *abactores* Judæorum, verſ. 2. & *vaſtatores* verſ. 8. adpellantur, clare ducit. Sed, mox a tempore deſtructæ Hieroſolymæ incepiſſe hos dies, arguit imprecatio

Idumæis

Idumæis facta, quæ pro hypothesi habet, illos nondum fuisse punitos; quod paucis annis post excisam Hierosolymam factum esse, ex Josepho constat.

§. III. Quod vero ad *tempus* compositi Ps. adtinet; licet Judæi hic repræsententur in Babylonia exules, dies solennes destructæ Hierosolymæ luctu celebrantes, ipse tamen Ps. eo tempore non est factus; uti jam vidit & observavit Muisius, & Musculus, sed cum populus aliquo numero jam rediisset in Cananæam, & sacra incepissent instaurari; ratio est, quod de *loco*, ubi sederant & fleverant, loquantur tanquam remoto, & de luctus demonstratione tanquam præterita. Dicunt enim, non *hic* juxta fluvios Babelis, sed *ibi*, nec *sedemus* ac *flemus*, sed *sedimus & flevimus*, vers. 1. Factus itaque est Ps. in memoriam ejus status eo scopo, ut oblivioni non traderetur populi conditio & adfectio in exilio Babylonico erga Hierosolymam. Videtur autem Ps. compositus haud diu post reditum ab exilio, quum imprecatio Edomo & Babeli fieri solita ab exulibus nondum plenum suum effectum sortita esset, ita ut & hoc ipso tempore adhuc fieri potuerit. Quæ ratio videtur, quare ejus expressa fuerit facta mentio, & Ps. compositus ad eam renovandam, ac populo injungendam, ut, sicut in exilio fecerat, nunc etiam in eo pergeret; donec plenissimum habeat effectum. Præterea, cum scopus Ps. esse videatur reduces magis excitandi ad studium religionis Hierosolymæ, exemplo exulum in exilio, ob destructam urbem, & cessationem religionis, lugentium, & desiderio ejus flagrantium, de quo mox; probabile est, Ps. fuisse compositum, quo tempore illud studium valde erat remissum inter reduces; adeoque temporibus Haggæi & Zachariæ: in quæ cuncta quadrant quam aptissime, ut ex eorum libris & historia liquet. Accedit, eos ipsos, qui in exilio luxerant, & exercitium religionis Hierosolymæ tantopere expetierant, præsupponi adhuc superesse; cum dicant, *juxta fluvios Babelis ibi sedimus* & *flevimus* &c. scilicet

cet nos ipsi, qui nunc in Cananæa sumus, & tantopere tepidi ac segnes in religionis & Templi studio. Improbabile itaque non foret, Zachariam, aut Haggæum, aut alium ejus temporis prophetam, hoc carmen condidisse; utique *Davidi*, aut *Jeremiæ*, ut Cod. Gr. est insertum in titulo Ps., neutiquam convenit; ut ex dictis facile patet.

§. IV. *Occasionem* Ps. præbuisse videtur præsens populi Judæi in Cananæa & exilio Babylonico conditio & adfectio, qua in teporem religionis ac studii Hierosolymæ, ac sacrorum ibi exercendorum, inciderat haud exiguum, ita ut sua magis, quam Dei, in Cananæa curaret, & in exilio manere mallet, quam sedes transferre in patriam; adeoque *scopus* est, cum reduces ad rem religionis ardentius urgendam, tum exules ad regionem Babylonicam deserendam, & patriam repetendam excitare, argumento ducto a studio ardente, quo ante in exilio fuerant adfecti erga Hierosolymam, nec non imprecatione Babyloniis facta; a quo nimis censeri debeant degenerasse, si reduces, & votorum compotes facti, ejus parvam habeant rationem, & exules in Babylonia manere mallent, cui sciebant excidium totale imminere, & antea illud inprecati fuerant. Quo etiam pertinet monitum Dei apud prophetam Zach. II: 11. *Heus Tsion! eripitor, habitatrix filiae Babelis.* Hunc in finem aptissime coram oculis exponit poeta, qua ratione antea luxerint causa Tsionis, & desiderium ejus expectoraverint, Babeli etiam denunciaverint excidium, quod sequeretur, sicut ex parte jam inceperat: acsi diceret; in memoriam revocemus, qualiter in exilio fuerimus adfecti erga Tsionem ab altera, & Babelem ac Edomum ab altera parte, quantopere ejus desiderio fuerimus lati, & hujus excidium expetiverimus, & quo nunc simus animo, longe diverso, cum re optata potiri queamus; tepidi partim sumus in Cananæa, & partim in exilio manere malumus: quam illud est absurdum, & a pristina nostra alienum adfectione!

§. V. *Stru-*

§. V. *Structura* Ps. nihil habet difficilis, multum elegantiæ & emphasios: modo in plur. modo in sing. loquuntur, ad singulorum adfectiones explicandas, modo in genere loquuntur, modo Hierosolymam adloquuntur, & Babelem. *Stylus* quoque planus est, nudus & simplex, sine multis figuris, una aut altera, sed facillima, excepta. *Partes* Ps. *duae* sunt generales, quarum *altera* repræsentat quid fecerint, ad luctum significandum, solennibus diebus jejunii causa Tsionis institutis, vers. 1-3. *altera* exhibet quibus verbis summatim expresserint, tum desiderium suum, quo in Tsionem ferebantur, vers. 4-6. tum vota sua contra Edomum & Babelem, vers. 7-9.

E X P L I C A T I O.

§. VI. Investigatione hypotheseos Ps. exponendi cum opus non sit, nimis enim clarum est, quam ut in dubium vocari possit, Judæos in exilio Babylonico hic repræsentari, nec audiendi sunt, qui, ut Kimchius, vers. 7. ad exilium Romanum digitum intendi autumant, aut reduces in scenam produci, vers. 5-- quod supra refutavi, aut de mystica Babele, seu Antichristianismo, cogitant, cujus nulla se offerunt vestigia, mox ad explicationem pergimus. *Prior* Ps. pars exhibet, א. quid facere fuerint soliti solennibus diebus luctus causa Tsionis in tractu Babylonico, vers. 1, 2. ב. qua ratione sese ab eo non passi fuerint per Babylonios abstrahi, vers. 3. א. *Prius* his verbis exprimunt, vers. 1, 2. *Ad fluvios Babelis ibi sedimus, etiam flevimus, cum recordati sumus Tsionis: super salicibus in medio ejus suspendimus citharas nostras.* h. e. ad fluvios, seu alveos Babelis progressi, ut sacra nostra faceremus, luctui palam & acerbe indulsimus, quo tempore Tsionis commemorationem fecimus, musicis nostris instrumentis, ad lætitiam demonstrandam adhiberi solitis, palam & in omnium conspectu

spectu suspensis de salicibus, in signum omnis lætitiæ missæ & abnegatæ. Sensus enim non est, exules habuisse sedes fixas juxta fluvios Babyloniæ, sesеque in iis luctui dedisse, omni lætitia seposita, licet passim ita accipiantur verba; quod nec veritati rei, nec verbis convenit: Judæos juxta fluvios habitasse tantum, nullo constat indicio; contra, eos agris colendis & vineis operam dedisse, indicatur Jer. XXIX. & alibi, multo minus eos in sedibus suis continuo sedisse lamentantes, cum satis bene in exilio tractati sint, & multi ibi manere maluerint deinceps, quam patrios lares repetere. Verba quoque hanc interpretationem non admittunt, sed manifeste indicant, eos ad fluvios secessisse solennibus diebus ad lugendum super sorte Tsionis, quibus omni lætitiæ renunciantes palam & in omnium conspectu sese luctui dederunt, in sortis Tsionis commemorationem: uti ex Zach. VII: 3, 5. & aliunde eos fecisse manifestum est. Quo omnia verba haud obscure nos ducunt. 1. Quod *juxta aquas* sederint, indicat, eos ibi habuisse loca conventus; uti proseuchæ deinceps ad maria & fluvios fuerunt. Act. XVI: 13. *a*. 2. Ipsa structura orationis, *ad fluvios Babelis ibi sedimus*, indicat eos, non ibi habitasse, sed eo secessisse ad lugendum. Non enim simpliciter dicunt, se *juxta fluvios sedisse*, sed *ad fluvios ibi sedisse*. h. e. eo profectos ibi sedisse: ceteroquin enim frustranea fuisset particula שם *ibi*. Vocula על itaque usum suum retinet, quo motum ad locum denotat, & verbum *ire*, *secedere*, aut simile per ellipsin intelligitur. 3. Cum dicunt se *sedisse & luxisse*, non de habitatione, sed gestu lugentium se loqui, manifeste indicant. Est autem lugentium proprium *sedere*, ut mox observabo. 4. Ipsum illud, quod mox subjungunt, *in recordari nostro Tsionis*, sedendi & lugendi tempus haud obscure ad solennia commemorationis Tsionis tempora restringit; ut sensus sit: quum Tsionis memo-

a Vid. autores a Cl. Wolfio cur. Phil. ad Act. l. c. citati.

memoriam solenniter & publice recoluimus, *luctui* nos dedimus. Denique 5. cum, ad lugendum sese conferentes, citharas palam & in conspectu omnium, quod phrasis *in medio Babelis* dicit, sese de *salicibus suspendisse* adfirment, & mox subjungant, Babylonios a se læta & sacra petiisse carmina Tsionea, clare significant, se solennia & publica *luctus* tempora in oculis habere, nec continua, sed stata, & nota, ac transitoria; nisi quis absurde velit, eos omne tempus in exilio trivisse lugendo & sedendo, & *citharas* ibi semper fuisse expositas.

§. VII. Relegamus, hac jacta hypothesi, verba, &, ubi opus fuerit, illustremus. *Ad fluvios Babelis* (scilicet progressi; quippe ubi proseuchæ erant, loca publica orationis & lectionis, seu exercitii sacrorum, quantum loca exilii permittebant. Varios fuisse Euphratis alveos circa & infra Babelem, varia etiam flumina fuisse in territorio Babylonico, quorum hic ratio haberi potest, satis constat *a*. Videntur autem ad aquas habuisse sua oratoria, sicut de sequentibus temporibus manifestum & satis observatum est; ut supra notavi; & aliqua etiam occurrunt indicia tempore exilii Babylonici. Utique Ezechiel *visum* suum primum vidit, cum *in medio exulum* exiisset *ad fluvium Chebar*, Ez. I: 1. tempore itaque conventus sacri: sic & Danieli contigit Dan. X: 9. cum jejunio & luctui vacaret ad fluvium *Chiddekel*; sicut in visione etiam ad fluentum *Ulai* fuit transportatus cap. VIII: 2.) *ibi sedimus etiam flevimus* (h. e. isthic loci, vel sedentes quoque, flevimus, vel sedentes copiose, lacrymis jugiter adfluentibus, flevimus, quod idem est, ac luctum omni modo, eumque magnum & acerbum, quibusvis signis demonstravimus: *sedere* itaque hic est *lugentium*, & obstupefactorum; ut Ezr. IX: 3, 4. Jes. XLVII: 1. Ez. VIII: 13. Job. II: 13. Thren. II: 10. 2 Sam. XII: 16. ubi dicitur *cubare* in *terra*, sedere in *pulvere* & *cinere*; uti solebant moerentes & adflicti. Quo sensu

a Vid. Bochart. Phal. l. 1. c. 8.

ſedere etiam Lat. in uſu eſt *a*. Vocula vero גם *etiam* hic cenſeri poteſt propriam ſuam vim exſerere, qua rad. ejus adhibetur de *puteo abundante*, aqua jugiter adfluente; unde & מגמה Heb. I. pro vigore inexhauſto, ſeſe ſemper innovante, & ad fortiorem impetum excitante *b*. Copioſam itaque & indeſinentem plorationem eleganter adfert hæc particula addita.)

§. VIII. *In recordari noſtro Tſionis* (h. e. quo tempore memoriam Tſionis, ante florentis, vel exiſtentis, nunc deſtructæ, ſolenniter coluimus. Non enim ſimplex *recordatio* intelligitur, quæ perpetua erat, & continuum produxiſſet luctum, ſed publica & ſolennis, quæ per jejunia & luctum celebrabatur. Quo ſenſu *ſabbati obſervatio* dicitur *commemoratio* liberationis ex Aegypto. Deut. v: 15. & *Paſcha* quoque Ex. XIII: 3. ne alia memorem. Accedit, verbum quoque ſumi pro *commemoratione*, Jer. III: 2. *Job.* IV: 7. & apud Arab. Ceterum qua ratione Tſionis memoria, & commemoratio, per luctum debuerit fieri, quam juſta fuerit lugendi ratio, ut exponam, opus non eſt:)

§. IX. *De ſalicibus in medio ejus ſuſpendimus citharas noſtras* (h. e. ad fluvios ploratum propter Tſionem progreſſi, reliquimus inſtrumenta muſica, lætitiæ inſervientia, & coram omnium oculis otioſa expoſuimus; ſicut ſolent, qui de arboribus ſuſpendunt, in ſignum, ſe iis non uſuros amplius. Non dicunt, ſe *ibi* ſuſpendiſſe, ſed in *medio ejus*, ſive Babelis, adeoque ſignificant, ſe ſecum non ſumſiſſe, ut alias in lætis feſtis ſolebant, ſed palam, inſpectante tota Babele, ea miſſa fuiſſe, argumento, ſe non læta, ſed triſtia feſta celebraturos juxta fluvios. Reſpicitur ad *ſalices* ad ripas fluviorum, in Babylonia copioſas, quare *vallis ſalicum* adpellatur, Jeſ. XV: 7. & *ſalices apud rivos aquarum* memorantur, c. XLIV: 4. & *ſalices vallis*, Job. XL: 22. Lev. XXIII: 40; nec non ad morem, quo citharoedi, a canendo ceſſantes, organa muſica ad parietem, vel arborem

a Vid. Amama et Bochius ad h. l. *b* Schultens ad Prov. XIX: 2.

rem suspendebant *a*. Sed quid sibi vult, *ad salices in medio ejus?* hæ enim voces sunt conjungendæ. Adfixum foemin. in בתוכה *in medio ejus*, sine dubio ad *Babelem* referendum est, adeoque indicat, citharas fuisse suspensas *in medio Babelis*, sive urbis, sive territorii, aut *civitatis*. Nihil vetat statuere, in medio urbis, quam Euphrates secuit mediam, fuisse ad utramque ejus ripam *salices*. Phrasis vero *in medio ejus* eo spectare videtur, ut indicaretur, *palam*, & coram omnium oculis, id esse factum. Quo sensu Sunamitis *in medio* populi dicitur habitare, 2 Reg. IV: 17. & Deus laudari *in medio* Hierosolymæ. Ps. CXVI: 19. & Abrahamo filii Chet dicunt Gen. XXIII: 6. *tu es princeps Dei in medio nostri*. Sensus itaque est, eos citharas, vel proprie suspendisse de salicibus in medio Babelis, in signum publicum renunciatæ lætitiæ, vel in genere eos publice declarasse, se lætam musicam abdicare, ut locutio proverbialis sit, *citharam suspendere de arboribus*, pro ab ejus usu cessare, & illud palam declarare: quod a Gejero & Cajetano jam est observatum, cujus ratio tamen parvi est momenti, acsi probabile non esset, instrumenta sacra musica fuisse in totali Tsionis panoletria conservata, nedum deportata in captivitatem. Qui ab arte desistebant, instrumenta dicebantur suspendere Diis & sacrare apud Gentiles *b*. Ceterum כנור κινύρα *cithara* est, 10. constans chordis, & plectro pulsabatur *c*, & Hebræis non, ut Gr., in luctu, sed in lætitia adhibebatur *d*.

§. X. 2. Addunt se ab hoc proposito & instituto lugendi in oratoriis suis non passos fuisse abstrahi a Babyloniis, petentibus, ut in exilio, æque ac antea Hierosolymis, hilariter agerent, & eadem cantica canerent, vers. 3. *Quia*, vel *quamvis*, *ibi petierunt a nobis qui nos captivos abduxerunt verba cantici*, *& qui longe nos projecerunt lætitiam*;

 dicen-

a Vid. Bochius ad h. l. *b* Vid. la Cerda ad Virg. eccl. VII. p. 132. *c* Reland. de Nummis Samarit. diss. VI. *d* Bochart. Can. l. II. c. 7.

dicentes, *cantate nobis de canticis Tſionis*. h. e. in lugendi inſtituto, & Tſione hac ratione commemoranda, conſtanter perſeveravimus, non obſtante quod Babylonii, qui nos captivos abduxerunt, & longe a patria removerunt, poſtulaverint, aut enixe rogarint, ut, Tſionis obliti, nos ad hilaritatem priſtinam reciperemus, & ſacra noſtra iisdem canticis celebraremus, nos exhortati, ut, depoſito luctu, cantica Tſionis adhiberemus, in eorum ſaltem gratiam, & ad eorum oblectationem. Hic ſenſus eſt, ut opinor, verborum, & hac ratione cum ſuperioribus cohærent: quod Interpretes non perſpexerunt. Cum dixerant, ſeſe ſolitos fuiſſe publice ſolennibus & ſtatis diebus procedere ad fluvios, ut ibi plangerent, citharis coram omnium oculis ſuspenſis, Babylonios, conventus eorum ſacros permittentes, ſignificant voluiſſe ſe ab eo inſtituto abſtrahere, & ad ſacra læte ac hilariter exercenda, quemadmodum Tſione fecerant, excitare; ratione etiam inde petita, quod ipſis hoc gratum foret; ſed ſe conſtanter in eo opere perſeveraſſe, nec ſe dimoveri paſſos eſſe. Vocula itaque כי alias *quia*, hic exſerit uſum, haud infrequentem, quo *quamvis*, non obſtante quod, denotat. De quo pluribus dixi ad Gen. IX: 6. *Quia* enim, ſeu rationis redditio, huc non quadrat: & coactum eſt, quod ab Interpretibus eſt adlatum; *quamvis* vero egregie, ut expoſui. Cum vero dicant [illegible] captivatores & abactores ſuos *petiiſſe* cantica læta Tſionis, idque ut *ipſis* canant, *canite nobis*; ſignificant, eos liberum religionis exercitium ſibi reliquiſſe, uti vere fecerunt Babylonii, ſed voluiſſe tantum, ut non amplius cauſa Tſionis lugeant, verum iisdem canticis, quibus antea Hieroſolymis, uterentur, & hilariter agerent; profeſſos ſimul hoc ipſis gratum fore, & Judæos hac ratione demonſtraturos, ſe in exilio humaniter ac benigne tractari. Animo itaque illudendi, & ſacra Tſionis carmina irridendi, ac ad uſus profanos adhibendi, illud non introducuntur dixiſſe, ut vulgo putatur; ſed eo, quo dixi, ſcopo; nullum enim illuſio-

illusionis aut contemtus indicium hic occurrit, nec in seq., ubi huc respiciunt Tsionitæ exules, aliud adferunt ad hoc postulatum recusandum, quam se in terra aliena hujusmodi canticis uti non posse. Petierunt itaque Babylonii, ut læta & sueta Tsionis carmina usurparent, etiam *ibi*, quo secesserant, in oratoriis suis sacris; loco luctus & lamentorum: quam emphasin habet vocula שם *ibi*, scilicet ubi Judæi sua sacra celebrabant, & nunc luctui se dabant; respicitur enim ad *ibi*, vers. 1. *ibi sedimus* &c. Addunt, ut eos permoveant, sibi gratum fore; cum dicunt, *canite nobis de canticis Tsionis*. h. e. aliqua eorum, sacra & læta, in Templo cantari solita; *canite nobis*, h. e. in gratiam nostram ut nobis placeatis, vel etiam ad delectationem nostram: nisi forte illud *nobis* abundet, ut alias *mihi*, apud Lat. & Gr. Nihil hic præterea difficile, nisi in verbo תוללינו, quod varias admodum peperit, hic non recensendas, versiones & interpretationes, magis minusve probabiles; sed Syr. & Gr. veriorem produxerunt soli; *ille* vertit *abducentes* nos, & *hi* eodem modo *οἱ ἀπάγοντες ἡμᾶς*. Radix est non תלל, sed תול, unde in Pih. תולל, quæ eadem est ac טול, in Script. obvia, litteris ת & ט secum permutatis, ut in תעה & טעה, חתף & חטף, & aliis *a*. Radix vero טול dicit Arab. *longus* fuit & *longinquus*, unde in Hiph. potestas *elongandi*, seu in longinquum projiciendi; & in Pih. litteris geminatis טלטל Jes. XXII: 17. Jer. XVI: 13. ne alia memorem. Confirmat hanc interpretationem convenientia cum præcedente titulo, quo Babylonii adpellati fuerunt שובינו *captivatores nostri*, qui in captivitatem abduxerunt.

§. XI. In *altera* cantici parte, א. rationem reddunt, quare a lætis & sacris illis canticis abstineant, & Babyloniorum postulato satisfacere nequeant, vers. 4. ב. desiderium, quo in Hierosolymam & cultum ibi exercendum ferantur, ardentissimum exponunt, vers. 5, 6. ג. denunciant Edomo & Babeli, per modum imprecationis & voti,

 exci-

a Schultens clav. p. 241, 315.

excidium, verſ. 7-9. *a*. Rationem abnegati uſus canticorum Tſionis in exilio hanc dant, verſ. 4. *Quomodo canticum Jehovæ in terra peregrina caneremus?* h. e. qua ratione poſſemus, quam apte & opportune illud faceremus, carmen Jehovæ coram accinere, in ejus, tanquam Dei Israelis, laudes, animis lætis, & modo hilari, dum in terra peregrina verſamur, in exilio, loco ſacrorum cum omnibus inſtrumentis, & ritibus ibi exercendis, excluſi, & orbati? Reſpiciunt quidem verba ad Babyloniorum poſtulata, ut facile adparet, ſed non ſunt ad eos directa, acſi iis hoc reſponſum coram dediſſent, reliqua enim, quæ uno tenore ſequuntur, & cum his verbis connexa ſunt, illud non permittunt, cum imprecationem etiam contineant Babeli factam; ſed verba ſunt ad ſe mutuo facta, quibus ſe invicem in eo propoſito firmant, ut a lætis illis carminibus Jehovæ canendis abſtineant, & in luctu ſolenni continuent: acſi dicerent; cum ad lugendum proceſſimus, & Chaldæi nos ad luctum deponendum & hilaria ſacra adhortarentur, dicentes, *canite nobis* &c: nos eo tempore nobis invicem diximus, ut nos in eo propoſito corroboraremus, *quomodo* caneremus &c. Rationem itaque proferunt, qua eo tempore uſi fuerunt ad inſtituta ſua defendenda, & ſe mutuo in iis confirmandos.

§. XII. Explicemus nunc verba, & verum eorum conſpectum pandamus. *Canticum Jehovæ* hoc loco eſt carmen ſacrum non ſimpliciter, ſed lætum & jucundum, quale Babylonii expetierant, non itaque *lugubre*, ad triſtitiam induendam, vel augendam, 2. Jehovæ coram accinendum, adeoque in loco, quo præſens eſt, adeoque non in exilio, ſed Hieroſolymis, ubi reſidet, ſeu ſeſe præſentem exhibet populo ſuo; quemadmodum *coram Jehova* quid fieri dicitur, quod in loco ſacro fit, & a *facie Jehovæ fugere* Jonas, quum terram Cananæam deſeruit. *Carmen Jehovæ* canere itaque eſt, ei coram accinere, oppoſite ad *terram peregrinam*, ubi Jehova ſeſe præſentem non exhibet. 3. Denique

nique *canticum Jehovæ* eſt, quo ipſe hoc ſuo nomine laudatur, tanquam Deus Iſraelis, qui vim iſtius nominis demonſtrat in populo ſuo tutando, & proſpero reddendo. Conf. dicta ad Pſ. cxxxv: 13. *Terra peregrina*, proprie *peregrinitatis*, eſt enim נכר vox ſubſt., & אדמת *terra* eſt in ſtatu conſtructo *a*, eſt, quæ & Jehovæ & populo ejus peregrina eſt, ſimul Iſraeli calamitoſa & dura, adeoque, 1. reſpectu Dei, tanquam Jehovæ, quatenus ibi ſeſe præſentem non ſiſtit, nec ſecundum præſcriptum ſuum colitur, ſed *idola* potius, *Dei peregrini* dicta, 2. *populi*, quatenus ibi in exilio verſatur, terra promiſſa orbatus. 3. Denique reſpectu *felicitatis*, quatenus multiplicem calamitatem adferebat populo Dei; quæ nomine *peregrinitatis* etiam venit, quatenus eſt res inſolita, & odioſa: uti Job. xxxi: 3. Obadj. 14. & alibi. Forma orationis cum particula interrogante *quomodo?* ſignificat, eos a ſe id impetrare non poſſe, nec debite & apte facere poſſe: *quomodo canemus?* eſt, quomodo illud nobis conveniret, qua ratione illud debito modo faceremus? adeoque nec nos illud decet, nec ſtatui noſtro convenit, nec ſicut oportet illo officio defungi poſſumus. Ratio eſt, 1. quod in ſtatu calamitoſo ſimus, & luctuoſo, cui læta carmina non congruunt, 2. quod Jehovæ canere non poſſimus, qui nos abdicavit, & in hac terra peregrina præſentiam ſuam non demonſtrat, 3. quod laudes ejus, tanquam Dei noſtri, canere non queamus in hoc ſtatu, quo non favoris, ſed iræ ejus ſigna experimur, ipſum tanquam liberatorem, & omnis boni largitorem, reſpectu noſtri celebrare non poſſumus. Sed, ut ad ſcopum loquentium propius veniamus, non tantum ſignificatum volunt, ejusmodi canticis, qualia definivi, ſe nunc uti non poſſe, verum longe alia ſe decere, quibus luctum ſuum exprimunt, uti nunc diebus ſolennibus in memoriam Tſionis faciebant; quod expreſſe quidem non dicunt, ſed mente intellectum volunt, tanquam dictorum conſequens,

a Vid. Coccejus in Lex.

quens, ſponte ſua inde ſeſe offerens; acſi dixiſſent: ad fluvios Babelis ſedimus lugentes, citharis ſuſpenſis, vel abdicatis, nec a Babyloniis nos ad cantica Tſionis læta adduci paſſi ſumus; verum in luctu ſolenni conſtanter perreximus; nobisque invicem diximus, *quomodo cantica Jebovæ caneremus in terra peregrina?* quod illi a nobis poſtularunt; quomodo non pergeremus in ſolenni luctu? uti fecimus, quum illud ſtatui & adfectioni noſtræ longe ſit convenientius. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, illos aberrare, qui nimis ſuperſtitioſam opinionem exulibus hic adtribuunt, acſi *cantica Jebovæ* in genere non liceret metu pollutionis canere in terra peregrina: cujus hic nullum occurrit indicium.

§. XIII. ב. Certiſſimum ſuum propoſitum Tſionis celebrandæ in exilio ſumma cum adſeveratione ſinguli piorum expromunt, & deſiderium flagrantiſſimum, cum bene fundata ſpe conjunctum, Tſionis videndæ, coram fruendæ, & religionis ibi exercendæ aliquando, declarant, verſ. 5, 6., *prius* verſ 5. *poſterius* verſ. 6. *Prius* hæc verba comprehendunt, verſ. 5. *Si obliviſcar tui*, *Hieroſolyma*! *obliviſcetur* anima mea *dextræ meae*. h. e. tantum abeſt, ut unquam dimoveri a Tſione in luctu commemoranda, & ad læta cantica Tſionis in exilio canenda, in ſignum oblivionis Tſionis, adduci patiamur, ut ſinguli noſtrum profiteri audeant, ſibi æque impoſſibile eſſe Tſionis memoriam deponere, ac dextræ ſuæ, tam caræ & propinquæ, quaque Tſioni ſacramentum dixerunt, obliviſci. Quæ paraphraſis ſicut nexum, ita ſenſum, cum in luce poſuerit, nihil ſupereſt, quam ut ſenſum e verbis eruamus. Cum in ſing. ſermo fiat, indicium eſt, ſingulos ſe ita animatos eſſe profiteri. Quæ ratio ſing. num. adhibiti plane ſufficit; absque ut aliam fingamus perſonam loquentem. Quod antea communiter num. plur. dixerant, illud nunc, ubi propoſiti ſui firmitatem exponunt, ſingulis recte in ore datur. Sermo præterea ad ipſam vertitur Hieroſolymam, adfectus teſtan-

testandi ergo, & ut sinceritas dictorum magis elucesceret. Quo nihil est, maxime in stylo poetico & oratorio, vulgatius. Declarant, sibi certum fixumque esse, Hierosolymæ nunquam, quamdiu in exilio fuerint, *oblivisci*, sed ejus debitam semper celebrare memoriam, abstinendo a carminibus Tsionis extra eam in terra peregrina canendis, quod signum foret oblivionis Tsionis, & luctus ac tristitiæ quibusvis signis sese solennibus diebus publice dando, ut nunc faciebant. Quod recte *non oblivisci* Hierosolymæ dicitur, ut facile patet, & satis observatum est. Confirmant certitudinem propositi & constantiam suam ex eo, quod non magis obliviscerentur Hierosolymæ, quam *anima sua dextrae suae obliviscatur:* quo declarant, 1. sibi æque curæ cordique esse Tsionem, ac *dextram* sibi, 2. non magis fieri posse, ut ejus oblivio se capiat, quam ut anima sua dextræ suæ obliviscatur; denique 3. se Tsioni renunciando non minus reos fore gravissimi criminis, quam si perjuros sese præstitissent. *Dextra* hic memoratur tanquam res carissima, & proxima, quæ oblivioni dari nequit, simul tanquam signum *juramenti*, dextra elata facti, quo se fatetur Tsioni obstricta; quod a Cl. de Dieu jam est observatum, adducto Ps. CXLIV: 8. ubi *dextra* pro *juramento* sumi videtur, ubi vid. Schultens, qui & huic loco adplicuit. Quod vero ad constructionem תשכח ימיני *obliviscetur dextrae meae*, nihil mihi videtur commodius ellipsi vocis נפשי *animae;* ut sit, *obliviscetur anima mea dextrae meae*, h. e. *obliviscar* ipse ego dextræ meæ. Simili ratione & alibi *anima* subintelligitur, ut Ps. XVI. אמרת *dixisti* sc. *anima mea*, & 2 Sam. XIII: 39. Alii aliter instituunt, quos mitto. Observo tantum *imprecationis* conspectum, cui hic communiter locus datur, addi posse; hac ratione. *Si obliviscar tui*, *Hierosolyma!* si fieri hoc posset, poterit etiam *anima mea dextrae meae oblivisci;* quod vix poterit: sed si hoc etiam fiat, si tam fiam negligens, tantoque reatu me obstringam, *obliviscatur anima mea dextrae meae.* h. e. perdat

dat anima mea *dextram*, nec ea amplius utatur. Quo sensu *oblivisci* aliquando sumitur, pro non amplius *habere*, ejus non esse compotem &c. *a*. Sic terra dicitur *oblivisci cultoris*, quæ nullum habet cultorem, adeoque deserta jacet. Jes. XXIII: 15. Thren. II: 6. Ps. CII: 5. Forte, ut hoc dictis addam, pro תשכח legi posset תשכחי, vel תשכחני, littera י per sequentem deleta, & verti, *obliviscatur mei dextra mea*, seu me destituat, & omni usu privetur, uti mox de *lingua palato adfixa* traditur. Robur addit versio Syr.

§. XIV. *Posterius*, quo desiderium Tsionis coram videndæ & fruendæ exprimunt, simul fundatissimam spem, fore ut votorum compotes fiant, declarant, his verbis continetur, vers. 6. *Adpacta erit, sitque, lingua mea palato meo, si non commemoravero te, si non adscendero Hierosolymam, summum, caput lætitiæ meæ*, vel *ad caput lætitiae meae*. h. e. Tantum est Hierosolymæ fruendæ, & cultus ibi exercendi sacri, tamque ardens desiderium, ut, si compos non fierem, instar arescentis, & siti languescentis, perire mallem, vel deberem, seu omni solatio orbus fatiscere; tam certa quoque spes ejus felicitatis me tenet, ut, si mihi non contingeret, ad perpetuum stuporem & silentium me damnatum velim. Res, quam desiderabant, & exspectabant, exprimitur verbis, *recordari Hierosolymae, & ad eam adscendere*, quæ se mutuo explicant, adeo ut *recordari* sit antecedens, & *adscendere* consequens, vel *recordari* in eo situm, quod *adscendant* Hierosolymam, ad cultum ibi exercendum, quemadmodum in Decalogo Ex. XX. *recordemini sabbati ad sanctificandum illud. Recordari Hierosolymae, & ad eam adscendere* itaque est, acrem vigentemque semper habere cogitationem Hierosolymæ, quæ vis est verbi זכר, cujus sedes est in *vigore acri*, eamque continuo demonstrare per solennem aditum Hierosolymam, quod tribus vicibus, seu festis, ab omnibus Israelitis fieri debebat,

a Conf. Castalio.

bat, & a piis solebat; quod verbo עלה *adscendere* quoque exprimi solet, uti constat. Ipsa etiam profectio exulum in patriam cum Zerubbabele hoc verbo insignitur Neh. XII: 1. cujus & hic ratio haberi potest. Nec obstat constructio, את ירושלים עלה, cum verbum עלה *adscendere* sine praep. *ad locum*, sed ea subintellecta, haud infrequenter eo sensu veniat; uti Prov. XXX: 4. עלה שמים Jer. XXXI: 6. *Surgite & adscendamus Tsionem;* ונעלה ציון plane ut hic. Hos. VIII: 9. אשור עלו *adscenderunt in Assyriam.* Sed quid sibi volunt voces על ראש שמחתי, quæ subjunguntur? possunt vel Hierosolymæ elogium continere, vel *scopum* adscensus. Priore ratione verti debent, *summum caput laetitiae meae;* vocibus, *summum, caput*, per adpositionem ad rem exaggerandam conjunctis; ut sit, *summum laetitiae meae, caput laetitiae;* voce על æque cum *laetitia* constructa ac ראש, & pro *nomine*, uti proprie est, sumto, quando dicit *summum* uti alias sæpe. Sic על אפי *summum irae meae*, Jer. XXXII: 31. & 2 Reg. XXIV: 20. Ps. CXV: 1. *summum benignitatis*, summum, caput libri Jes. XXXIV: 17. Jer. XXXVI: 11. & alibi. Vox vero ראש denotat *summam*, & præcipuam rem; ut *caput myrrhae*. Ex. XXX: 23. *caput verbi tui*, Ps. CXIX: 163. *caput vocatorum*, 1 Sam. IX: 22. & alibi ut Cant. IV: 14. *capita aromatum*, & Ez. XXVII: 22. Posset etiam ראש sumi pro re ipsa, ut *caput laetitiae*, sit ipsissima lætitia; quemadmodum *caput viri* pro *viro a*, nec non *robur capitis mei* pro robore meo Ps. LX: 9. Sensus ergo erit, Hierosolymam, ad quam adscensurus esset, esse *summum laetitiae suae*. Sed *posteriore* ratione scopus adscensionis indicatur, vocula על pro אל, ut sæpe alias, sumta, & sensus erit; *si non adscendero Hierosolymam ad caput laetitiae meae*, scilicet Jehovam ibi colendum; quod caput lætitiæ suæ declarat esse; uti David Ps. XXVII: 4. & CXXII: 1. & vir pius Ps. LXXXIV. Similis constructio est Jer. XXXI: 6. *Adscendemus Tsionem ad Jehovam Deum nostrum!* Posset denique

Xxx 2 ipsa

a Vid. Schultens ad Ps. CXXXIX: 17.

ipsa Hierosolyma intelligi, & על cum adscendere construi; hac ratione: *si non adscendero Hierosolymam*, scilicet ad *caput lætitiæ meæ.* Ceterum Interpretes longe aliter instituunt, reddere soliti, *si non adscendere fecero*, extulero, *supra caput laetitiae meae*, & varie exponunt; quos suo loco relinquo. Non adtenderunt ad usitatam phrasin, *adscendere Hierosolymam*, nec perceperunt exules hic explicare desiderium & spem adeundi Hierosolymam, & Deum ibi colendi.

§. XV. *Desiderium* & *spem* his verbis declarant, *adpacta erit*, sitve, *lingua mea palato meo*, *si non recordatus fuero.* &c. h. e. Tanto flagro ejus rei *desiderio*, ut siti & moerore marcescere malim & debeam, nisi ea potiar; tanta etiam me ejus rei tenet spes, certa & fundatissima, ut quicquid mihi carum est, ipsam vitam, interponere, & periculo capitis contendere ausim, me ejus compotem futurum; *vel*, ut me ad æternum stuporem & silentium damnatum velim, si id non fiat. Structura orationis desiderii & certissimæ exspectationis declarationem admittit; ut in paraphrasi exposui: si *desiderio* adcommodetur, sensus erit; linguæ palato adpactionem & optarim, & experiar, si non cupito fruar; tanto in illud feror desiderio. Sed si ad *exspectationem* referatur, sensus erit: linguæ adpactionis sub periculo contendere, & adseverare ausim, me potiturum esse, tantopere de eo persuasus sum. Utriusque declaratio huc recte quadrat, & ex seq. ulterius confirmatur, ut mox dicam. Phrasis vero adpactionis *linguæ* palato male a nonnullis restringitur ad abstinentiam a cantu læto; cum majore longe emphasi & polleat, & in Script. veniat; hic etiam debet. Solet autem adhiberi, 1. ad statum summe miserum & adflictum denotandum, quo quis omni consolatione orbus, & profunda tristitia adfectus, simul desperabundus & cruciatibus enectus jacet, morti proximus, met., ducta a sitibundo, & præ siti arido & emarcido, ut Thren. IV: 4. *adhæret lingua lactentis palato præ siti.* Sic Ps. XXII: 16. *Exaruit*

Exaruit sicut testa vis mea, & lingua adhæret faucibus meis, utique in pulverem mortis depones me. 2. ad animum stupefactum, & ne verbum loqui ausum, summo pudore confusum, & metu perculsum exprimendum, ut Job. XXIX: 10. & apud poetam.

Obstupuit, steteruntque comae, & vox faucibus haesit.

§. XVI. 1. Huic desiderii & certissimæ exspectationis testificationi aptissime subjungitur prædictio destructionis Edomi & Babelis per modum imprecationis Edomi, & celebrationis destructoris Babelis, vers. 7 & 8. *Recordare Jehova filiis Edomi diei Hierosolymae, qui dixerunt, nudate, nudate usque ad fundamentum in ea. Filia Babelis vastatrix vastata* erit, sitque; *beatum! qui rependerit tibi maleficium tuum summum, quo cumulasti nos: beatum! qui prebenderit & excusserit parvulos tuos ad petram.* Quæ verba non nudam imprecationem Edomi, & generalem laudationem destructoris Babelis, ut putatur, continent, sed certam prædictionem utriusque destructionis, cum piorum adprobatione conjunctam, & votis eorum, aliter non implendis, respectu liberationis & prosperitatis suæ, respondentem. Cujus indicium est. *a.* in nexu cum præced., ubi certissimam suam exspectationem reditus in patriam, & rerum ac religionis instaurationem significaverant. Quam certitudinem hic confirmant, prædicendo hostium destructionem. *b.* in ipsis verbis vers. 8, 9. quibus satis indicant, se de eventu certos esse, cum quod Babeli per anticipationem jam tribuant epitheton *destructae*, tum quod, tanquam de eventu certi, beatum jam prædicent destructorem Babelis. Addatur 3. imprecationem ea ratione justiorem fieri, & minus culpabilem, si prædictionem magis quam imprecationem censeatur continere, & *imprecatio* simpliciter sit judicii Divini, quod Edomo eveniret, adprobatio tanquam necessarii & justi. Quid? quod 4. verbum ונפץ æque

possit pro infinit. capi constructo, ac imperat; ut *recordari Jehovae* vertatur, & per *recordabitur Jehova* exponatur: ut solent sæpe infinitiva.

§. XVII. Prophetica imprecatio, seu prædictio imprecatoria, respectu Edomitarum, ita habet, vers. 7. *Recordari Jehovae Filiis Edomi diei Hierosolymae, qui dixerunt, denudate, denudate usque ad fundamentum in ea.* h. e. Quod Idumæi tempore calamitatis Hierosolymæ, a Chaldæis obsessæ & oppugnatæ, læti & gloriabundi secum & palam dixerunt, volentes & cupientes, ut Hierosolyma funditus exstirparetur, prostitueretur, & omnium ludibrio exponeretur: illud ipsis cedet & cedat in propriam perniciem a Jehova, Deo Israelis, judice justo mundi, & vindice populi sui, grave hoc crimen visitante & puniente, adeo ut ipsis illud lege talionis eveniat. In verbis parum est nostræ curæ relictum. *Recordari Dei* est, quo ipse, tanquam Judex, sibi notum, in recente memoria, curæ cordique esse facinus demonstrat, adeo ut puniat, & paria referat, seu illud infligat, quod aliis inflictum volebant, vel infligi lætabantur. Phrasis vero *recordari Dei* significat, Deum recordaturum, & secundum vota populi sui facturum esse: uti modo observavi. *Recordari filiis Edomi diei Hierosolymæ*, ut verba habent, est calamitatosi temporis Hierosolymæ, quo destructa est, recordari in poenam facinoris Edomitarum, tunc commissi. *Dies* alicujus subinde in malum pro die calamitoso sumitur *a*. Quod facinus mox subjungitur, his verbis: *qui dixerunt* (læti, gloriabundi, & insultantes) *denudate, denudate usque ad fundamentum in ea.* h. e. eam totam, & quicquid in ea est, destruite & complanate, ut pura & nudatissima fit vastitas, ad fundamentum usque; præterea a collo ad nates eam nudate, seu prostituite, deflorate, & ludibrio exponite. Duplex enim met. hic locum habere potest, *altera* ab ædificio, quod solo æqua-

a Vid. Schultens ad Job. xix: 15. & Diss. nostræ select. ad Gen. vi: 3.


æquatur, & in pleniſſimam redigitur vaſtitatem, ipſis fundamentis nudatis, ut eſt Ez. XIII: 14. Mich. I: 6. & alibi. *altera* a matrona, quæ, veſtibus detractis, a collo ad nates usque omnium oculis exponitur nuda ad ludibrium & proſtitutionem publicam; quod & verbo *nudare*, & voci יסוד pro *natibus*, fundamenti nomine notis, recte convenit, modo ſuppleatur, in phraſi *usque ad fundamentum*, *a collo* ad nates: quemadmodum Hab. III: 13. *denudando fundamentum*, ſeu nates, *usque ad collum*. Quo indicatur ſtatus humilis, abjectus, & ignominioſus. Conf. etiam de Babele Jeſ. XLVII: 2, 3. & ibi Commentator. Ceterum digitus intenditur ad prophetias de excidio Edomi factas Jeſ., Obadj. & Jer. ac Ezech. ſatis notas, & indicatur, Edomitis hoc judicium certo eſſe eventurum, ſimul eſſe juſtum, & ad populi Dei proſperitatem conſummandam neceſſarium; cum quod hoſtes eſſent infenſiſſimi, tum quod hæreditatem populi Dei inhiabant, ſicut tempore exilii Babyl. partem Judææ auſtralem occuparunt; inde Idumæam poſtea dictam. Quando vero implementum hæc denunciatio imprecatoria nacta eſt, alibi expoſuimus; contigit per varios temporum articulos, initio facto a Nebucadnezare, haud diu poſt Hieroſol. deletam, & colophone impoſito per Maccabæos: adeo ut & in principio exſilii, quo Pſ. reſpicit, his verbis in ſumma emphaſi uti potuerint exules, Eſavitis nondum humiliatis; & deinceps quoque usque ad terminum, modo memoratum.

§. XVIII. Prædictio poenæ, Babyloniis infligendæ, his verbis fit, verſ. 8, 9. *Filia Babelis, vaſtata illa! beatum illum, qui rependerit tibi maleficium tuum, quo nobis maleficiſti: beatum qui prehenderit & excuſſerit parvulos tuos ad petram.* Quæ verba Babelis deſtructionem partim clare & aperte, partim tacite & tecte prædicunt. Directe id faciunt prima verba, *filia Babel vaſtata illa.* h. e. titulus tuus aliquando certo certius erit, quo inſignieris, *vaſtata illa.* Eam jam tunc fuiſſe vaſtatam non indicatur, ſed epithe-

epitheton ipsi simpliciter imponitur, in signum certitudinis rei, aliquando futuræ, adeo ut per anticipationem ei jam nunc dari posset, licet adhuc floreat, & firma sit. Alii active sumunt, & vertunt, *vastatricem;* quod de Dieu defendit, & ex Chald. illustrat; recte, cum & Arab. ea forma in usu sit, & Jer. IV: 30. ita occurrat, ut ibi observavi: sed pass. notio huc recte quadrat, ut exposui; tantum censeri posset de ambiguo quid trahere hoc epitheton, & utrumque act. ac pass. conjungi, ut sit *vastatrix vastata;* quemadmodum habetur Jes. XXXIII: I. Tecte insinuatur hæc vastatio, quum *felix* pronunciatur, qui eam intulerit Babeli; quippe quo præsupponitur, illud futurum esse, & indicatur, illum præclarum opus præstiturum, quod meretur, ut prospere degat, & res ex voto ipsi succedant. Formula videtur esse, qua ultori & vindici injuriarum, ac liberatori, quævis felicia adprecabantur: qua cum hic exules utantur, simpliciter significant, qui hoc effecerit, habendum & celebrandum esse, tanquam justi judicii Dei executorem, & populi oppressi liberatorem. Vid. Jes. XLIV. fin. Qua ratione nihil in eo est, quod culpandum sit. Repetitur formula, ad indicandum, non unum fore, sed plures, qui successive hoc efficerent: uti etiam per articulos varios Babel destructa est. De quo alibi ad Jer. L, LI. egimus; & disseruit, post Bochartum, Cl. Vitringa ad Jes. Ipsa vero destructio vers. 8. generali phrasi *retributionis* designatur, & vers. 9. proverbiali locutione fortius exprimitur. *Beatum illum*, vers. 8., dicunt, *qui rependerit tibi maleficium tuum, quo nobis male fecisti:* sic enim verbum גמל capiendum est, quod proprie dicit *recondere*, *fovere ad maturitatem*, unde *maturare* in bonum & malum; adeo ut & *dona* ac munera contineat, in caput alicujus cumulata forte ad animum duriorem emolliendum, & etiam *maleficia* fota, ac ad *maturitatem*, ut puniantur, adducta, uti 1 Sam. XXIV: 8. Jes. III: 9. Jer. LII: 6. & alibi. Addunt; *beatum! qui prehenderit & excusserit parvulos tuos ad petram.* h. e.

h. e. prehensos & ad petram allisos quassaverit, ac vita privaverit. Vid. de verbo נפץ Cl. Schultens *a*. Videtur proverbialis fuisse locutio, ex immani more sæviendi in ipsos tenellos a victoribus sævis nata, ad indicandum totale excidium sine spe instaurationis. Quod hic tantum intenditur, absque ut sævitia illa adprobetur, aut ad litteram in tenellis executioni esse mandandum velint, qui hic loquuntur; licet simile quid futurum esse prædixerit Jes. c. XIII: 16. & Chaldæi quoque ejus criminis sese reos præstiterint in destruenda Hierosolyma.

a Orig. l. 1. c. 3.





PSALM. CXXXVIII.

1. *Davidis. Celebrabo te toto corde meo, coram, o Deus, tibi psallam.*
2. *Adorabo ad palatium sanctitatis tuæ, & celebrabo nomen tuum super benignitate tua & veritate tua, quia magnificasti supra omne* nomen *nomen tuum dicto tuo.*
3. *Die* calamitoso *invocavi te, & respondisti mihi, & elatum me facies, in anima mea robur est.*
4. *Celebrabunt te, Jehova! omnes reges terræ, quum audiverint dicta oris tui.*
5. *Et recta serie procedent cantantes in viis Jehovæ. Quia magna est gloria Jehovæ.*
6. *Quia excelsus est Jehova, & demissum videbit, & altifrontem elatum procul cognoscet,* vel *cognoscere faciet.*
7. *Si in medium angustiæ ivero, vivificabis me, super nasum hostium meorum inmittes manum tuam, & servabit me dextra tua.*
8. *Jehova pro me absolvet, Jehova! benignitas tua est in æternum, opera manuum tuarum ne remittas.*

PROLEGOMENA.

I.

ARgumentum Cantici est celebratio & glorificatio nominis Dei, illustri modo inter homines manifestati, *partim* a viro pio, qui hic loquitur, nunc & in posterum

rum semper facienda super gratiæ & veritatis Dei signis & effectis, quæ & antea in sui conservatione & liberatione expertus erat, & nunc in magnificis promissis consecutus recentia, *partim* ab omnibus regibus terræ, quum promissorum & gloriæ Dei notitiam acceperint, facienda, una cum fiduciæ, inde ortæ, testificatione, qua certo confidebat, se in quibusvis angustiis esse conservandum, ab hostibus nihil timendum habere, & statum suum prosperum ulterius esse consummandum. Incipit vir pius, & illustri in loco positus, cum propositi sui declaratione, Deum coram, & versus palatium sanctitatis ejus, publice glorificandi propter gratiæ & veritatis signa, quæ & nunc adeptus erat, & antea in sui vindicatione ac exaltatione expertus. Dein, spiritu in sequentia tempora ductus, prædicit, Deum per orbem ab ipsis terræ regibus esse agnoscendum, colendum & celebrandum tanquam summum & gloriosum rectorem ac servatorem mundi, qui humiles extollit, & superbos deprimit. Desinit denique in spei, bene fundatæ, testificatione, fore, ut vel in mediis angustiis securus esset, & ab hostibus tutus, ac opus a Deo inceptum videret ad finem perductum.

§. II. Ad cujus argumenti verum conspectum facit, α. Personam, quæ hic loquitur, singularia & magnifica gratiæ & veritatis Dei signa fuisse consecutam, & exspectare alia ac majora, secundum promissa Dei ipsi facta, vers. 2. β. eam in specie Dei curam in sui conservatione & exaltatione fuisse expertam, vers. 3. γ. præterea nondum omnibus angustiis & periculis esse superiorem, nondum omnes hostes habere subjectos, opus Dei denique in ipsa inceptum nondum ad finem esse perductum, attamen se illud certo futurum esse confidere & exspectare, vers. 7, 8. δ. Denique promissa sibi facta talia esse, ut omnes reges terræ inde materiam accepturi sint, & rationem habituri Deum glorificandi; quod etiam futurum esse prævidit in Spiritu, & prædixit, vers. 4, 5.

§. III. Hæc qui debite adverterit, & Davidem pro autore Pſ. habuerit, quod per inſcriptionem, quæ Davidi adtribuit, neceſſe eſt, argumento etiam Pſ. in neminem aptius quadrante, dubitare vix poterit, quin eo tempore Pſ. factus ſit, quo, calamitatibus & periculis ereptus, & in regno Iſraelis ac Judæ confirmatus, luculenta a Deo illa promiſſa accepit de regno in domo ſua confirmando, Templo a filio ejus ædificando, & Meſſia ex ipſo oriundo, cujus regnum per orbem propagandum & in æternum duraturum eſſet. Huc omnia tendunt criteria, modo producta; ut facile cernitur. Expertus tunc erat, quod verſ. 3. dixit, ſe, quoties Deum in tempore anguſtiæ invocaverit, exauditum eſſe, & nunc firmum ſtare & animoſum: ſed cum nondum omnia regna hoſtilia haberet ſubjecta, nec opus ſuum, aut Dei in ſe, ad ſummum gradum & finem eſſet perductum, ei recte conveniunt eo in ſtatu, quæ verſ. 7 & 8. habentur. Denique eo tempore tanta gratiæ Dei & favoris accepit indicia in promiſſis ſibi & domui factis, ut & ipſe habuerit Deum glorificandi propter gratiam & veritatem, & dicta Dei, materiam, & regibus terræ etiam inde anſa fuerit idem faciendi præbita, in primis reſpectu Meſſiæ ex ipſo orituri. Ex quibus de *occaſione* Pſ. ſimul facile conſtat. Conf. 2 Sam. VII.

§. IV. *Scopus* Pſ., quantum ex argumento ejus colligi poteſt, eſt 1. gratum ſuum animum pro conſervatione & exaltatione ſua, ſeu beneficiis acceptis, nec non pro ingentibus promiſſis, ſibi nunc factis, palam demonſtrare, Deum glorificando, & ſtudioſe colendo in perpetuum, verſ. 1--3. 2. Promiſſorum illorum verum conſpectum, & conſequentia in mundo, dum reges & quicunque religioſi Deum propterea ſuo tempore celebrarent, in lucem proferre, verſ. 4--6. 3. Denique ſpem & fiduciam ſuam inde ortam, ſibi anguſtias qualescunque, aut hoſtiles invaſiones, nihil nocituras, & promiſſa certo implenda eſſe, publice teſtificari, verſ. 7, 8. *Structura* Pſ. nihil habet ſingularis aut

aut difficilis. Continuum est ad Deum adloquium, nisi ubi verba cantici, a timentibus Dei canendi, profert summatim, vers. 5, 6. quibus de Deo sermo fit. *Stylus* planus est & facilis, sed adfectuosus & emphaticus. *Partes* Ps. *tres* sunt. *Prima* est, qua se Deum publice glorificaturum & culturum esse, propter luculenta beneficia & promissa, declarat, vers. 1--3. *Secunda* exponit promissorum naturam & effecta, quatenus regibus & quibusvis religiosis aliis ansa præberetur Deum glorificandi propter ea, vers. 4--6. *Tertia* continet spei, & fiduciæ in quibusvis periculis & casibus, & exspectationis status sui perficiendi testificationem, vers. 7, 8.

EXPLICATIO.

§. V. Cum Ps. in Davidem, & tempus, quo compositum esse diximus, recte quadret, nullumque fidelium N. T. hic loquentium occurrat indicium, etsi vers. 4. ad regnum Messiæ digitus intendatur, quod a Davide recte fieri potuit, ut mox patebit, ulteriore disquisitione hypothesios Ps. exponendi opus non est; maxime cum Interpretes, uno alterove excepto, hic satis conveniant; quare mox ad explicationem pergo. In *prima* parte א. in genere declarat se Deo coram publice esse laudes daturum ac cantaturum, vers. 1. Dein ב. materiam & rationem ejus tradit, vers. 2 & 3. א. Prius his verbis, vers. 1. *Celebrabo te toto corde meo, coram, o Deus! Psallam tibi.* h. e. sincere, & flagrante adfectu, te quovis modo, etiam cantu, laudabo ac celebrabo, o Deus, nec jam e longinquo, ut olim in exsilio, sed *coram*, in loco præsentiæ tuæ. Interpretes solent נגד *coram* cum אלהים *Deo* construere, & vertere *coram Diis*, per quos alii intelligunt angelos, alii Reges & judices, alii idola: sed unus Interpretum Gr. rectius vertit, ut est in Hexapl. Montf., παῤῥησίᾳ θεὲ ᾄσω σε pa-

 lam,

lam, & fiducialiter, *o Deus*, *canam te;* quam constructionem & interpretationem Clericus quoque præferre videtur, licet *coram principibus* verterit: nobis ea cum maxime placet, ob has rationes. 1. Quia communior interpretatio, si sensum fundat tolerabilem, omni emphasi caret; quam nostra habet egregiam; ut mox dicam. 2. Quia, ubi Deum laudare instituit, epitheton *Dei*, ita absolute positum, ad creaturas adplicitum, haud parum offendit, nec ratio patet, quare eo hic usus fuerit. 3. Improbabile est, virum pium objectum laudationis silentio involvisse, quod fecisset, si hic non nominet: cui robur addit, quod vers. 4., ubi de regibus Deum laudaturis agit, eodem modo, quo nos hic volumus, Deum expresse adpellet, *celebrabunt te*, *o Jehova! omnes reges terræ*, plane ut hic: *celebrabo te*, *coram*, *o Deus*, *psallam tibi*. Ceterum phrasis nostram interpretationem sicut admittit, ita emphasin addit. Etsi נגד *coram* habere soleat adjunctum, quocum construatur, occurrit tamen etiam absolute pro *coram*, maxime מנגד *e regione*; etiam, si sequatur, quo referatur, ut hic, psallam *tibi coram*, pro *coram te psallam tibi*. Sic Deut. XXVIII: 66. *Erit vita tua suspensa tibi* מנגד *e regione*, seu *coram te*. Proxime nostro loco convenit Ps. CXVI: 14. *Vota mea Jehovae solvam* נגדה נא *coram*, *age*, *praesente omni populo*, quod est לכל עמו. Quod vero ad emphasin orationis, quam vox נגד *coram* adfert, adtinet, ea sese facile offeret ex oppositione præteriti & præsentis status Davidis, nec non ardente desiderio ejus, quo in domum Dei ferebatur, quod Ps. XXVII. & alibi expectoravit, cujus nunc compos erat factus, arca in Tsionem translata. Declarat itaque, se Deum cantu celebraturum, & quidem, non ut antea in exsilio, sed, quod unice ipsi in votis fuerat, in loco præsentiæ Dei, seu *coram;* quæ insignis ejus erat felicitas, ut in paraphrasi expressi.

§. VI. ב. Propositionem mox deducit, eam exponendo, & amplificando, vers. 2, 3. his verbis: *Adorabo ad pala-*

palatium ſanctitatis tuae & celebrabo nomen tuum, ſuper benignitate tua & ſuper veritate tua, quia magnificaſti ſupra omne nomen *nomen tuum dicto tuo: die* calamitoſo *invocavi te, & reſpondiſti mihi, formidabilem* & elatum *me facies, in anima mea robur* eſt. Quibus verbis *α.* explicatius tradit, quod modo dixerat, ſe *coram* Deum laudaturum eſſe; quum dicit, ſe adoraturum & laudaturum eſſe *ad palatium ſanctitatis Dei*, h. e. oculis ad ipſam Dei domum coeleſtem fixis Deum humillime & devote eſſe laudaturum. *Palatium ſanctitatis Dei* eſt coelum, quo, Jehovam *coram* in domo Dei adorantes, animi & oculi elevabant ſancti, uti Salomo, 1 Reg. VIII. fecit, De quo ad Pſ. v: 8. expoſui. *Adorare & laudare* conjunguntur, ut indicetur, Deum eſſe devote ac pie celebrandum; convenienter Majeſtati, & ſanctitati Dei, & ſecundum præſcriptum ejus. *β. Materiam* & *rationem* celebrationis Dei *a.* in genere explicat, cum dicit, celebrabo *nomen tuum ſuper benignitate & veritate tua*, ſcilicet cauſa virtutum gratiæ & veracitatis, in promiſſis dandis ac implendis partim demonſtratarum, partim præſtandarum. Quæ non ſunt difficilia. *b.* In ſpecie 1. reſpectu promiſſorum, nunc factorum, his verbis: *quia magnificaſti ſupra omne* nomen *nomen tuum dicto tuo.* h. e. promiſſo, mihi & populo nunc facto, nomen tuum omni alio nomine in coelo & terra excelſius ac glorioſius feciſti, meum quoque in eo nomine tuo fore ſupra omne nomen demonſtraſti. Verba ſunt conciſa, ſimul emphatica, & ſtudio formata, ut plus indicarent, quam mox adparebat. Ad ſenſum *verbalem* eruendum facit, notaſſe, 1. in vocibus על--כל *ſupra omne* latere nomen שם, quod ex concurrentia ejusdem vocis deficit, adeoque legendum eſſe, על--כל--שם שמך *ſupra omne nomen, nomen tuum*; ſicut phraſis Paulina habet Philipp. II: 9. neſcio an hinc petita. 2. vocem שמך *nomen tuum* cohærere cum verbo הגדלת *magnificaſti*, ut ſenſus ſit, Deum magnum feciſſe & illuſtre *nomen ſuum.* 3. Denique in voce אמרתך deeſſe ב, adeoque

que verti debere *verbo tuo*, scilicet, *magnificasti nomen tuum supra omne nomen:* quo nihil est facilius, aut usitatius. Quod vero ad sensum *realem* adtinet, notandum est, 1. *verbum*, seu dictum Dei hic esse *promissum* ejus; quod non est ignotum, aut insolitum: vid. Ps. XII: 8. XVIII: 31. & sæpius CXIX., in specie, quod hoc tempore Davidi erat datum de regno in domo ejus firmo futuro, Templo Hierosolymis ædificando, & Messia ex ipso nascituro, cujus regnum foret æternum. 2 Sam. VII: 13--16. Deinde 2. in voce שמך *nomine tuo* illud locum habere, quod in illis solet, quibus *Tikkun sopherim* correctio scribarum adnexa est, quo indicatur, stylum alio verti, ob certas rationes, quam nexus & scopus orationis requirebat. Convenienter seriei sermonis David dixisset, *magnificasti super omne nomen meum dicto tuo*, sed ejus loco, ut Deus glorificaretur, dixit *nomen tuum*, ad indicandum, *nomen Dei* esse in suo nomine verius magnum factum, quam *suum* nomen. Sensus itaque huc redit, *a. nomen* Davidis per promissum ipsi datum 2 Sam. VII., quo respicitur, esse magnum factum, supra omne nomen in terra; quatenus ipsi regnum perpetuum in domo sua continuandum, & æternum in Messia, filio ejus futuro, est promissum. Quod ipsum quoque disertis verbis de Davide traditur, 2 Sam. VII: 9, 21. *b.* verum eo ipso, & verius, *nomen ipsius Dei esse magnum factum;* uti 2 Sam. VII: 22, 26. diserte traditur, *cum* quod Deus sese eo demonstravit summum Deum, gratia & potentia illustrissimum, unicum rectorem & servatorem mundi, *tum* quod regnum Davidis esset Dei regnum, cui ipse ut minister inserviebat, ita ut Dei nomen in ipso glorificetur, Templo in ejus honorem ædificato, & vera religione restituta &c. *tum* denique quod in Messia, filio Davidis, ipsum *Dei nomen* foret, quod de Angelo Jehovæ dixit ipse Jehova, Ex. XXIII: 21. & *glorificatum* est; ut satis constat.

§. VII. 2. *Secundum* bonitatis & veritatis Dei specimen, specialem laudis Dei materiam & rationem, hæc verba

verba continent, *in die inclamavi, & respondisti mihi*, h. e. tempore periculoso & calamitoso auxilium & liberationem imploravi, & opem mihi præstitisti. *In die* est tempore adflicto, & periculi pleno; quem usum vox *dies* subinde habet, uti vidimus ad Ps. CXXXVII: 7. hic omnino debet, ut ex verbis additis manifestum est. Respicit ad tempora præcedentia, quibus varie fuit adflictus, & agitatus; & specialem bonitatis ac veritatis Dei celebrationis materiam ac rationem quærit in eo, quod Deus sibi clamanti semper adfuerit, & opem præbuerit. Fut. itaque cum ו conversivo in ותענני *& respondebis mihi* præteritum involvit; ut recte a Gejero & aliis observatum est. 3. *Tertium* earundem virtutum effectum, speciali laudatione dignum, in eo situm, quod regnum ejus foret elatum, tumidum, & formidolosum hostibus, ipseque magna animositate & confidentia præditus, hæc verba exhibent, *formidolosum* & *elatum facies me; in anima mea* est, eritque *robur*. h. e. regnum meum reddes gloriosum & terribile hostibus, & anima mea erit fiduciæ & robore plenissima: loquitur in fut., & ad statum suum & regni respicit gloriosum, formidabilem & firmum. Verbum רהב proprie dicit, *terreri* & *terrorem incutere;* unde derivatum רהב *formidolosam & tumidam molem* denotat, sive monstrum marinum Joh. XXVI: 12. sive formidolosas species, quibus mentes percelluntur, & in admirationem rapiuntur, opes, sceptra, solia, & quicquid splendidum est in rebus humanis Ps. XC: 10. sive imperium magnum, potens & formidolosum, quo sensu pro Aegypti epitheto venit. Ps. LXXXVII: 4. Jes. LI: 9. De quibus omnibus vid. Schultens *a*. Significat itaque David, se hostes suos esse prostraturum, subjugaturum, & regnum habiturum splendidum, pomposum, & formidabile, quod cunctis admirationem, etiam timorem incutiet; quod eventus comprobavit, uti notum est. Addit, *in anima mea robur*, scilicet, est, eritque, ut

a Ad Prov. VI: 3.

ut significet, se non amplius, ut antea nonnunquam, *timere*, sed animosum esse, & fiduciæ plenum; talemque in posterum quoque se præstiturum. Potest enim æque *erit*, ac *est*, suppleri, quod utrumque hic recte admittitur. Vid. Ps. XXVII: 1-3. & ibi dicta.

§. VIII. *Secunda* Ps. pars, quæ promissi, Davidi facti, & felicitatis ejus, ac regni consequens, a Davide in Spiritu prævisum, continet, in eo situm, quod omnes reges terræ Deum celebraturi, ipsique & alii quicunque in viis Dei processuri, Deo sint cantaturi, quod gloria ejus sit magna & ipse superbis resistat, humilibus det gratiam, his verbis exhibetur, vers. 4-6. *Celebrabunt te, Jehova! omnes reges terræ, quum audiverint dicta oris tui; & recta serie procedent cantantes in viis Jehovæ: magna est gloria Jehovæ: excelsus est Jehova, & demissum videbit, & altifrontem elatum procul cognoscet*, vel *cognoscere faciet*. h. e. ad summam Dei gratiam & veritatem, in primis promissum mihi factum de regno meo æterno in filio Messia, cum animum confero, spiritu prophetico prævideo, quod & opto, regna terræ omnia, præeuntibus regibus ipsis, Deo gloriam nominis ejus datura, quo tempore dicta oris ejus, seu promissa ejus, intellexerint, & receperint, adeo ut veram religionem, & modum vivendi a Deo præscriptum, sint amplexuri, & ei insistentes, hanc, vel similem, in formam cantaturi: *magna est gloria Jehovæ* in tota terra, excelsus est Jehova solus, & a nobis longe remotus, qui humilibus dat gratiam, & superbos deprimit. Quæ paraphrasis nexum & sensum verborum cum in sat clara luce posuerit, paucis defungi potero observatis. Locum hic inveniunt verba, tanquam superiorum consequens, a Davide, Spiritu Dei adflato, prævisum, & ita prædictum, una cum votorum suorum confessione. Celebraverat ipse gratiam & veritatem Dei, & earum virtutum specimina, sibi vel præstita, vel præstanda recensuerat, inter quæ erat singulare illud promissum de Messia ex ipso orituro, &

regno

regno ejus in æternum duraturo per orbem; cui gentes & reges terræ ſeſe per conſequens ſubmitterent: uti a Jacobo Gen. XLIX. in benedictione Judæ, & antea Abrahamo a Deo erat manifeſtatum, ac promiſſum. Quorum conſideratio ipſum, ſpiritu prophetico accedente, impulit, ad optandum, ſimul prænunciandum, Jehovam eſſe a regibus terræ celebrandum, quo tempore promiſſa Dei ad ipſorum notitiam pervenerint. Quod ex parte quidem, & ſenſu exiliore, factum eſt tempore Salomonis, ad quod digitus intenditur, ut Pſ. LXXII., ſed longe verius & illuſtrius ſub Meſſia; quo hic omnino reſpicitur, ut ex *omnium regum terræ* mentione, nec non plenaria gentium ad Deum converſione, verſ. 5. manifeſtum eſt, & ex aliis Pſ., ſatis notis, confirmatur.

§. IX. Hac hypotheſi jacta, & nexu verborum cum præcedentibus monſtrato; nihil ſupereſt, quam ut paucis eorum ſenſum explicem & illuſtrem. Continent verba *α.* propoſitionem, verſ. 4. *β.* ejus deductionem & amplificationem, verſ. 5. 6. *α.* Propoſitio ita ſonat, verſ. 4. *Celebrabunt te, Jehova! omnes reges terræ, quum audiverint dicta oris tui.* Quæ verba & voti, & prædictionis conſpectum recte ferunt; cum verti poſſit verbum יודוך & *celebrent* & *celebrabunt*: quod utrumque hic recte admittitur. Declaratur vero, 1. Jehovam *eſſe celebrandnm ab omnibus regibus terræ*, h. e. per omnia regna, regibus præeuntibus, veram Jehovæ confeſſionem & glorificationem locum habituram, & non tantum per Cananæam. 2. illud tunc futurum eſſe, *quum audiverint dicta oris Dei*, h. e. promiſſa gratiæ, eorumque implementa, ipſis innotuerint, ita ut receperint, & in fide ac ſpe ſeſe iis ſubmiſerint. *Dicta oris Dei* ſunt promiſſa ejus, ut verſ. 2. habuimus; ſed quæ gentibus materiam & rationem Dei laudandi præberent, adeoque ad ipſos etiam pertinentia, & ipſis ſalutaria; promiſſa itaque *gratiæ* & *ſalutis*, ut ex eodem verſu 2*do* quoque colligi poteſt, in ſpecie Davidi facta de Meſſia, rege

& ſervatore mundi: ut ſupra vidimus. Hæc promiſſa cum *audituri* dicantur reges terræ, præſupponitur, ea ipſis eſſe *adnuncianda:* quod præcipue per euangelium, a Chriſto & Apoſtolis promulgatum, factum eſt. Conf. Rom. x. Hoc facto reges terræ dicuntur *audituri*, & *obedituri;* quod etiam comprehenditur verbo *audire*, uti notum, & ex *celebratione*, ab ipſis facienda, manifeſtum eſt.

§. X. β. Propoſitionis deductio ita habet, verſ. 5. 6. *& recta ſerie procedent cantantes in viis Jehovæ* dicendo: *magna eſt gloria Jehovæ; excelſus eſt Jehova, & humilem videbit, & altifrontem elatum de longinquo cognoſcet, ac cognoſcere faciet.* Quibus verbis, ad propoſitionem uberius explicandam, *a.* celebrantium Dei qualitates, & modus celebrandi accuratius deſcribuntur, in priore membro, verſ. 5. *b.* formulæ exhibentur canticorum, quibus uterentur in Deo celebrando, verſ. 5. in membro altero, & verſ. 6. *a.* Characteres morales eorum, qui Jehovam laudarent, & modus, quo id facerent, his verbis continentur, verſ. 5. *& recta procedent cantantes in viis Jehovæ.* h. e. *audient* non tantum & admittent promiſſa Dei, qui Deum laudaturi ſunt, uti modo declaravi, ſed &, quod ambitu verbi *audire* etiam comprehenſum eſt, *vias* a Deo præſcriptas, quibus promiſſa adnexa ſunt, tenebunt, & iis ſtudioſe incedent; eaque ratione Deum quovis modo celebrabunt, etiam ſolenni & publico cantu, uti in proceſſibus fieri ſolet. Viderunt quidem nonnulli Interpretes, phraſin, *cantare in viis Jehovæ*, non eſſe capiendam pro cantare *vias* aut *de viis* Jehovæ, uti aliqui acceperunt, phraſi & uſu Script. vetante, ſed pro cantare *in viis Jehovæ incedentes*, adeoque præſcriptum Jehovæ in vita & moribus tenentes, verbo *ambulare* ſubintellecto, verum non obſervarunt, illud ipſum verbo שׁיר, quod hic occurrit, eſſe comprehenſum, adeo ut duplicem vim hic exſerat, & *recta procedendi*, & *cantandi*, quam utramque habet. Primaria radicis poteſtas eſt in *protenſione* & *proceſſione* per li-

neam

neam rectam, quæ etiam cognatis radicibus ישר & אשר ineſt unde reliqui uſus fluxerunt, inter quos eſt *cantandi*, ſive a choreis recta ſerie diſpoſitis & procedentibus, ſive a *carmine* æqualiter diſpoſitis lineis rythmice conſcripto *a*. Indicatur itaque, eos, qui Jehovam laudarent, *vias* ejus ſimul obſervaturos eſſe, & ad ejus præſcriptum vitam & actiones eſſe conformaturos, ſive ſint reges terræ, ſive alii cujuscunque ſortis & conditionis; poteſt enim illud, *incedent cantabunt*, ad *reges* modo memoratos referri, etiam latius extendi; cum, nemine nominato, in genere dicatur, cantaturos *eſſe incedentes in viis Jehovæ*. Phraſis vero *incedere* recta, ambulare in viis Jehovæ, cum ſit trita ſatis & nota, moras non nectam in ea explicanda.

§. XI. *b. Formulam* aliquam cantici ſequentia mihi continere videntur, verſ. 5, 6. *Magna eſt gloria Jehovæ; excelſus eſt Jehova, & ſubmiſſum videbit, & altifrontem elatum e longinquo cognoſcet, & cognoſcere faciet.* Poſſent quidem verba cenſeri *rationem* moventem comprehendere, qua incitarentur regna terræ ad incedendum in viis Jehovæ & cantandum, *quia magna* erit *gloria Dei* in terra, & Deus humiles in gratia, ſuperbos in ira reſpicit; quæ propria eſt & maxime uſitata voculæ כי *quia*, quæ præmittitur, ſignificatio; nec repugno, quominus hic locum quoque illud teneat: attamen eo inclino, ut quoque, & præcipue, pro ſummaria cantici materia habeantur, cum, quod illud proxime præcedentibus rectius congruat, quibus dictum erat, eos eſſe *cantaturos*, *tum* quod perſona hic mutetur, & non ad Deum, ut antea, ſermo vertatur, ſed de Deo fiat in tertia perſona; cujus ratio facilior eſt, ſi hic ipſum canticum ſummatim tradatur. Accedit, haud infrequenter ejusmodi formulas canticorum Pſ. inſeri; uti ſæpe vidimus, proxime etiam Pſ. cxxxv: 5. Nec obſtat

a Vid. Cl. Schroeder ad Jeſ. III. cap. 5. & dignus ejus diſcipulus Meſtinge in diſputatione ſub ejus auſpiciis de *authentia* quorundam *Cetubim* p. 15.

vocula כי *quia*; cum illa sæpe sit inchoativa orationis, uti l. c. & alibi sæpe. Ceterum, cum *bis* occurrat illa vocula, & vers. 5 & 6., existimaverim duplicem hic memorari formulam, *alteram*, qua gloriæ Dei magnitudo in genere celebraretur, *alteram*, qua æqua & sapiens gratiæ & justitiæ Dei distributio laudaretur.

§. XII. *Prior*, quæ habet, *magna est gloria Jehovæ*, proxime convenit formulæ Seraphicæ Jes. VI: 3. *plena est gloriæ ejus tota terra*, & in genere exprimit claram & diffusam ac copiosam virtutum Dei, qua Jehovæ, seu gratiæ, justitiæ, veritatis, & potentiæ ac sapientiæ, per illustria opera manifestationem: quæ exiliore quidem sensu facta est tempore Davidis exaltati & Salomonis, cujus caussa regina Schebæ venit Hierosolymam, audita fama Salomonis, *ad nomen Jehovæ*, seu propter *gloriam* Jehovæ tunc manifestam factam 1 Reg. X: 1. ac deinceps, quum populus ex Babylonico exsilio in patriam rediit, & instauratus est, maxime sub Maccabæis; quo respicitur, Hab. II: 14. *replebitur terra cognitione gloriæ Jehovæ:* sed vera sua emphasi, & summo sensu, sub Messia, ejusque regno; ut est Jes. VI: 3. XL: 5. & alibi; nec non in cantu angelico, Luc. II. *gloria Deo in excelsis*. Quæ, tanquam nota, non exsequor latius. Sufficit, ex dictis patescere, quam apta hæc sit cantici, per regna terræ canendi, materia, & formula summaria.

§. XIII. *Posterior* formula his verbis profertur, vers. 6. *Excelsus Jehova & submissum videbit*, &, vel at, *altifrontem elatum e longinquo cognoscet*, vel *cognoscere faciet*. Quibus æqua & justa gratiæ & justitiæ dispensatio, naturæ & relationibus Dei & hominum congrua, simul summa euangelii & oeconomiæ gratiæ, qua humilibus dat gratiam & superbis resistit, luculenter ob oculos ponitur, & gloriæ Dei manifestationi per orbem, modo celebratæ, recte subjungitur, cum ea in illa dispensatione clarissime demonstretur; simul homines doceantur, qua via ejus participes fieri

fieri possint, & excitentur ad modestiam induendam ac superbiam vitandam. Continent verba normam & regulam, secundum quam Deus in genere præmia & poenas distribuit, quamque in specie tenet in oeconomia gratiæ. Cujus & alibi in Script. frequens est mentio: ut 1 Sam. II. in cantico Hannæ, Jes. II: 11, 17. LVII: 15. LXVI: 2. Ps. CXIII: 4. &c. sæpe alibi; & in N. T. Jac. IV: 6. 1 Pet. V: 5. & alibi: nec desunt similia effata apud Gentiles *a*. Adparuit etiam hoc tempore, quo Ps. est compositus, in Davide & Saulo ac hostibus, & deinceps in Judæis liberandis, ac tumidis hostibus deprimendis. Quibus non necesse est immorari. Superest tantum, ut interpretationis nostræ ratio detur, & emphasis eruatur. Sunt, qui *duo* versus membra, tanquam sibi respondentia, & ejusdem sensus, accipiunt, adeoque *posterius* vertunt, *& sublimis*, scilicet Deus, *e longinquo cognoscit*, sicut in *priore*, *altus Jehova & humilem videt*. Sed 1. rectius fluit secundum nostram versionem oratio: si enim alteram intendisset poeta, dixisset in posteriore membro, *elatus & e longinquo videt*; non, *& elatus e longinquo videt*. 2. Cum in *priore* membro dixerat, Deum videre *humilem*, rectius per oppositionem subjungit *elatum*, *cum* quod Deum adpellaverit רם *excelsum*, nec necesse habeat addere *elatum*, *tum* quod גבה ita absolute superbum & inflatum denotare soleat, & de hominibus usurpari, *tum* quod præf. ו *&* repetitum indicet, phrases *humilem videre*, *& elatum cognoscere*, sibi respondere, & opponi. Accedit, pleniorem sic fieri sententiam, qua Deus excelsus dicitur *humilem videre*, & *elatum cognoscere*, sicut alibi, *humilibus dare gratiam* & *resistere superbis*.

§. XIV. Continet itaque versus *antecedens*, & *consequens*. *Antecedens* est, Deum, vel *Jehovam*, Deum Israelis, veracem, bonum & justum, ens supremum, mundi rectorem, judicem & servatorem, unicum, esse *excelsum*, scilicet

a Vid. Cl. Vitringa ad Jes. II. & Obs. S. l. III. c. 15.

licet *ſupra omnes gentes*, *ſupra coelum* Pſ. CXIII., & *ſolum* excelſum Jeſ. II: II. natura, adtributis, & operibus; quique *altum* inhabitat & *ſanctum* Jeſ. LVII. Occurrit autem hoc antecedens hic tanquam fundamentum & ratio conſequentis, ſimul tanquam quid, quod non obſtat, quominus conſequens illud locum teneat: hac ratione Jehova eſt *excelſus*, & propterea tantum abeſt, ut non videat & cognoſcat homines, quod eo non obſtante facillime poteſt, ut, quia excelſus eſt, videat cum adprobatione *humilem*, & cognoſcat cum deteſtatione & ira *elatum*; ut ſolus ſit & manifeſtetur excelſus; Jeſ. II. *Excelſus eſt Jehova* itaque dicit, *licet* talis ſit, tamen videt, imo *quia* talis eſt, *humilem videt*, &c. *Conſequens* memoratur duplex, ſed oppoſitum, *& videbit humilem, & altifrontem elatum e longinquo cognoſcet.* Vocula connectens, *&*, utrique propoſitioni præmiſſa, indicat utramque, ſibi oppoſitam, eſſe veram, & *altitudini* Dei congruam. *Prior* eſt, Deum *videre humilem*, ſeu ſubmiſſum, & modeſtum, qui nihil ſibi, omnia Deo tribuit, de ſe, viribus & meritis, abjecte, de Deo præclare ſentit, non ſibi, ſed Deo fidit, ſeſeque erga Deum ſubmiſſe, & reverenter habet & gerit in omnibus. Qualem David ſe ipſe profitetur 2 Sam. VI: 22. & Salomo *beatum* prædicat, Prov. XVI: 18. & glorificandum, c. XXIX: 23. Dominus etiam *pauperem ſpiritu & manſuetum* Matt. V. Verbum vero ראה *videre* non eſt ſimpliciter *cognitum* habere, ſed approbare, curare, & benevole tractare. *Videre* itaque eſt *proſpicere*, & curare; quo ſenſu ad *providentiam* Dei denotandam adhibetur, præterea in bonum & ſalutem, ac cum adprobationis & delectationis demonſtratione, Jeſ. LXVI: 2. quo ſenſu *non videre* dicitur *iniquitatem*, Hab. I: 13. Quæ ſatis trita ſunt.

§. XV. *Poſterior* ita ſonat, *& altifrontem elatum e longinquo cognoſcet* & *cognoſcere faciet*: quod utrumque admittit ſingularis forma verbi יֵדָע, poteſt enim eſſe fut. in Kal

&

& Hiph. *a*, & huc recte quadrat: ut mox patebit. Vox גבוה in origine *convexum*, *convexitate* elatum, signat, altifrontem, inde superbum & impudentem; & *cordi*, *spiritui* ac *naso*, tribuitur; ut *altifrons cordis*, qui convexa superbia elatus est, & *convexitas nasi* pro fastu tumido, quo nasus in coelum quasi erigitur *b*, adeoque hominem pingit, qui de se, viribus & potentia, magnifice sentit, sibi adplaudit & fidit, jus & fas naso suspendit adunco, nec Dei nec hominum rationem habet, sed ex alto despicit. Hunc Deus, qui excelsus est, dicitur *cognoscere*, quatenus non tantum *novit*, sed cum indignatione, & in ira, seu justitia visitat, ac punit poena quoque exemplari. Quod est *cognoscere* Judicis; uti notum. Quare pro *punire*, in specie poena adficere exemplari, sumitur: ut Jud. VIII: 16. Ps. XIV: 3. Jer. XVI: 21. Hos. V: 9. Job. XXI: 19. ubi vid. Schultens. Sed simul Deus dici potest eum *cognoscere facere*, eum sentire & experiri faciendo, quemadmodum *cognoscere* pro sentire, experiri, sumitur, Jos. XXIII: 4. Jes. XLVII: 10. Job. XV: 23. simul *notum* faciendo in publicum exemplum & spectaculum, tanquam exemplari poena adfectum. Sed quid est ממרחק *e longinquo*? Tripliciter sumi potest, 1. respectu Dei, altum & sublime inhabitantis, qui, licet longe remotus videatur, tamen *e longinquo*, ex alta sua sede, eum cognoscit. Conf. Ps. CXIII. 2. respectu communionis Dei, a qua longe remotum superbum illum cognoscet, & puniet. Conf. Ps. LXXIII: 27. opposite ad *humilem*, quem Deus *videt*, nim. e propinquo, quod recte verbo *videre* censetur comprehensum; ut sit *coram* videre. Denique 3. respectu hominum remotorum, & procul a superbo habitantium, quibus Deus ipsum exemplariter puniendo *notum* faciet, tanquam exemplum justitiæ Divinæ, cujus fama per orbem volitat.

§. XVI. *Ter-*

a Schultens Gr. p. 470. & Schroeder ad Ps. X: 4. *b* Id. ad Prov. XVI: 5, 18.


§. XVI. *Tertia* PL pars, fidei & spei in Deum repositæ, qua se in posterum esse conservandum, ab omni angustia & hostium ira liberandum, & felicitatem suam consummandam esse, confidebat, testificationem, *tanquam alterum* gratiæ sibi præstitæ, & promissi sibi facti, consequens, adeoque apte superioribus subjunctam, continet, vers. 7, 8. his verbis: *si ivero in medium angustiæ, vivificabis me, super nasum hostium meorum immittes manum tuam, & servabit me dextra tua. Jehova absolvit pro me; Jehova! benignitas tua est in æternum; opera manuum tuarum ne remittas.* Quibus α. confidentiam suam exponit, vers. 7, & 8. in primo membro. β. ejus fundamentum tradit, vers. 8. α. *Duo* sunt, quæ magna cum fiducia se exspectare declarat, *alterum*, se nullis angustiis, nullis hostibus succubiturum, sed eripiendum esse, vers. 7. *alterum*, omnia ad statum suum perficiendum, & promissa implenda, esse a Deo facienda, vers. 8. *a. Prius*, vers. 7. continet liberationem ab *angustiis* quibusvis, & hostium invasionibus: quas distincte memorat; *priores* his verbis, *si ivero in medium angustiæ, vivificabis me.* Loquitur conditionate, *si ivero;* significans, sibi de eo non certo constare, sed fieri posse, imo præsagire animum tale quid futurum; quemadmodum factum est. Exaggerat præterea casum, *si ivero in medium angustiæ*, adeo ut, scilicet, undique ab ea cinctus fuero, nec rima pateat elabendi: *confidentiam* denique exprimit verbo *vivificabis me*, scilicet, consolando & corroborando in mediis angustiis, ne animo despondeam, & in vita conservando, ac liberando. Quod non est difficile. Expertus illud est tempore pestis, qua Deus regnum ejus adflixit, fugæ coram Absolomo, etiam aliis in casibus, ut post commissum adulterium & homicidium. Quæ satis nota sunt. Præter has *angustias* memorat hostium impetus, a Deo reprimendos; quum subjungit; *super nasum hostium meorum injicies manum tuam, & servabit me dextra tua*, h. e. superbiam & ferociam hostium, mihi male

male volentium, & me invadentium compesces, retundes & refrænabis, meque in plenissimam libertatem & securitatem adferes, potente tua manu exserta. Nihil hic difficile, aut ex historia Davidis non notum. Phrasis, *mittere manum in nasum* alicujus, ut verba verti debent, non est Orientalibus insolita, diciturque, superbiam & ferociam, ac iram compescere, & retundere.

§. XVII. *b. Posterius*, quod eventurum esse confidit, his verbis exprimit, vers. 8. *Jehova absolvet pro me.* h. e. quicquid ad meum statum perficiendum pertinet, Jehova mihi præstabit, quicquid mihi promisit, actu etiam faciet, & implebit: nulla enim ratio est restringendi phrasin generalem, ad omnia, quæ promissa erant, aut ad statum consummandum faciebant, sese extendentem. De verbo גמר hoc sensu, & simili phrasi dixi ad Ps. LVII: 3. Ceterum non dixit *absolves pro me*, ut ante & post, Deum adlocutus, sed *Jehova pro me absolvet*, ut indicaret, sese fiduciam suam in nomine *Jehova* collocatam habere, & sibi persuadere posse illud futurum esse. Rarum non est, in sermone ad Deum subinde personam mutari, & quasi de Deo institui; sive idem sit, ac *Jehova tu es*, *qui absolvit pro me*, sive, animæ meæ dicere possum, *Jehova pro me absolvet.*

§. XVIII. *β.* Fundamentum fiduciæ duplex hæc verba continent, vers. 8., *Jehova, benignitas tua in æternum, opera manuum tuarum ne remittas*, h. e. fiducia mea, quam significavi, in eo sita est, quod *tua*, o Jehova! *benignitas* duret in æternum, absque ut unquam te poeniteat; nec non, quod *opera manuum tuarum* nec possis, nec soleas, missa facere, sed quæ incepisti, ad colophonem perducere. Generalis veritas est, *Deum opera manuum suarum non intermittere*, adeoque latissime extendenda, sed quam David sibi adplicat, respiciens ad *opera* illa Dei, quibus sibi hucusque prospexerat, & se in regno collocaverat, ac firmaverat; quæ opera negat abrumpenda esse, absque ut ad complementum suum adducantur. Verbum רפה pro-

prie dicitur res, quæ *flaccida* est, & ſucco ac vigore conſumto pendula; unde ad manum transfertur, quæ flacceſcit, vel torpet, nec non animi impetum, qui reſidet, & in Hiph. pro *remittere*, miſſum facere, ac permittere, ſumitur. Quæ huc facile adplicantur. Tantum not. emphaſis voculæ אל in phraſi אל תרף *ne remittas*, qua dicit, *abſit*, ut hoc facias, fieri non poteſt, ut permittas. Vocula אל ſubinde uſum לא *non* induit, & *negationem* dicit, ſed fortiorem, quæ ſimul prohibet. Vid. ad Pſ. XXXIV: 6. L: 3.



PSALM.



PSALM. CXXXIX.

1. *Præcentori, Davidis Psalmus. Jehova, quum subtilissime explorasti me, & cognosces.*
2. *Tu nosti quiescere meum & surgere meum, distincte intellexisti cogitationem meam e longinquo.*
3. *Iter meum & mansionem meam ventilasti, & omnes vias meas periclitatus* es, feu *in discrimen probationis vocasti.*
4. *Quia*, vel *profecto, non est verbum in lingua mea, ecce! nosti, Jehova! totum illud.*
5. *Retro & ante coarctasti me, & super me posuisti manum tuam.*
6. *Resecta est scientia a me, altior est, quam ut eam capere possim.*
7. *Quo irem a Spiritu tuo? & quo a Facie tua aufugerem?*
8. *Si coelum, me connectendo, adtigero, ibi Tu es, sique stravero inferos, ecce Te!*
9. *Adtollam alas auroræ, habitabo in extremitate maris.*
10. *Etiam ibi manus tua deducet me, & adprehendet me dextra tua.*
11. *Et*, vel *si quoque, dixero, utique caligo me involvet exitio, &*, vel *etiam, nox circa me erit lux.*
12. *Etiam tenebrae non obtenebrabunt prae te, & nox sicut dies lucebit, sicut caligo sicut lux.*

13. *Quia tu possides renes meos, contexuisti me in utero matris meae.*

14. *Celebrabo te, propterea quod vibrabiliter resectus sum, mirabilia sunt opera tua, &*, vel *quod, anima mea novit*, diligitque, *enixissime.*

15. *Non est persona mea tibi occultata, ex quo factus sum in abscondito, acupictus sum in terrae inferioribus.*

16. *Circumvolutionem meam vident oculi tui, & libro tuo inscribuntur omnia ista, dies observantur, nec est in iis singularis*, vel *nec unus inter eos* est non observatus.

17. *Et mihi quam ponderosae & pretiosae sunt cogitationes tuae, o Deus! quantae earum summae!*

18. *Numeremne eas? plures sunt quam arena: evigilavero, adhuc Tecum sum.*

19. *Quod si occideris, Deus! inprobum, & viros sanguinum, recedite a me.*

20. *Qui loquuntur te ad scelus destinatum*, vel *obstrigillant tibi contumaciter & sceleste, tollunt in vanum, hostes tui.*

21. *Nonne osores tui odio haberem? Jehova! & in iis, qui in te insurgunt, fastidio & taedio disrumperer?*

22. *Consummatione odii exosus sum eos, inimici fuerunt mihi.*

23. *Subtilissime explora me, Deus! & cognosce cor meum, proba me, et cognosce intimas meas adfectiones.*

24. *Et vide, sitne via strictionis in me? et deduc me in via aeternitatis.*

PROLEGO-

PROLEGOMENA.

§. I.

ARgumentum Pſ., haud uno nomine excellentis & utiliſſimi, eſt viri pii, Dei & omnis virtutis ſtudioſi, ſed calumniis obruti, & variorum criminum ſuſpecti aut accuſati, ut hypocriſios, ambitionis, & ſanguinis innocui effuſi, oratio apologetica ad Deum, ſupremum judicem, directa, qua, in ſignum bonæ conſcientiæ, ad innocentiam ſuam demonſtrandam, ſeſe ejus inquiſitioni & judicio ſubmittit, ad eum, tanquam idoneum teſtem & juſtum judicem, quippe omniſcium, omnipræſentem, conſervatorem & arbitrum mundi, juſtum & æquum, provocat, ſuæque pietatis, & puritatis ab iſtis ſceleribus, varia producit, & ipſi Deo in ſignum ſinceritatis exponit, ac deducit, ſpecimina, in eo ſita, quod ſub oculis Dei verſatus, & variis modis ab ipſo probatus & exploratus ſit, Dei omniſcientiam & omnipræſentiam, providentiam accuratam, juſtam & æquam, qua omnibus adeſt, omnia curat, præmia & poenas ex æquo & juſto diſpenſat, peccatores punit, & juſtis ac piis remuneratur, ſemper ex animo agnoverit, ejusque vivido ſemper ſenſu intimo adfectus, & eam ſæpe cum admiratione ac profunda reverentia contemplatus fuerit, ac adoraverit; ſeſeque a peccatorum & impiorum ſocietate alieniſſimum profeſſus fuerit, & reapſe præſtiterit, ſicut etiamnum palam confiteri & declarare auſit; eoque fundamento exſpectat & petit, ut Deus ipſum in *via mundi* deducat in perpetuum, nec cum impiis auferat e medio. Incipit poeta cum provocatione ad examen & judicium Dei, & ad illud mox in principio provocat. Effundit dein ſeſe in deſcriptione omniſcientiæ, omnipræſentiæ, & providentiæ Dei, qua *phyſicæ*, ut dicitur,

tur, qua *moralis*: quam ita instituit, ut ubique insinuet, vel declaret, se toto animo, per omnem vitam suam, eam cum intima persuasione agnovisse, sæpe contemplatum & admiratum esse, suasque adfectiones & actiones ei conformasse, adeoque coram Deo, inspectore et judice, ambulasse integrum & sincerum; a sceleribus, et impiorum consortio separatum, quin hostem eorum, qua talium, implacabilem. Quando eandem provocationem ad Deum, testem & judicem, ejusque inquisitionem repetit, &, uti inceperat, desinit, addita prece, ut Deus se in via deducat instar pastoris in perpetuum.

§. II. Ad verum argumenti *conspectum* pertinet, 1. virum, qui hic loquitur, esse vera Dei tanquam omniscii, omnipræsentis, & boni ac justi conservatoris, Rectorisque mundi, cognitione probe imbutum, & fide in ipsum, qua talem, præditum, simul ejus admiratorem, & cultorem sincerum, nec non omnis veri & justi studiosum, ab omni hypocrisi, ab omni facinore pravo alienum, quin peccatorum, seu scelestorum, qua talium, hostem acerrimum. Quæ ejus qualitates sese sponte ubique offerunt. 2. Eum variis modis fuisse a Deo exercitum & exploratum, sed semper talem deprehensum. Quo mihi pertinere videntur verba, vers. 3 & 5. ut suo loco dicetur. 3. Ipsum tamen illum fuisse graviorum criminum, in specie ambitionis, hypocrisios, & sanguinolentiæ, suspectum habitum, & reum actum, odio quoque in homines, seu proximum, ipsi imputato, ansa ex separatione ejus a peccatoribus arrepta. Hujusmodi calumniis ipsum fuisse petitum, provocatio ejus ad Deum, testem & judicem, extra dubium ponit, & passim recte observatum est: sed, crimina memorata ipsi fuisse impacta, colligere mihi posse videor ex pericopa, vers. 18—22. qua se ab istiusmodi peccatoribus alienissimum profitetur; simul agnoscit, se eos odisse, non qua homines, sed scelestos. De quo postea suo loco. Eodem etiam tendere videtur, quod Dei judicio submit-

submittat, num in ipso sit *via striktionis:* de qua itaque suspectus erat. 4. Ipsum nondum publice a Deo esse justificatum, sed haberi adhuc & tractari tanquam eorum criminum reum. Quo nos manifeste ducit provocatio ad Deum, & petitio justificationis. 5. Denique, ipsum de omniscientia, omnipræsentia, & providentia Dei universali & particulari, non eo tantum scopo, ut putatur, disserere, ut patescat, ad Deum sese recte provocare, quippe idoneum testem & judicem, cui omnia sua interna & externa molimina probe nota erant, sed etiam, & præcipue, ad innocentiam, & puritatem adfectionum ac actionum, demonstrandam, argumento ducto a fide sua in Deum, qua talem, & vita sua ei conformi; quippe, qui de ea veritate intime, Deo teste, fuerit sitque persuasus, & sese in ea meditanda, ac laudanda, sæpe occupatum tenuerit, simul a Deo varie tentatus talis deprehensus sit; ut modo observavi. De quo etiam facile constat, quod non simpliciter de Deo, qua tali, differat, sed addat, se Deum, qua talem, cum admiratione, submissione, & celebratione, esse contemplatum, vers. 6., & 14. præterea, Deum renes suos *possidere*, vers. 13., & *cum evigilaverit, adhuc cum Deo esse*, vers. 18., denique se a *peccatoribus* abhorrere, vers. 21, 22.

§. III. Quæ qui ad animum retulerit, & Davidem pro *autore* Ps. habuerit, de quo inscriptio dubitare vetat; ei nobiscum nullum aptius tempus, quo Ps. est compositus, forte in mentem veniet, quam quo coram Saulo fugit, nec tam in principio, quam in progressu, vel quum extra ditionem Sauli se recipere paratus esset: uti eum fecisse constat. Sunt, qui de tempore fugæ coram Absolomo cogitant. Sed, præterquam quod nullo indicio prodat, se regem esse, aut favoris Dei tam manifestum signum accepisse; significat haud obscure, 1. se nullius criminis sibi esse conscium; quod secus se habuit tempore Absolomi. 2. se aliqua cum specie accusari potuisse hypocrisios, am-

bitionis, sanguinolentiæ, & consortii cum peccatoribus; quare sese tantopere coram Deo defendit, & ad eum provocat, & crimina illa a se, in primis commercium cum sceleratis, tanta cum emphasi orationis, quæ fere modum excedit, removet, vers. 19--22. Quæ in tempus Sauli rectius quadrant, quo sacra videri poterat violasse, panem sacrum, ut traducebatur, sumendo, in Majestatem regiam peccasse, regnum ambire, vitæ Sauli insidiari, socios circa se habere, qui malæ famæ erant, 1 Sam. XXII: 2. minus vero in tempus Absolomi, quo tot jam dederat pietatis & virtutis specimina, & favoris Dei acceperat, tam seriam & notam egerat adulterii & homicidii poenitentiam, & remissionem nactus erat. 3. Denique se adhuc in via esse ad felicitatem suam, *oberrare* adhuc debere, nescium sæpe quorsum; uti innui videtur, vers. 7 & 24. de quo postea. Nec tamen in principio exsilii, sed quum illud aliquandiu durasset, forte quum ad exteras terras fugere in animo habuit, Ps. conjecerim esse factum, *cum* quod varie se a Deo jam fuisse exploratum, & excussum, indicet, vers. 3, 5. *tum* quod indicare videatur, vers. 7-- se in alienas & peregrinas oras tendere velle, in quibus videri posset a *facie Dei* esse remotus; de quo postea; *tum* denique quod, inter Philistæos versatus, videri, vel traduci, potuerit tanquam Dei & populi ejus desertor, hominumque scelestorum, sanguinolentorum, & hostium Dei, socius: quo respicit tam studiosa & adfectuosa apologia, qua se ab ejusmodi precatoribus testatur quam maxime abhorrere, vers. 19-- in specie etiam a *via strictionis*, vers. 24. qua aliis molestia creatur, & bona ipsorum spoliantur.

§. IV. Videtur itaque David, variorum criminum aliquandiu calumniose suspectus & reus habitus, & eo prætextu persecutionem Sauli & sociorum passus, easque suspiciones & accusationes nunc, ad gentes hostiles se conferens, renovaturus & confirmaturus, ut videbatur, *hanc* sui defensionem composuisse, ut ipse cum sociis in bonæ

conscien-

conſcientiæ teſtimonio ſolatium quæreret, & ſeſe palam apud omnes, ad quorum notitiam canticum quaquaverſum divulgatum venerit, excuſaret & defenderet, denique ut in poſterum pro monumento innocentiæ ſuæ inſerviret apud omnes. Quem in finem, ſimul ut ſalutaris illa de Dei omniſcientia, omnipræſentia & providentia, doctrina magis divulgaretur & inculcaretur, qua nihil eſt ad pietatem & virtutem efficacius, traditus poſtea Pſalmus eſt *præcentori*, ut inter ſacra cantaretur: uti docet inſcriptio.

§. V. *Structura* Pſ. ſita eſt in continuo ad Deum adloquio, quo ſeſe Dei inquiſitioni & judicio, reſpectu innocentiæ ſuæ, ſubmittit, certa cum fiducia abſolutionis a Deo impetrandæ, rationibus petitis a Dei perfectionibus, & providentia juſta & æqua, ſemper a ſe agnitis, & vita moribusque ad eas conformatis. *Stylus* eſt haud difficilis, ſed emphaticus & adfectuoſus, ut tractatio docebit. *Partes* generales tres ſunt. I. *Prima* continet provocationem ad Dei inquiſitionem & judicium, ut innocentiam ſuam patefaciat, verſ. 1. II. *Secunda* comprehendit prolixam enarrationem, ſeu confeſſionem, omniſcientiæ Dei, & ſuæ probationis a Deo factæ, dein omnipræſentiæ, & denique providentiæ bonæ & juſtæ in homine creando, & præmiis poenisque diſpenſandis, ſuæque ſeparationis ab omnibus peccatoribus: quæ eo ſcopo inſtituitur, ut, ſe ad Deum recte provocare, tanquam teſtem & judicem idoneum & legitimum, non tantum, ſed & ſuæ innocentiæ teſtimonium cum fiducia exſpectare poſſe, patefaciat, cum coram Deo, qua tali, ſemper ambulaverit, & a peccatoribus, qua talibus, abhorreat, verſ. 2--22. Cujus pericopæ partes ſpecialiores ſuo loco tradam. III. *Tertia* exhibet provocationis repetitionem, per modum concluſionis, & addit preces pro Dei benevola, & ſolicita, deductione in via ſua, verſ. 23, 24.

&, ut illud fiat, simul vovet & optat. 3. Denique directe declarat fiduciam suam, qua, instituto judiciali scrutinio, quam exactissimo etiam, persuasus est, sese a Deo esse agnoscendum, & absolvendum a criminibus impactis, & innocentiam suam divino comprobandam esse testimonio. Ceterum verba, quibus utitur, sunt selecta, & emphatica: quorum *prius*, חָקַר, *limatissimum*, subtilissimum, ad quasvis minutias usque, scrutinium denotat, a primaria *tenuandi*, *attenuandi*, ad summam exilitatem usque, potestate *a*. *Posterius* vero, *cognoscere*, hic peculiarem, nec inusitatum, exserit significatum, quo denotat *adprobationem* judicis, ejusque publicam declarationem, seu manifestationem ipso factam opere: uti Ps. I: 6. *Deus novit viam justorum*, XXXVII: 18. *novit dies integrorum*, Am. III: 2. *tantum vos novi ex omnibus familiis terræ*. Sic *non nosse* est non adprobare, sed reprobare; ut Ps. CI: 4. *malum non cognoscam*. Matt. VII. *non novi vos*, dicit Christus judex in ultimo judicio operatoribus iniquitatis. Hos. VIII: 4. *regem fecerunt*, *& non ex me*, *principes*, *& non novi*. Hoc sensu hic sumendum esse verbum *cognoscere*, ex eo manifestum est, quod tanquam consequens *scrutinii* judicialis divini, cui omnia per se nota sunt, occurrat, & mox subjungatur, Deum omnia habere notissima; & propterea eum esse aptum judicem, qui examen non instituit ad cognoscendum, sed ad judicium absolutorium, vel condemnatorium, justificandum. Ipsum quoque *scrutari* Dei idem est ac *cognoscere*, quo sensu *scrutari* dicitur *corda* & *renes*, quatenus tam accuratissime novit, quam qui limatissime & scrupulosissime explorat. *Cognoscere* itaque Dei, tanquam consequens *scrutinii*, aliud esse nequit, ac *adprobare*, & adprobationem manifestare.

§. VIII. *Secunda* pars Ps. varias repræsentat *rationes*, quibus hæc persuasio, & certa exspectatio justificationis a Judice supremo, superstructa erat, desumtas partim a Judi-

a Schultens ad Prov. XXVIII: 30.

Judicis omniscientia, omnipræsentia, & providentia justa & æqua, partim a fide ejus in Deum, qua talem, ipso facto demonstrata, per adfectiones & actiones congruas. Quæ, sicut Deum idoneum esse judicem, ita ipsum loquentem demonstrabant justificatione judiciali dignum, quippe qui sub oculis Dei coram ipso omnes suas actiones instituerit, intimo sensu scientiæ, omnipræsentiæ & providentiæ, Dei adfectus, totam conversationem ei reddiderit consentaneam. א. *Prima* ratio, a Dei omniscientia, & probatione sui insuper accedente, a se agnita & credita, petita, vers. 2–6. hoc ordine in medium adfertur, ut α. Dei scientiam & sui probationem exponat, vers. 2--5. β. eam a se fuisse cum admiratione adsumtam declaret, vers. 6. *a. Prius* illud *a.* proponit, vers. 2, 3. *b.* deducit & confirmat, vers. 4, 5. *a.* Proponit 1. *omniscientiam* Dei, vers. 2. 2. *probationem* sui, vers. 3.

§. IX. 1. Perfectam & accuratam Dei scientiam, qua totam suam conversationem, & intimas suas cogitationes, plenissime novit, his verbis vers. 2. exprimit: *Tu nosti quiescere meum & surgere meum; distincte intellexisti cogitationem meam e longinquo.* h. e. totam meam conversationem, sive domi sive foras, sive quid agam sive quiescam, sive vigilem sive dormiam, *nosti*, ipsas meas cogitationes, & volitiones, quæ me delectant aut solicitum reddunt, accuratissime intelligis, quin intellexisti longe antequam in me fuerunt, earum præscius ab æterno: es itaque aptissimus testis & judex, quem nihil mei latet; a quo, me explorante, etiam propterea adprobationem & justificationem mihi promitto, quia coram te, tanquam tali, ambulaverim, intima tuæ hujus scientiæ persuasione adfectus. Qua paraphrasi & amplissimum sensum, & scopum ac nexum, verborum expressi, adeo ut nihil amplius requiratur, quam ut *sensum* ex verbis ipsis eruam. *Duo* de Dei scientia, vel *tria* adfirmat, Deum *scire quiescere* & *surgere suum*, distincte intelligere ipsas *cogitationes*, idque e *longinquo*.

Verba

Verba *ſedere*, vel *quiescere*, & *ſurgere*, hic latiſſime totam hominis converſationem & vitam denotant, qua 1. vel domi reſidet, vel foras ambulat; prius per *ſedere*, aut quiescere, poſterius per *ſurgere* intelligi poteſt; quippe quod alibi per *exire & intrare* exponitur, Jeſ. XXXVII: 28. *ſedere tuum*, inquit per prophetam Deus Aſſyrio, *& egredi tuum, & venire*, ſeu intrare, *tuum novi:* ubi *egredi* & *ingredi*, phraſi ſatis nota, converſationem publicam coram oculis hominum ſignificat; adeoque *ſedere* domeſticam vitam. 2. qua quis vel agit quid, vel ceſſat; operi faciendo incumbit, vel quieſcit. *Surgere* enim eſt operari, quatenus quis ad operandum ſurgit; & *ſedere* eſt quieſcere, etiam dormire *a*. Ut Pſ. CXXVII. *matutinare ſurgere* & *tardare quiescere* eſt, mature capeſſere labores, & ſero deponere, adeoque a primo mane ad ultimam vesperam, ut vix *quieti* tempus ſuperſit.

§. X. *Secundum*, quod Deo adtribuit, eſt, quod *cogitationes* hominis *diſtincte* percipiat, ſive intimas animi actiones, quæ animum paſcunt, ſive ſint deliberationes, ſive velleitates, & deſideria, ſive propoſita, ſive qualescunque cogitationes, etiam ſolicitum & anxium reddentes; quæ animo intime adſunt, quibusque familiariter utitur, & diſcurrit ac latius vagatur. Vox רעי turbas aliquas concivit, dum communiter negetur, Hebræis pro *cogitationibus* in uſu eſſe: quare alii ad Chald. רעה pro רוה confugiunt, alii, ut Guſſetius, ipſe etiam Schultens ad h. l., *ſocium* interpretantur, ut & verſ. 17.; quod poſterius nollem factum, cum oratio hoc verſu plane langueat, & omni emphaſi careat, ſi ſocium *ſuum* Deo eſſe *diſtincte cognitum* ſimpliciter dicat: quam quæſo emphaſin haberet illud בנתה *diſtincte cognoscis?* nec addere tanti erat, Deum *ſocios* Davidis cognoscere, qui ipſius Davidis *quiescere* & *ſurgere* ſciebat: minus quadrat, quod *e longinquo* ſocium cognoscat: de verſ. 17. poſtea videbimus. Sed opus non eſt radi-

a Schultens ad h. l.

radicem Chald. et Syr. רעא, a רעה Hebr. ortam, ut putatur, huc advocare: cum Hebr. רעה *pascere*, & pascendo *discurrere* ac *vagari*, quem utrumque usum habet, facile ad cogitationes & actiones mentis se transferri patiatur. Vox רעים, inquit ipse Cl. Schultens *a*, a juvenilibus suis observationibus ad h. l. discedens, *ut amicos & sodales notat a pascendo, compascendo, ita substantive adfert cogitationes, agitationes mentis, a* רעה *pascendo sic dictas, quibus mens veluti pascitur, & quibus discurrit. Amplissimam obtinet*, ita pergit, *ditionem in dialectis Aramæa ac Arabica, ad curas & sollicitudines etiam se extendens.* In quibus acquiesco. *Tertium*, quod de Deo profitetur, est, eum præsentia non tantum cognoscere, sed & futura contingentia, quæ est ejus *præscientia*, adeoque actiones & cogitationes nostras Deo esse notas, longe antequam existant; quod voce מרחוק *e longinquo* exprimitur, ad utrumque membrum præcedens, *cognoscere, sedere & stare*, ac *distincte intelligere cogitationes*, referenda. Significat itaque, Deo hæc omnia esse nota longe ante, imo, ut alibi Script., Act. xv. *ab æterno:* quemadmodum *e longinquo* & *a diebus antiquis* eodem sensu conjunguntur, Jes. xxxvii: 26. sic & Jes. xxv: 1. *consilia e longinquo* sunt diu ante sumta, quæ ab eventu longe distant. Alias quidem *e longinquo* ad locum respicit; sed hic non potest; quia Deus hic repræsentatur non longe a nobis remotus in coelo, sed *omnipræsens*, ut mox sequitur.

§. XI. 2. Perfectæ Dei scientiæ, qua omnia sua norat, addit *probationem* sui, a Deo factam, non ut ipse cognosceret, sed ut experimentum caperet innocentiæ & virtutis, eamque publice manifestaret, vers. 3. in hæc verba: *iter meum & mansionem meam ventilasti, & omnes vias meas periclitatus es.* h. e. quocunque iverim, ubicunque recubuerim, qua ratione me ibi in omnibus meis viis habuerim, ac gesserim, tu, ô Deus! accuratissime explorasti, &

a Ad Prov. vi: 3.

earum rerum experimentum cepisti; id quod semper agnovi, & me huic sensui convenienter gessi; ita ut me excutiendum tibi commiserim, & mei experimentum dederim. Indicat 1. se variis in locis fuisse versatum, modo iter faciendo, modo stationem & mansionem ponendo: quo etiam referri potest verbum *ventilare*, quod de dispersione per varia loca quoque usurpatur, ut sensus sit, *ventilasti iter & mansionem* meam, modo huc modo illuc me dispergendo. 2. sæpe in ejusmodi circumstantiis fuisse, quæ *tentationis* habuerunt conspectum, qua intimæ mentis adfectiones sese manifestare debuerunt, sintne *bonæ*, an *malæ*? 3. Deum, exploratoris instar, ad omnia ea accurate adtendisse; denique 4. se illud probe agnovisse, & se explorandum dedisse, eaque ratione egisse, ut periculum sui dederit ac experimentum; seu sub oculis Dei exploratoriis fuisse ubique versatum. Duo sunt versus membra, quæ eodem tendunt, & se mutuo explicant. *Prius* verti, *iter meum & mansionem meam explorasti*, proprie ventilasti, excussisti, h. e. exactissime inspexisti & explorasti, met. sumta a frumento, quod *ventilatur* & *excutitur;* ut Lat. *ventilare*, *excutere*, etiam sumitur. Radix enim manifeste est זרה, quæ proprie dicit *stringere*, *stringendo distrahere*, inde *ventilare*, quum ventilabro grana excutiuntur, & a paleis repurgantur. Alii solent aliter instituere; sed sine fundamento. Voces vero, quas reddidi *iter* & *mansionem*, nihil habent difficilis. Tantum notetur רבע non Chald. more, ut putatur, *accubitum* denotare ab Hebr. רבץ, sed a rad. Hebr. רבע proprie, ut apud Arab., *quadrata forma consedit*, aut *cubuit*, significare *mansionem*, seu longiorem commorationem, cui hic recte locus datur, cum *itineri* opponatur. *Posterius* membrum reddidi, *omnes vias meas periclitatus es*, seu in *discrimen* probationis vocasti, secutus Cl. Coccejum, qui ad Job. XXII: 21. & in Lex. verbi Hebr. סכן vim & usum recte enucleavit; qui vid. sed adda-

addatur Schultens *a*, qui observat, verbum proprie notare *ταμιεύεσθαι*, nam כמן est *ταμίας*, unde *partim* existit *recondere in cellam promtuariam*, partim *expromere* in usum & utilitatem aliorum. Unde *periclitandi*, & in discrimen probationis veniendi usus facile oritur, quod quis ita expromat vim & virtutem suam, in suam & aliorum utilitatem.

§. XII. *b*. Propositionem porro deducit, & confirmat, 1. respectu omniscientiæ Dei, vers. 4. 2. probationis suæ, vers. 5. 1. *Prius* his verbis, vers. 4. *Quia non est verbum in lingua mea; ecce nosti, Jehova! totum illud.* h. e. Quod dixi, te scire ipsas meas cogitationes, etiam e longinquo; illud repeto, & inde confirmo, quod, antequam mea cogitata eloquar, tu, Jehova! omnia ea cognoscas; non ergo ex me audire necesse habeas, sed ipsa illa inspicias. Qua ratione vocula כי *quia* usitatum significatum retinere potest, vel etiam pro fortiore adseveratione sumi, ut sit, *sane*, *profecto*, uti sæpe alias. Quod huc etiam recte quadrat. Sensus vero non simpliciter est, Deum, statim ac verbum in lingua est, & profertur, cognoscere, sed & ante scire; adeo ut verbum nondum sit in lingua, quum Deus totum illud cognitum habeat, quid, qualeve sit verbum illud, in omnibus suis circumstantiis, in toto complexu. Significat itaque, Deum omnia sua *dicta* habere perspecta, etiam antequam proferantur, adeoque scire, num aliquid iniqui, & perversi animi indicium, ex ore emiserit, quare condemnandus foret: quam ob causam se a Deo justificandum esse indicat. Sic Ps. XVII: 3. *cum exploraveris animum meum, inviseris me nocte, conflaveris me* instar metalli, *nihil invenies: capistravi, ne transgrediatur os meum.* 2. *Posterius*, cujus modo memini, ita sonat, vers. 5. *Retro et ante coarctasti me, et posuisti super me manum tuam.* h. e. manu q. mihi imposita undiquaque quam arctissime me obsedisti, ita ut nihil tantum meorum te latuerit, sed & me per varias

a Ad Job. XXIII: 2.

rias anguſtias probaveris & exercueris. Reſpicit haud obſcure ad varios modos, quibus a Deo exploratus ſit, ut verſ. 3. habuimus, quos inter præcipue memorat *anguſtias*, quibus fuit undiquaque preſſus, manu Dei graviter ipſi incumbente, ut Pſ. XXXII: 4. alio in caſu fatetur, & quaſi impetum in ipſum faciente. Quo verba & phraſes omnino ducunt. Alterum enim צור, proprie *ſtringere*, *arctare*, denotat ſtringentem arctationem ad ſummum usque diſcrimen *a*. *Alterum*, ſeu poſterius, שית proprie eſt, *poni*, *diſponi*, certo ordine, unde ad *rete* transfertur, quod apte diſponitur, & impreſſionem hoſtilem, ſtudio factam & undiquaque ambientem; Vid. Pſ. III: 7. LXXIII: 18. LXXXIII: 12. & Jeſ. XXII: 7. & alibi.

§. XIII. β. Hanc Dei perfectam ſcientiam a ſe ſemper fuiſſe agnitam, & vitam ſuam ad eam conformatam, etiam cum admiratione celebratam, in manifeſtum ſuæ innocentiæ & pietatis ſignum, his verbis ſubjungit, verſ. 6. *Reſecta eſt ſcientia a me, altior eſt, quam ut eam capere poſſem.* h. e. admirabundus eam Dei ſcientiam contemplatus ſum, & firmiter credidi, licet captum meum longe ſuperantem. Non enim ſimpliciter ſcientiæ mirabilitatem extollit, multo minus cum aliqua incredulitate, ſed tanquam materiam & rationem Dei celebrandi, adeoque de qua perſuaſus fuit, & eſt, hic memorat, uti verſ. 14. expreſſe declarat, & eo ſcopo, ut, ſe Deum, tanquam talem, ſemper in oculis habuiſſe, & coram ipſo ambulaſſe, ad innocentiam ſuam demonſtrandam, ſignificaret. Res ipſa, quæ habet, ſcientiam illam Dei, & præſcientiam ejus, ſupra deſcriptam, cogitationibus & perceptionibus noſtris eſſe longe ſuperiorem, cum ſatis vulgata & nota ſit, de verbis aliquid tantum monebo ad verſionem noſtram illuſtrandam. Radix פלא proprie eſt, *ſcindere*, *findere*, & quidem altius adacto cuneo, inde aliquid magno molimine producere, & extundere, & ita *mirabile* aut *portentoſum* in bonum aut malum agere.

a Schroeder ad Pſ. X: 1.

agere. Propria poteſtas in phraſi noſtra adtenditur, ubi habetur פלאיה ממני *reſecta eſt a me;* ſeu captu meo, & longe *mirabilis* ac ſtupenda. *Alterum* membrum, cjusdem ſenſus, habet, *ſublimis eſt, non capiam ipſam.* h. e. longius ſuper me evecta eſt, quam ut meo captu eam adtingere, aut adſequi poſſim. Radix enim יכל & כול proprie denotat *capacitatem* tenentem, continentem, recipientem aliquid; unde ortus eſt uſus *valendi, prævalendi; poſſe* enim & *valere* nihil eſt aliud, quam *capacem eſſe.* Proprietatem hic recte adtendi, facile adparet. Nec ſine emphaſi adhibet formam *futuri* in verbo אוכל *continebo;* cum ſignificet, ſe nec ante, nec nunc, non tantum, ſed nec in fut. unquam eam comprehenſurum eſſe.

§. XIV. ב. *Secunda* ratio juſtificationis ſuæ a Deo, inſtituto examine judiciali faciendæ, petita eſt a Dei *omnipræſentia*, qua non tantum in medio populi ſui, in terra Cananæa, ſeſe intellectu & voluntate, ſeu cura ſua efficace & favorabili, præſentem ſiſtit piis, ſed ubique terrarum per totum univerſum, firmiter a ſe credita, ſibique ad conſolationem ſuam & fiduciam adplicita, quum ad terras peregrinas propoſitum habebat aufugere; eo ſcopo in medium adducta, ut demonſtraret, tantum abeſſe, ut illud in præjudicium pietatis ſuæ rapi poſſit, quod ab hoſtibus fiebat, ut fidem & pietatem ſuam, qua Deum credidit ubique præſentem, & ſui curantem ubivis locorum, & ipſi fiderit, ac pie eum coluerit, in eo etiam patefecerit, adeoque a Deo, teſte & judice omniſcio & æquo, juſtificandus ſit. Hunc exiſtimaverim eſſe ſenſum & ſcopum pericopæ, verſ. 7—12. minus recte intelligi ſolitum. Non enim ſimpliciter ſignificat, Deum ubique eſſe præſentem per hoc univerſum, ita ut nemo ipſum latere, aut ſeſe ejus manui eripere poſſit, ſed in ſpecie. 1. Deum favorabili ſua cura ubique terrarum, & non in Cananæa ſolum, ſibi adeſſe. Quo nos omnino ducit, quod verſ. 7. dicat ſe nusquam ire aut fugere poſſe, quin *ſpiritus* & *facies* Dei

ipſum comitetur, ſeu Deus per ſpiritum ducentem, paventem & conſolantem, ac angelum faciei tutantem & omni malo eripientem, ſibi adſit; nec non quod verſ. 10. adfirmet, manum & dextram Dei ſe ubique *ducere*. De quo poſtea. Accedit, Dei ſcientiam præcedente pericopa ſatis fuiſſe adſertam, adeoque noſtram pericopam, ſi nihil aliud ſibi velit, minus fuiſſe neceſſariam. 2. Se itaque ad exteras oras non aufugere, ut aut manum Dei vindicem effugeret, aut cultui veri Dei Iſraelis renunciaret; quod ipſi imputare poſſe, vel velle, viſi fuerant hoſtes, ut eſt 1 Sam. XXVI: 19. *ſin homines te*, inquit Saulo, *incitent, maledicti ſint coram Deo, quia expulerunt me hodie, ne maneam in poſſeſſione Jehovæ, dum mihi dicunt, ito cultum Deos alienos;* ſed ſalva fide in verum Deum, ſalva pietate, & cum fiducia in Deum repoſita, quia Deum credit ubique adeſſe ſua cura præſentem, et confidit, ſuo ſpiritu & ſua facie ſe eſſe tutaturum, ducturum, & conſolaturum: adeoque ſe rationem habere hoc ipſo exſpectandi juſtificationem ſui a Deo, qui ſuis ubique, & non tantum in Cananæa, adeſt ſua cura & gratia. Ex quibus ſimul pateſcit, nos tempus Pſ. recte fixiſſe, quo paratus erat in peregrinas terras proficiſci, & quare verbis fut. temp. utatur, *quo ibo*, aut *irem*, &c. quia nondum ſe eo contulerat, ſed mox conferret.

§. XV. Hac jacta hypotheſi, pericopam explicare adgrediamur. Continet α. propoſitionem, verſ. 7. β. ejus deductionem & amplificationem, verſ. 8–12. α. *Propoſitio* his fit verbis, verſ. 7. *Quo irem a Spiritu tuo? et quo a facie tua aufugerem?* h. e. tantum abeſt, ut ea me ceperit inſania, qua crederem, me tuum conſpectum & manum vindicem effugere poſſe, eoque ſcopo me ad exteras oras conferrem, ut intime perſuaſus ſim, & certiſſime confidam, Te cum *ſpiritu et facie tua* me ubique locorum comitaturum eſſe, adeo ut æque in oris exteris, ac in Cananæa, licet terra præſentiæ tuæ, *ſpiritus* tuus ſua inſtru-

ctione

ctione & consolatione, & *vultus* tuus sua protectione & liberatione, mihi ubique sit adfuturus. Cujus cum sim animi, quod tibi probe notum est, tantum abest, ut innocentiæ meæ inde præjudicium crearetur, ut hinc etiam rationem petere ausim, propter quam a te absolvendus & justificandus sim. Huc enim collineare pericopam dixi. Indicat itaque his verbis, *a.* sibi nihil magis optabile, magis curæ cordique esse, quam ut *spiritu* & *facie* Dei fruatur, tantum abesse, ut se iis eripere velit. *Quo irem a spiritu tuo etc.* itaque est, quo me conferrem, ut opem & solatium consequerer, spiritu & facie tua privatus? quo aufugerem ad mala vitanda, si tuus Spiritus & vultus me non comitaretur? Non enim simpliciter dicit, *a te*, omniscio & omnipræsente, sed a *spiritu* & *facie tua*; ut indicaret, se longe aliud quid, quam nudam scientiam ac præsentiam Dei, in animo habere; quod nomine *Spiritus Dei*, & *faciei ejus*, solet in Script. exprimi, & in schola sanctorum erat notum. *Spiritus* enim denotat in Deo personam illuminantem, sanctificantem & consolantem, *facies* Dei, vel favorem Dei tutantem & vindicantem ab omni malo, ac omne bonum adferentem, vel personam in Deo, id facientem, titulo *Angeli Jehovæ*, vel *faciei* ejus, insigniri solitam. Quod tanquam notum hic adsumere liceat. Expressa *Spiritus* & *faciei* Dei mentio, & styli Script. collatio, nos dubitare non sinit, quin hoc, quod dixi, in animo habuerit David; qui de *Spiritu* Dei, tanquam omnis ornatus & perfectionis in rerum natura Ps. XXXIII. omnis scientiæ, virtutis & consolationis, hominum, causa Ps. LI. 14. & alibi, loqui solet.

§. XVI. *b.* Innuit præterea, se in terras peregrinas aufugientem, ut proposuerat facere, & mox executus est, videri posse, & accusatum iri ab hostibus, acsi Deo Israelis, ejusque communioni & cultui, renunciaret. Cum dicit, *quo ibo*, *quo fugiam*, se longe abiturum esse indicat; sed, cum addit, quo *a spiritu tuo* & *facie tua*; haud obscure

ſcure inſinuat, illud in ſiniſtram hanc partem rapi, & traduci poſſe, acſi ipſe Deo nuncium miſiſſet, & ejus favore & ductu in poſterum foret orbus. Quod etiam ſpecie non carebat, cum Dei favorabilis præſentia una cum cultu ejus cenſeretur terræ Cananææ adligata. Quo diſerte reſpicitur I Sam. XXVI: 19. loco modo citato, nec non quod Jonas *a facie Dei* dicatur aufugiturus in oras peregrinas, Jon. I. ne plura congeram in re nota. *c.* Denique declarat, ſibi longe aliam ſedere mentem, & perſuaſiſſimum eſſe, Deum *ſpiritu* & *facie* ſua ſibi adfuturum, quocunque iverit, & aufugerit, adeoque nec a fide & pietate ea ratione deſciscere, nec metuere privationem Dei curæ ac ductus per *ſpiritum* & *faciem* ſuam. Conf. Pſ. XXIII: 4. *Etiamſi iverim in vallem umbræ mortis, non timebo malum, quia tu mecum; ſceptrum tuum & ſciplo me conſolabuntur.* Qualia ubique proſtant.

§. XVII. *β*. In deductione propoſitionis per omnia univerſi loca, & varios ſtatus, it, & Deum ea ratione ſibi ubique fore præſentem profitetur; quo fidei & ſpei ſuæ luculentam ſimul edit confeſſionem, omni animadverſione dignam; non itaque oratorio ſtylo & hyperbolico, ut accipi ſolet, loquitur, ſed fidem & ſpem ſimpliciter, at emphatice, exprimit: ut docebit tractatio. *a.* Incipit a *coelo* & *inferis*, altero beatitatis conſummatæ loco, *altero* animarum a corporibus ſeparatarum, ut vulgo credebatur, receptaculo usque ad conſummationem omnium, & fidem ac ſpem ſuam in hæc verba declarat, verſ. 8. *Si coelum me connectendo adtigero, ibi tu* es, *ſique ſtravero inferos, ecce te!* h. e. Quod ſi aut coelo mihi contigerit adſeri, aut apud inferos recumbere debeam, quod utrumque mihi eveniet, certo perſuaſus ſum, utrobique Te cum *ſpiritu* & *facie tua* mihi adfuturum, quo ſolo etiam ibi delectari, & beatum me cenſere, poſſum. Plane ſicut Pſ. LXXIII: 25. *Quis mihi in coelis? et tecum nihil volupe habeo in terra: Abſumta ſit caro mea; et*, vel *at*, *cor meum* quod adtinet,

net, *petra cordis mei et portio mea Deus est*, vel *es*; *in æternum*. Oratio non est hyperbolica, sed fidei & spei vera ac nuda declaratio, tantum emphatica & adfectuosa, qua sibi faciendum tribuit, quod sibi tantum contingeret, & eventurum credebat, ita ut cum *coelo se connectere*, & *inferos*, seu in *inferis*, *sternere lectum*, sit in coelum recipi, & in inferis recumbere, instar dormientis in lecto. Quæ forma loquendi nihil habet obscuri, aut insoliti. *Prius* membrum est, *si me cum coelo connexuero, ibi tu es*. h. e. in coelum ubi fuero adsumtus, tua ibi præsentia cum spiritu & facie tua fruar ad meam beatitatem; præter quam ne coelum quidem *desiderem*, ut modo ex Ps. LXXIII. vidimus. Ita etiam fidem & spem suam David explicat, Ps. XVII: 15. *Ego in justitia videbo faciem tuam, satiabor, cum evigilavero, imagine tua*, nec non Asaph, Ps. LXXIII: 24. *consilio tuo duces me, et post gloriam adsumes me*. Verbum vero Hebr. סלק non est proprie *adscendere*, sed, ut ex Arab. patet, *conserere*, *connectere*, atque una serie adpingere; hinc propius *admovere*, sese cum dissitis conserendo, ac connectendo per gradus insertos, ex. gr., & intervenientes; & ita denique, si loco sublimiori adplicetur, *ascendere*, sed per *gradus*. Ex quo simul elucescit, quam apte & emphatice dicat, si me *adnexuero coelo*, eo per gradus adscendero; indicat enim se per gradus, per mortem & inferos, eo venturum esse; quare, quod *alterum* membrum est, mox subjungit; *et sternam inferos*, pro & *si* vocula אם ex præced. repetita, *sternam* lectum meum in *inferis*; eadem loquendi forma, quam modo habuimus, qua *sternere* dicitur, quatenus ibi *sterneretur*, seu tanquam in lecto recumberet, secure & quiete. Radix proprietatem habet in *sidendo*, inde *stravit* humi pro sidere fecit; & *stravit lectum*; unde יצוע *stratum lectum* signat. Vox vero שאול ᾅδης *inferi* de loco & statu animarum, a corporibus separatarum, adhiberi solet, uti Ps. XVI. *animam meam non derelinques*, inquit Messias, in *inferno* &c. De quo

alias egimus prolixius: alibi David Pſ. xxiii: 4. dicit, *ſe non metuere malum, ſi in regionem* mortis iret, quia *Deus cum ipſo*. Sicut itaque modo fidem de coeleſti inhabitatione, ita nunc de tranquilla animæ manſione, donec in coelum adſumatur, exponit; quo in utroque loco & ſtatu Deo gaviſurus erat præſente cum favore & gratia ſua.

§. XVIII. *b*. Hanc fidei & ſpei confeſſionem præmiſit, ut eo magis pietatem ſuam adfirmaret, & ſe jure merito de Dei favorabili præſentia per totam terram eſſe perſuaſiſſimum, ſignificaret. Quod mox ſubjungit, verſ. 9, 10. *Adtollam alas auroræ, habitabo in extremitate maris*, (pro *ſi* extulero, *ſi* habitavero; vocula אם *ſi* ex præced. repetita; ut facile cernitur), *etiam ibi manus tua deducet me, et adprehendet me dextra tua*. h. e. Ubicunque terrarum fuero, ſive etiam in ultima orientis aut occidentis plaga, quam longiſſime a terra promiſſionis remotus, certiſſimus ſum, & confido pleniſſime, o Deus! me tui Spiritus & faciei ſuſtentatione & fida deductione, inſtar paſtoris, gaviſurum eſſe. Ponit caſum, non acſi contingeret, ſed ſi vel accideret, in ſummo gradu, ut eo fortius fidem & pietatem in terra peregrina, quam peteret, exprimeret, *his verbis*: *ſi extulero alas auroræ, habitavero in extremo maris*. h. e. ſi ibi fuero, ubi alæ auroræ efferuntur, ſi ſedes, vel tentoria, fixero ad extremam maris oram: quæ poetica eſt extremarum terræ partium ad ortum & occaſum deſcriptio, ex. gr. facta, ut de omnibus plagis, & quibusvis locis, remotiſſimis etiam, cogitaremus. *Poſterius* membrum de ultima plaga occidentali recte paſſim intellexerunt Interpretes cum *mare* magnum, ſic abſolute *mare* dici ſolitum, ſit ad *occaſum* Cananææ, & *extremum* ejus pro fine terræ ad occaſum accipi ſoleat: quare ים *mare occidentem*, etiam *auſtrum*, denotat. Quæ, tanquam ſatis nota, moram non injicient. Sed *prius* membrum minus recte ſolet expediri, cum exponitur, ſi mihi *ſumerem alas auroræ*, vel tam celeriter ab ortu ad occaſum moverer, quam ſol totum *hæ-*

misphæ-

misphærium percurrit, & sedes in extremo maris sita figerem. Quæ expositio ferri nequit. 1. quia *celeritas* motus huc nihil facit, nec ratio dari potest, quare hic memoretur; dissita tantum loca in censum veniunt & remota. 2. membra versus non sunt connexa, sed divisa; acsi haberetur, *si elevavero alas auroræ, si habitavero.* Sumere alas auroræ & habitare in extremo maris unam & connexam sententiam fundere nequeunt. 3. Phrasis, *adtollere alas auroræ* pro sibi sumere, & volare celerrime ab ortu, est insolita & dura. Ex mea sententia phrasis exprimit habitationem, vel commorationem in loco, ubi *adtolluntur alæ auroræ*, vel incipit dies. *Alæ auroræ* adscribuntur, ut *soli* & *nocti*, stylo poetico, satis noto, quatenus radios suos citissime & quaquaversum spargit, & omnia involvit: sic *alarum solis* Mal. III. & *venti* Ps. XVIII: 11. CIV: 3. & alibi fit mentio. Vocem שחר significare *auroram* constat, sive quod *tenebricosum* sit crepusculum, quo oritur, sive *candeat* intensius, robore cum igneo; collata radice צחר, quacum jam comparavit Cl. Vriemoet *a*: radix enim שחר *obscuritatem* & nigredinem, צחר vero *candorem* intensiorem, seu rubicundum denotat *b*. *Attollere*, seu *efferre*, quod proprie est נשא, *alas auroræ* est efficere, ut aurora oriatur, & alas suas spargat ad currendum, seu volandum. Verum cum David hic sibi tribuat *efferre alas auroræ*, nihil aliud indicare videtur, quam præsentiam suam, ubi alæ illæ elevantur; adeo ut *si extulero* idem sit, ac, *si mihi eleventur* alæ; si ibi sim, ubi efferuntur, & pandere se incipiunt: quemadmodum *locus* & *tempus* aliquid facere dicitur, quod in eo fit; sic homo, quod ipso præsente fit: qua ratione Indus, stylo populari, dici posset *solem* oriri facere, et Hispanus *occidere*; quatenus in eorum terris censebatur oriri et occidere. Simili fere ratione modo dixerat, *si me connexuero coelo, et stravero in inferis*, uti mo-

a Ad dicta Classica. *b* Schult. ad Ispah. p. 4. & Bochartus H. p. 1. l. II. c 12.

do expoſui. In quo ſi quis acquiescere nequeat, cum ſit locutio paulo inſolentior, poſſet vertere, *extulero* & *intulero me* ad *oras auroræ*, hoc ſenſu: ſi me ad extremas orientis oras, ubi aurora oritur, contulero, vel ad eas ſublatus & delatus fuero. Verbum נשא aliq. reciproce, vel paſſive ſumitur, pro efferre ſe, vel efferri, ut in Lex. videre eſt, & auferre, ac inferre involvit. Sic Deut. XXVIII: 49. *feret Jehova ſuper te gentem.* Ex. X: 13. *ventus orientalis ſuſtulit & adtulit locuſtas:* qualia plura ſunt exempla. Vox vero כנף etiam *oram* denotat, ut *alæ terræ* pro ejus oris & extremitatibus, nec non *alæ* veſtis, ac ſimilia, ubique obvia; & facilis eſt præf. ל ellipſis, adeo ut *efferre & adferre ſe oras auroræ*, ſit *ad* eas. Addam adhuc LXX viralem verſionem, ἐὰν ἀναλάβω τὰς πτέρυγάς μου κατ᾽ ὄρθρον, ſic enim legi debet, ut Alex. cod. habet, & non ὄρθον, *ſi adſumſero alas meas diluculo*, ut Vulg. vertit, vel *verſus*, ad diluculum; hoc ſenſu: ſi ſumtis q. alis volavero ortum verſus, ubi aurora oritur. Pro כַּנְפֵי legerunt punctis mutatis, כַּנְפִי, & שחר acceperunt pro לשחר. Quod non adeo ſpernendum eſt, nec tamen placet, quia *alas* potius dixiſſet, quam *meas* alas, niſi pro כנפים acceperis, aut י paragogicum, & reddideris, *alas mihi*; ſed ne ſic quidem ferenda videtur phraſis.

§. XIX. Hoc caſu poſito, cujus ſimile Davidi contigit, nunc ad ortum, nunc ad occaſum & auſtrum, in peregrinis oris, verſanti, declarat fidem & ſpem ſuam in Deum, paſtorem & ductorem ac defenſorem ſuum ubique terrarum, verſ. 10. *etiam ibi manus tua deducet me, & adprehendet me dextra tua*, h. e. ibi quoque, ubicunque fuero, quam longe etiam a Cananæa remotus, perſuaſiſſimus ſum, o Deus! *dextram* tuam, ſeu potentiſſimam tuam curam benevolam, me adprehenſum, tanquam tuum peculium, eſſe ducturam, & tutaturam, inſtar paſtoris oves ſuas. Hac ratione membra verſus diviſa ſunt ordinanda, acſi haberetur: *ibi manus tua dextra me adprehenderet & duceret.*

h. e.

h. e. adprehensum duceret. Verba sunt emphatica, quae eum, quem expressi, sensum involvunt. Radix אחז proprie *stringendo pressit*, ejusmodi adprehensionem dicit, quae manu injecta fit, qua quis aliquem, sive aliquid, tanquam peculium, & possessionem, sibi vindicat, unde אחזה *possessio*. Alterum verbum נחה est pastoritium, praesertim in numerosis gregibus, dicitque longo & recto tractu egit pecus; quod *minare* dicitur *a*. Conf. etiam infra, vers. 24. Ex quo manifestum est, non de cognitione Dei tantum, sed & actuosa cura, nec in malum, sed bonum sumi: quo *manus*, eaque *dextra*, quoque tendit, ut facile cernitur. Conferri omnino debet Ps. XXIII. *Jehova pastor meus est, nihil deficiam, in pascuis herbidis me recubare faciet --- deducet me per semitas aequales propter nomen suum, etiam quum in valle umbrae mortiferae ivero, nihil mali metuam, quia tu mecum; pedum tuum et scipio tuus illa me consolabuntur* &c.

§. XX. *c. Tertia* pars deductionis addit, Deum, sicut in locis dissitis, ita & in *tenebris noctis*, & non tantum de die, adfuturum suo spiritu & vultu praesentem, ita ut tenebrae a Deo non occultent, nec exitium adferant, sed in lucem vertant, vers. 11, 12. *Et*, vel *quum*, *dixero*, *utique caligo me involvet exitio*, *et*, vel *etiam*, *nox lux circa me erit: etiam tenebrae non obtenebrabunt prae te, et nox sicut dies lucebit, sicut caligo sicut lux*. h. e. Nec magis, quam loca dissita, tenebrae, alias periculosae, & formidolosae, mihi nocebunt, quia lucem & salutem adferent, quia nulla, quam densa, caligo, nulla nox, quam obscura, tuam notitiam aut curam mihi auferet, quum caligo & lux tui respectu unum idemque sit, *lux* idem ac *caligo* hac parte. Ponit rursus casum, sicut modo a locis dissitis, ita nunc a tenebris desumtum, quae exitium adferre, vel metum incutere, soleant; his verbis: *et dicam, caligo me involvet exitio* h. e. & *si dixero*, scilicet apud animum meum

a Schultens ad Job. XXXVIII: 32.

ſi mihi obreperet ea cogitatio, tenebras mihi exitium ſubitum adlaturas eſſe. Non adfirmat, talem cogitationem in ſe orituram, vel locum habituram eſſe; ſed ponit tantum caſum, ſi tale quid animo ſibi occurreret: particula אם *ſi* ex præcedente repetita, quod facilius eſt, quum ex concurrentia earundem litterarum in ואמר cenſeri poſſit deficere: uti ſæpe contingit. Sic ואמר erit pro ואם אמר, quem uſum ſubinde etiam ipſum præf. ו *et* habet. Quod eſt vulgatum. Indicatur tamen, poſſibilem eum caſum eſſe, & ſæpe alias contingere, ut tenebræ metum incutiant, quatenus periculo & inſidiis magis exponunt, præterea hominem aliorum auxilio privant, adeoque Dei notitiam & præſidium etiam tollere videri poſſent, ſicut homines minus bene inſtructi, & male ſani, quoque cenſuerunt. Sed *caligo* quoque figurate ſumi poteſt pro ſummo diſcrimine, & inextricabili malo; ut frequenter alias: quod utique hic ſimul intenditur, ut ex verbo שוף, recte intellecto, manifeſtum eſt; quod verti, *involvet me exitio:* de quo mox. Utrumque, & proprio & figurato ſenſu, huc apte quadrat: ſicut modo contra diſſita loca ſe munierat, ita nunc etiam contra tenebras, & mala in illis locis ſibi obventura qualiacunque. Radix vero שוף proprie non eſt *conterere*, vel ſimile quid, ut putatur, ſed *ſuper imminere rei*, in primis hoſtiliter, & inſidias ſtruere; & denotat malum lethale, quo quid ſubito involvitur & perimitur, tanquam a venatore ex inſidiis captante *a*. *Nox* vero ea ratione ſuper imminere & invadere lethaliter dicitur, quatenus in ea & ejus occaſione illud fit: ſic *dies* quid facere, quod in ea fit, de quo ſupra monui: ſed ſi figurate accipiatur pro malo, ſenſus in facili erit.

§. XXI. Hoc caſu poſito, in quo dici poſſet, eum eſſe exitio involvendum, adeoque & ipſe videri poſſet dicturus præ metu, *utique caligo me exitio involvet*, fidem & ſpem ſuam profitetur, qua perſuaſum ſe eſſe dicit, caliginem fore

a Schultens ad Job. ix: 17.

fore lucem circa se, quatenus Dei notitiam & curam non poterit auferre. Hac ratione enim verba, quæ alias vix a tautologia inelegante liberari poterant, cohærent, ut 1. nullum damnum inde sibi creandum, potius liberationem orituram, esse declaret. 2. ejus rationem reddat. 1. *Prius* his verbis continetur, *et nox lux circum me*, scilicet erit: h. e. caligo, quæ mihi immineat, & exitium adlatura videatur, tantum abest, ut id effectura sit, ut lucem sit paritura, adeoque caligo omnem vim perditura, & in lucem reputanda. Quam emphasin habet præf. ו *et*, pro *etiam nox lux erit*. h. e. caligo mihi non nocebit, etiam *illustrabit:* non nocituram esse non expresse dicitur, sed per id, quod majus est, intelligendum præbetur: acsi plene habeatur: nox caliginosa non erit *nox* mihi, *lux* potius erit *circa me;* quod idem est ac, nullo me adficiet damno, sed multum proderit, quum splendore me circumfundet, & salutem ac prosperitatem mihi procurabit; ita ut *tenebrae* mihi lux sint futuræ, qua circumfulgendus sim. Quæ *lucis* figurata significatio satis nota est.

§. XXII. 2. *Posterius*, quod prioris continet illustrationem & confirmationem, ita habet, vers. 12. *etiam tenebrae non obtenebrabunt prae te, et nox sicut dies illuminabit, sicut tenebræ, sicut lux.* h. e. Verum esse, quod dixi, & me jure illud exspectare posse, vel inde elucescere potest, quod tenebræ, etiam cumulatissimæ, & continuo ingravescentes, *tenebras*, aut horrorem, non tantum mihi adferre nequeant, præ lucida & efficace tua præsentia, sed & contra in luce collocent; adeo ut tuæ præsentiæ, & curæ respectu prorsus perinde sint *caligo et lux.* Verba rationem reddunt superioris dicti, illudque confirmant & amplificant. *Tria* vero sunt versus membra, quorum *duo* priora, alterum *negative* alterum *positive*, per modum rationem reddendi superioris effati, declarant, tenebras, easque magnas, non tantum nihil nocere, sed & contrarium habere effectum, & illustrare, vi præsentiæ Dei benevo-

læ

læ & efficacis. Memorat 1. *tenebras* & *noctem*, quæ voces tanquam ejusdem sensus alternantur, variationis ergo, non qualescunque, sed magnas, & summo gradu obscuras; quam emphasin adfert vox, vel vocula, גם, quæ in origine *adglomerationem*, adcumulationem, & abundantiam aquæ continuo adfluentis, denotat, de quo ad Ps. CXXXVII. & alibi dixi, adeoque cum חשך *tenebris* constructa de summis, & adcumulatis tenebris, quæ crassissimæ sunt, & quasi *palpabiles*; ut in libro Ex. adpellantur, recte sumitur, & emphasin orationis reddit majorem. Has tantas tenebras 2. negat *obtenebrare*, seu *horrorem* incutere ullum. Quod utrumque verbo יחשיך est comprehensum; habet enim radix in origine *horridam asperitatem*, *aculeis erectis pungentem*, adeoque *tenebras* denotat, quæ crassissimæ sunt, & ipsæ horreant, seu hispidum quid & asperum præferant, & horrescere faciant *a*. Sic Ps. CV: 28. *misit horrentes tenebras*, *et fecit horripilari*; quod respicit ad effectum in homines, qui gravissimo terrore inde horripilabant. Eadem ratione & hic, adcumulatæ tenebræ horrentes non horrebunt, nec horrescere facient, nihil tale erunt, aut efficient, quale solent crassæ tenebræ noctis. Nec hoc tantum, sed 3. addit, eas instar diei & lucis *illustraturas esse*, quum subjungit, *et nox sicut dies lucescet*, *et illuminabit*, longe secus, ac Deus Am. V: 8. *auroram* dicitur *vertere in umbram mortis*, *et diem ut noctem* facere *horrescere*: quod modo dixerat, *noctem* esse *lucem circa se*. De quo ibi dixi. 4. Cujus mirabilis effecti causam indicat voce ממך *præ te*, cum seq. æque ac præced. construenda; acsi bis legeretur, hac ratione: *etiam*, seu *abundantia tenebrarum non horrescet aut horrescere faciet prae te*; *prae te et nox sicut dies lucebit*, *ac illuminabit*. Causa indicatur istius effectus in Dei actuosa præsentia quærenda, adeoque ממך non est simpliciter *a te*, acsi tantum indicaretur, Dei respectu non esse tenebras, quo a Deo absconderent, ejusque

a Schultens ad Job. III: 4.

ejusque notitiam tollerent, ſed *prae te*, ſeu *propter te;* vi & cauſa præſentiæ tuæ omnipotentis & favorabilis, cui unice acceptum ferendum eſt, quod tenebræ ſolitum non habeant, quin contrarium proferant effectum. *Prae te* eſt, *quia tu ibi* es; tuæ præſentiæ cauſa; ut verſ. 8. vel dextra *tua me adprehendes & duces;* ut verſ. 9. habuimus, & explicuimus. Quæ voculæ מ ex מן ſatis nota eſt ſignificatio. *Tertium* membrum, per modum concluſionis, habet, *tenebras* & *lucem* eſſe reſpectu Dei, ejusque curæ, unum & idem; nihil intereſſe, ſive ſit *caligo*, ſive *lux*, proprie, vel figurate pro malo & bono, ſumta, quippe cui utrumque adſcribendum eſt, Jeſ. XLV: 7. ubi *formare dicitur lucem & creare tenebras*, *facere pacem & creare malum*, quique de *tenebris facit* lucem, & de luce tenebras; malum in bonum, & bonum in malum vertens. Eſt itaque generalis concluſio, qua declaratur, cuncta dependere & dirigi a Deo, adeoque nihil timendum, quin fidendum eſſe, *in mediis etiam tenebris*, ut eſt Jeſ. L: 10. Pſ. XXIII: 4. & alibi.

§. XXIII. ג. *Tertia* ratio juſtificationis ſuæ, a Deo, inſtituto examine judiciali, certo faciendæ, inde petita eſt, quod Deum, tanquam qui ſe in utero formaverit, & in ſervum jam tum deſtinaverit, & concinnaverit, eoque nomine jus in omnes ſuas intimas adfectiones habeat, ſemper agnoverit, ſincero complexus fuerit amore, & cum gratiarum actione celebraverit; ex quo cum cura Dei erga ſe & favor, tum pietas ſua & innocentia ab omni facinore pravo clariſſime elucescebat. Hic ſenſus & ſcopus eſt pericopæ, verſ. 13, 14. In qua rurſus occurrit, *α*. propoſitio, verſ. 13. *β*. ejus deductio & illuſtratio, verſ. 14.

α. Propoſitio ita ſonat, verſ. 13. *Quia tu poſſides renes meos, contexuiſti me in utero matris meae*: h. e. Juſtificationem tuam mihi certo promitto, quia ſicut jus in meas intimas adfectiones, omnesque vires meas, acquiſiviſti, ita etiam actu tibi eas vindicaſti, et tenes occupatas, quum

corpus artificiosissime mihi contextum parasti, et formasti in servitium tuum, in utero matris. Vocula כִּי *quia* vulgatum suum usum retinere potest, si ad argumentum et scopum cantici referatur, et, rationem hic novam justificationis suæ a Deo ab ipso reddi, statuatur; ut in paraphrasi expressi. Robur addit, quod expresse dicatur *tu*, ut vers. 2. quo respici potest. Cohærent autem *duo* versus membra hac ratione, ut *prius* sit *posterioris* consequens, simul adjunctum: *posterius* enim habet, Deum corpus ipsius artificiose contexuisse in utero matris, et *prius*, Deum eo ipso jus et proprietatem acquisivisse in adfectiones ejus intimas tanquam dominum, cui omnia sua debeat, simul Deum ea ratione se formasse, ut intimas suas adfectiones Deo ab ipsa pueritia consecraverit, & possidendas, ac regendas, dederit. *Posterius* membrum, ordine *prius*, tanquam antecedens, ad sapientissimam corporis structuram, a Deo in utero formatam, respicit, & ita sonat: *contexuisti me in utero matris.* h. e. corpus meum artificiose, omnibus partibus secum connexis, concinnasti, & in usum mentis aptasti; vel, ut verbis Job. x: 11. ubi de eadem re agitur, exprimam, *cute & carne vestiisti me, & ossibus ac nervis contexuisti me*: ubi idem verbum סכך, proprie *texere*, *praetexere*, pro *praetegere*, usurpatur. Ubi vid. Cl. Schultens. Respicitur itaque ad artificiosissimum contextum corporis, omnibus partibus coadunatis, & ad mutuum usum concinne dispositis; quod mox adpellatur *acupictum in terrae inferioribus*, vers. 15. *Prius* vero membrum, ordine *posterius*, cum *consequens*, tum *adjunctum* hujus contexturæ corporis, a Deo factæ, ob oculos ponit, his verbis, *tu acquisivisti renes meos.* h. e. me ea ratione formando in utero matris, jus acquisivisti in omnes meas intimas adfectiones, quæ tibi eo ipso debentur, quod sis meus formator; nec hoc tantum, sed ipso facto etiam eas tibi vindicasti, me ita formando, ut eas tibi a pueritia consecraverim, meque tibi servum præstiterim obsequiosum.

ſum. Phraſis, *acquirere*, & acquirendo *poſſidere*, *renes*, non ſimplicem notitiam intimarum cogitationum, ſed adfectionum vindicationem, & poſſeſſionem denotat, ut ex uſu *renum* figurato facile conſtat. *Renes* enim expingunt intimas animi adfectiones, & alte infixa ac occulta deſideria; cum ſint & maxime *occulti* renes, adipe involuti & obtecti, unde nomen כליות a כלה, vel כלא *complicare*, *involvere*, & concupiſcentiæ ac libidinis ſedes. Quæ *renum* ſignificatio vulgatiſſima eſt. Conf. Pſ. XVI: 7. LI: 8. Job. XIX: 27. Jer. XI: 20. & alibi. *Acquirere*, & *acquirendo poſſidere*, renes, quod verbum קנה denotat, cum *jus* acquiſitum in haſce adfectiones hominis, *tum* actualem poſſeſſionem earum, comprehendit: ita ut ſenſus ſit, Deum ſibi jure eas vindicare poſſe, & actu etiam tenere; adeoque Deo deberi, tanquam ſummo Domino & Bono, noſtras adfectiones, & eas quoque Deo eſſe dicatas, & devotas. Quorum *alterum* conſideratur tanquam *conſequens formationis* corporis, cum Deus per eam ſibi hoc jus acquiſiverit, & Dominus factus ſit, & ſe ſummum hominis bonum, cui noſtræ adfectiones adligatæ ſunt, comprobaverit; *alterum* vero formationis adjunctum ex ſingulari Dei gratia ortum, quatenus formationi corporis addiderit gratiam regenerantem & ſanctificantem, per quam intimæ adfectiones ad Deum directæ ſunt. Quod Jobo etiam in animo fuit, quum formationi corporis ſui ſubjungit, c. x: 12. *vitam & benignitatem feciſti mecum, & viſitatio tua cuſtodivit ſpiritum meum*, ubi vid. Coccejus & Schultens.

§. XXIV. β. In *propoſitionis* deductione confirmat & amplificat in primis membrum *prius* verſus præcedentis, *Deum acquiſiviſſe & poſſidere renes ſuos*, dum declarat, in ſignum intimarum ſuarum adfectionum, Deo ſacrarum, ſe Deum ſolere celebrare ſuper mirabili hac ſua ſeparatione, & reliquis Dei operibus mirabilibus, ex certa & clara notitia, quæ animam adfecit: his verbis, verſ. 14. *Celebrabo te, propterea quod vibrabiliter reſectus ſum, mirabilia ſunt*

opera tua, *et*, vel *quod*, *anima mea novit*, *diligitque enixissime*. h. e. Renes meos a te possideri, inde manifestum est, & ejus indicia continuo dedi, quod, ex intima persuasione, experientia, & flagrante adfectu, solitus fuerim tibi confiteri, teque celebrare propter mirabilem & stupendam meam separationem a massa *cum* matris in utero ejus, *tum* reliquorum hominum per sanctificationem, & destinationem ad servitium tuum, nec non propter mirabilia tua opera reliqua in natura & gratia, quorum tot specimina & ipse expertus sum. Qua, licet fusiore & liberiore, paraphrasi cum nexum, scopum, & sensum verborum exposuerim; verba & phrases illustrasse, & ad datam paraphrasin adcommodasse, suffecerit. ● Duo hic de se declarat, *alterum*, se Deum solitum fuisse laudare propter separationem suam coruscam & stupendam, & reliqua Dei opera mirabilia, *alterum*, se ex animo bene instructo, & vivido eorum sensu adfecto, id fecisse & facere. *Prius* itaque membrum continet *celebrationem Dei*, ab ipso factam, & faciendam, *posterius* vero ejus *principium* & fontem. *Prius* actuositatem ejus comprehendit, & ejus rationem ac argumentum. *Actuositatem* suam declarat in eo sitam esse, quod Deum *celebret*; docens, *laudabo te*, h. e. feci illud, & faciam semper, seu hæc mea est sueta occupatio, quam tenui hucusque, & tenebo in posterum. Quam emphasin hic, ut sæpe alias, habet forma fut., quæ consuetudinem denotat, & se ad præt. ac fut. extendit: ceu in vulgus notum est. Rationem & materiam laudationis memorat duplicem, scilicet *separationem* sui coruscam, & *mirabilia Dei opera*. Voces enim, *mirabilia sunt opera tua*, cum præcedentibus cohærent, & a particulis על כי *propterea quod* quoque pendent, ut sensus sit: *laudabo te propter quod tremendum in modum resectus*, seu separatus sum, & *propter quod mirabilia sunt opera tua*. Qua ratione oratio recte fluit, & sensus sibi apte constat. Intelligit vero per *resectionem* suam *coruscam* & *tremendam*, non tantum

tum conceptionem & nativitatem suam, qua a massa matris resectus fuit, sed & ejus singulare & stupendum consequens & adjunctum, quo a reliquorum hominum communitate fuit *resectus* per electionem et sanctificationem ad singularem prærogativam et dignitatem *servi* Dei: quemadmodum Jeremias dicitur *sanctificatus* a Deo *antequam utero exiret* c. 1: 5. & Paulus *ab utero matris separatus* a Deo ad apostolatum, Gal. 1: 15. Quam emphasin phrasis omnino requirit, et verbum נפליתי, et epitheton נוראות. Verbum נפליתי non est, ut accipi solet, *mirabilis* sum, vel factus aut formatus sum, aut in admirationem conjectus, vel ea adfectus sum; quæ huc non quadrant, nec verbum aut epitheton additum fert, sed proprie *resectus* sum, inde *separatus* sum, in specie tanquam Deo charus, et ad eximiam sortem destinatus. Radix פלה, hic admittenda, et non פלא, licet in origine ejusdem valoris, proprie significat *secare*, *resecare*, inde *separare*, in specie partem eximiam et nobiliorem; Ex. xxxiii: 16. נפלינו *resecti sumus ab omni populo super terra*, scilicet inde *separati* et excerpti, tanquam *peculium* Dei: unde transiit ad *eximium*, præ aliis charum, et in pretio habitum, quod ab aliis *separari*, et quasi *resecari*, solet. Hujusmodi *separationem* sui hic in oculis habuit David, naturali *resectioni*, seu conceptioni et nativitati additam ex singulari Dei gratia, cujus hoc ipso verbo meminit, Ps. iv: 4. *Scitote*, *quod Jehova resecuerit*, seu separaverit, aut adseruerit, *sibi pium*, devotum & eximium *servum*: quæ in primis *celebrari*, tanquam singulare beneficium, merebatur, & cui epitheton etiam vera emphasi convenit, voce נוראות *vibrationibus*, seu *tremoribus*, pro vibrantissime, seu terribilissime, expressum. Vox enim illa hic, ut sæpe fit in Script., adverbialiter sumenda est, quod est tralaticium. Radix ירא proprie dicit *vibrari*, & tremulo quasi motu agitari, unde ad *timorem* ac *tremorem* transiit, & quidem *majorem*, qui quatit & concutit. Sic נורא *verendus*, *tremendus* adpellatur, proprie, cui *ad-*

tremiscitur corpore vibrato. Ex quo haud obſcure elucescit, hoc epitheto, *reſectioni* & *ſeparationi* ſui a Deo addito, indicari *partim* magnitudinem beneficii & operis Dei, *partim* ſummam ſtatus excellentiam inde oriundam: adeo ut, *vibrabiliter* & *terribiliter ſecretus* ſum, ſit ſtupendo Dei opere, & favore in eo elucescente, & ad ſtatum tremebundum, cui omnes adtremiscere debeant, *ſeparatus* ſum, ſimul ad Deum *verendum* & colendum.

§. XXV. Altera ratio & materia Deum celebrandi generalior eſt, & opera Dei cum *naturæ* tum *gratiæ*, ut adpellari ſolent, comprehendit, his verbis: *mirabilia ſunt opera tua*, ſcilicet, ſive in genere qualiacunque, ſive in ſpecie erga me, & mihi hucusque præſtita. In quo nihil eſt, quod moram injicit; quare ad *principium*, ex quo hæc celebratio, a Davide inſtituenda, fluxit, pergo, his verbis expreſſum, ut opinor, *& anima mea novit valde:* quæ, per voculam *&* connexa cum verbo *laudabo te*, hunc fundunt ſenſum. *Celebrabo te* propter ſeparationem meam & opera tua, nec ore tantum, & temere, ſed & *animo* probe inſtructo, ſenſu beneficii & operis tui vivide adfecto, ac flagrante enixoque adfectu. Adjungit itaque has voces, ut indicaret, ſe Deum ſcienter, & propria edoctum experientia, ac enixiſſimo ſtudio laudare. *Anima mea*, dicit, *ſciens eſt*, vel *novit valde*, h. e. cognoscit, ſentit, & diligit ſummopere & enixe. Quam ſenſus amplitudinem habet verbum *noscere*, quod pro *ſcire*, *experiri*, & *amare*, ſæpe ſumitur; hic autem eo majore jure admittit, quod non ſimpliciter dicat, ſe *ſcire*, ſed *animam* ſuam ſcire, & quidem *valde*, ſeu enixo ſtudio. *Anima* novit, cum quid ſentit, & experitur, & intimo adfectu complectitur; cui *adfectui*, vel amori, etiam proxime convenit illud *valde*, quod proprie eſt *enixo*, & intenſo ſtudio ac uſu. Radix enim אוד, unde vox vel vocula מאד, proprie eſt, *flexit*, *incurvavit*, unde orta eſt notio virium

rium omni nisu contendentium, cum corporis curvamine, summi nisus indicio, ut Lat. *valde* a valido *a*.

§. XXVI. ד. *Quarta* ratio justificationis suæ petita est ab accurata Dei, tanquam rectoris & judicis mundi, observatione ac inspectione hominum, eorumque actionum & fatorum, ut suum cuique tempore opportuno tribuat, in primis suæ personæ & casuum omnium, a se credita, & cum admiratione, intimoque adfectu, semper considerata, argumento innocentiæ, pietatis, & fiduciæ in Deo repositæ. Qui mihi scopus & sensus videtur pericopæ, vers. 15--18. In qua sese offert. α. descriptio accuratæ Dei inspectionis & observationis tanquam justi & æqui judicis, qua Deum repræsentat suam personam & fata studiose observantem, a quo tempore in lucem prodiit, vers. 15, 16. β. declaratio intimæ suæ adfectionis & actuositatis circa hanc Dei gubernationem, vers. 17, 18. α. In priore parte. *a.* de persona sua, vers. 15. *b.* de factis, casibus, fatisque suis, vers. 16. agit. *a.* Personam suam, cum omnibus facultatibus & viribus suis, Deo esse accurate perspectam, a quo tempore inter homines fuit, his verbis declarat, vers. 15. *Non est persona mea tibi occultata, a quo factus sum in abscondito, acupictus sum in terræ inferioribus.* h. e. Persona mea, cum omnibus viribus & facultatibus meis, tuam judicialem non fugit notitiam aut adtentionem, quippe a quo in abditissimis locis, inferiore universi parte, fuerim mirifice & artificiose formatus. Duo sunt versus membra: quorum *prius* judicialem personæ Davidis cognitionem adtribuit Deo; *posterius* eam adstruit ex consideratione formationis ejus a Deo in utero matris. *Prius* habet, *non latet te persona mea.* h. e. nihil minus quam hoc, sed penitissime est cognitum tibi quicquid sum, habeo, & valeo. Quæ voculæ negantis לא *non* potestas, qua *nihil minus* dicit, & contrarium involvit, satis vulgata est. Cum vero dicit, *non occultum*, sed

a Schultens ad Job. II: 13.

ſed *notiſſimum* eſſe Deo, non nudam notitiam intendit, ſed *judicialem*, quam Deus qua *judex* univerſi habet, & ſecundum quam homines gubernat & judicat, præmia poenasque dispenſat. De quo ex ſeq. verſu clare conſtat, ut mox patebit, & uſus verbi כחד, ac phraſios לא נכחד מכך, etiam teſtatur. Verbum proprie denotat ſubito actu delere, & obliterare, ut quod pulvere tegitur, & cujus veſtigia delentur; unde ortæ ſunt duæ notiones ſecundariæ, altera *celandi*, ſeu occultandi, altera vero penitus *abolendi*, & e medio tollendi, quarum prior hic obtinet. Phraſis vero *occultari a Deo*, ut proprie ſonat, uſu ſuo ejusmodi denotat occultationem, qua Judici cognitio cauſæ ſubducitur, vel ab ipſo ſponte obliteratur. Conf. Pſ. LXIX: 6. Hoſ. V: 3. 2 Sam. XVIII: 13. Senſus itaque eſt, Dei judicis notitiæ accuratæ nec ſubduci poſſe, nec ab eo oblitterari, aliquem, aut aliquid. Sed quid eſt, quod Deum latere negat? exprimit illud voce עצמי, quæ verti ſolet, vel *os meum*, ſive *oſſa* mea, vel *vis*, ſive robur meum: quod poſterius præferendum eſt, cum punctaturæ & ſcopo prius illud minus congruat, ut Gejerus jam obſervavit, qui tamen minus recte intelligit de foetu in utero, ut ſenſus ſit; quicquid virium habet embryo, ſive in corpore, ſive in anima, Deo accurate notum eſſe. Quod 1. omni emphaſi caret, cum mox dicat, *ſe a Deo eſſe factum*, & ſupra jam verſ. 13. dixerat, ſe in utero matris eſſe prætextum a Deo. Hunc factorem non latere vim embryonis, quid dixiſſe adtinebat? 2. Minus illud ferendum eſt, quia de judiciali cognitione agitur, cui præmiorum & poenarum dispenſatio aptatur: *in utero* vero cum eſt infans, *nec bonum nec malum facit.* Rom. IX. Denique 3. foetui in utero non ſolet *vis* aut *robur* adtribui. Anſam erroris dedit poſterius membrum, quo formatio foetus in utero deſcribitur, minus recte cum ſuperiore comparatum, acſi utroque in membro de embryone ageretur, cum *poſterius* membrum, vero ſuo conſpectu, vel rationem contineat, quare Deo adſcribenda ſit

sit *cognitio hominis*, quia eum in utero formavit, vel ad hominis, tanquam imbecillis creaturæ, notitiam aliquam tradendam ducat: de quo mox. Mihi itaque עצם denotat ipsam hominis personam cum omnibus ejus viribus & facultatibus, quibus pollet; sive ad vim & robur agendi adtendatur, sive ad excellentiam hominis; quem posteriorem usum quoque habet עצם *a*. Sive compacti, solidi, & omnibus numeris pleni, ratio habeatur: proprie enim radix dicit, *compactus*, *stipatus* fuit, uti Jes. XXXIII: 15. עצם עיני *stipans oculos*, & pro *numero* solidato, quia *os* adhibitum est in summis computandis *b*, invaluit. Utique pro re ipsa, ipsa rei essentia, omnibus partibus prædita, sumitur, ut Gen. VII: 13. XVII: 23, 26. Ex. XII: 17. בעצם היום הזה *hoc ipso die.* Ex quibus sensus surgit amplissimus, qui habet, Deo, tanquam æquo & justo judici, non esse occultum universum hominis complexum, quid sit, quid valeat, quantique sit æstimandus; quæ, quales & quantæ, sint ejus facultates & vires; verbo, quid qualeve sit homo, omnibus suis numeris plenus, & perfectæ ætatis.

§. XXVI. *Posterius* versus membrum, licet facile constet de hominis formatione in utero agere, quid sibi hic velit, & quo tendat, minus perspectum est. Sensus iste sese ex verbis & phrasibus sponte offert. Dicit vir sanctus, se esse *factum* in *abdito*, & *acupictum* in *inferioribus terræ*. h. e. formatum, & variis partibus concinne contextum, instar operis phrygionici, in occulto loco, & penetrali matris, seu utero, nec in sublimi universi loco, verum infimo, seu terra. Quæ cum plana sint & facilia, ab aliis abunde illustrata, verbo tantum observo, *inferiora terræ*, vel simpliciter esse *terram*, coelo contradistinctam, quæ populariter sumta infimum universi locum tenet, vel ad terræ locum humiliorem & depressiorem, montibus & collibus contradistinctum, respici: de quo utroque

a Schultens ad h. Ps. vers. 17. *b* Id. ad Job. XXI: 23.

que usu vid. Cl. Vitringa *a*; *priore* sensu terra litteraliter, sed *posteriore* figurate pro statu humili sumenda est. Indicat itaque, se a Deo esse in abdito loco, hominum oculis inpervio, nec in coelo, sed terra, etiam humiliore statu, esse formatum, & concinnatum. Sed quid sibi hoc vult, & quo tendit? alterutrum, existimo, vel utrumque: *alterum* est, quo ratio redditur accuratæ Dei cognitionis, & inspectionis judicialis, inde petita, quod a Deo formatus sit; cui itaque totus, quantus quantus, non potest esse occultus, quique non potest non ad totum suum complexum, qua judex, adtendere; cum frustra non sit tam concinne factus a Deo, sed ut Deo rationem debeat actionum suarum. Quo fin. ante אשר ellipsis est admittenda præf. מ ex voce præcedente; acsi legeretur מאשר *ex quo*, & versio instituenda, ut feci; *non est persona mea occulta a te*, seu *tibi*, *a quo factus sum* &c. h. e. cum a te factus sim, non potest compages mea te latere, non potest non tibi esse cognita, & inspecta. Sed, quod *alterum* est, censeri quoque possunt hæc verba addita ad infirmitatem & vilitatem hominis denotandam, cum, quam artificiose etiam factus, terrestris sit & infimæ sortis creatura, cujus nullæ sunt vires insitæ, nulla dignitas est propria; *caro* itaque & *sanguis*, non spiritus, vilis non sublimis creatura, in *terræ inferioribus* facta. Qua ratione verba, sine ellipsi, recte cohærent: *non latet te mea substantia*, *qui factus sum in abdito*, *& acupictus in inferioribus terræ*. h. e. quæ, quantæque sint meæ facultates & vires, scilicet quantæ sunt creaturæ terrestris, & vilioris, te non latet, qua judicem, qui, æquus & justus, hujus meæ conditionis rationem habebis in judiciali examine. Hoc enim scopo de Dei cognitione loquitur, & suam simul infirmitatem ac vilitatem memorat. Quemadmodum & alibi fit; ut Gen. VI: 3. Ps. LXXXVIII: 38, 39. CIII: 14. Jes. LVII: 16. Non male fecerimus, si utrumque sensum conjunxerimus, hunc in modum:

a Ad Jes. XLIV: 23. in not.

dum: *quid virium habeam te non latet, qui, et a quo factus sum* &c. h. e. cum a te factus sim, totum mei tibi non est incognitum, & cum in *terræ inferioribus* acupictus quasi sim; quam infirmus & vilis sim, te non latet, qui tanquam judex ejus rei rationem habebis.

§. XXVII. *b.* Actuositatis & fatorum suorum respectu, relate ad Deum rectorem & judicem universi, in hæc verba, superioribus apte subjuncta, loquitur, vers. 16. *Circumvolutionem meam vident oculi tui, et libro tuo inscribuntur omnia ista, dies observantur, nec est singularis in iis*, vel *nec unus inter eos*, scilicet est, qui non observatur. h. e. Sicut totum virium, & facultatum ac meritorum meorum, complexum habes, ut modo dixi, perspectum; ita totam meam conversationem, omnia mea gesta & fata, quibus involutus sum, exacte inspicis, accurate mente recondis, dies quoque, quibus quæque eveniunt, studiose observas, instar speculatoris, ne uno quidem exemto; ita ante egisti, agis nunc, & ages in posterum; eo scopo, ut omnia suo tempore in judicium adducas, & mihi, aliisque, quod æquum & justum est, retribuas. Utitur, ut illud in antecessum observem, verbis & præt. & fut. temp., ut omnes temporum differentias complecteretur, & Deum ita semper instituisse, ac instituturum in perpetuum indicaret. Verba proprie habent, *viderunt oculi tui*, & *inscribentur* illa libro, *et observabuntur dies*; sed præteritum involvit fut., & futurum continet præteritum; quod non est in difficili. Majoris est, genuinum verborum intellectum & scopum pandisse; quem Interpretes mihi non videntur adsecuti. Solent enim referre verba ad initium formationis hominis in utero, vertentes primum membrum, seu גלמי, vel *informe*, vel *embryon* meum, vel simile quid, & hunc dant sensum, Deo ante esse descripta, & constituta, vel quæ foetum, ejusque formationem, constituunt, vel quæ ei deinceps evenient. Cujus hypothesios unicum fere fundamentum est, informem molem

foetus, seu massam rudem, voce גלם intelligi, a rad. גלם *convolvit*, quatenus *utero matris* sit involuta, & ipsa quid *glomeratum*, quod evolvendum est. Ferri id posset, si de hoc usu aliunde constaret. Rabbinis quidem in usu est pro massa, vel materia informi; sed inde ad usum antiquum concludere non licet. In Script. occurrit radix significatu *convolvendi*, circumvolvendi, ut de veste convoluta ad modum *verberis* compliciti, 2 Reg. II: 8. & derivatum pro *volumine vestium*, vel vestitu involvente, Ez. XXVII: 24. Videtur proprie esse, *strinxit*, stringendo complicuit in formam rotundam, & cognationem habere cum גול & גלל, ut recte Avenarius; quibus *volvendi in orbem* potestas primaria inest; unde ad volutationem, circuitum, circumambulationem, & alia transiit [a]. Quibus nixus reddidi *circumvolutionem meam viderunt oculi tui*, nec de glomere in utero matris concluso intellexero, sed figurate *cum* de tota conversatione & circumambulatione hominis, qua nunc huc nunc illuc volvitur, *tum* de fatis & casibus, quibus implicatur, & constringitur; adeo ut *convolutio mea* sit, *partim* qua circumvolvo me, quæque me implicitum & districtum tenet, *partim* qua, tanquam veste, involvor, & constringor; verbo itaque tota mea conversatio, oberratio, actuositas omnis, nec non omnia mea fata, omnesque casus. Obstat quoque vulgatæ interpretationi, & nostræ robur addit, 1. quod *informis* molis in utero mentio plane superflua sit, nec emphasin habeat ullam, maxime cum jam antea suæ formationis in utero expresse meminerit; conversatio vero & fatorum vicissitudo huc aptissime quadret: cum enim modo de persona sua, ejusque viribus & dotibus, egisset; opportune subjungit gesta & fata, oculis Dei judicis exposita, quorum utrorumque, & virium & gestorum, ratio habenda est in judicio. 2. quod in seq. mox *omnium illorum* inscriptio in libro, & *dierum observatio*, memoretur, quæ ad informem

in

a Vid. comm. noster ad Mal. I: 7.

in utero molem non nisi coacte & sine emphasi, ad actiones & casus hominis aptissime adcommodatur; uti facile cernitur: maxime cum *præscientia*, seu *prædeterminatio*, Dei non intelligenda sit, sed actualis observatio, inspectio & cognitio, qua Deus actiones & vicissitudines hominum, cum existunt & fiunt, tanquam judex futurus, advertit, & mente recondit. Quem sensum & phrases requirunt omnes, & nexus ac scopus postulat: ut mox patebit.

§. XXVIII. Relegamus, hac jacta hypothesi, verba, &, ubi opus fuerit, illustremus. *Circumvolutionem meam viderunt oculi tui* (h. e. testis oculatus es, o Deus! omnium eorum, quæ volvo, & quibus involvor; omnium actionum, conversationum & fatorum meorum, inspector, & accuratissimus cognitor. Respicitur ad *oculos* Dei rectoris & judicis universi, qui *perambulant totam terram*, Zach. IV: 10. & alibi; & exacta Dei cognitio indicatur, qua omnia nostra acta, gesta, & accidentia, habet perspecta. Modo de persona sua, Deo cum omnibus viribus & dotibus nota, egerat; nunc idem de actionibus & fatis suis aptissime adfirmat; cum & virium ac dotium, & actionum ac fatorum, ratio habenda sit in judicio Dei, de quo hic agitur. Eo etiam aptius *circumvolutionem* suam adpellat David, cum in exsilio adhuc versaretur, & quaquaversum volveretur & vagaretur: quemadmodum Ps. LVI: 9. *vagationem meam numerasti tu, posita est lacryma mea in utre tuo.* &c.) Sequitur, *& libro tuo hæc omnia inscripta sunt*, vel inscribentur, scilicet, ut antea, ita post continuo. (h. e. vides non tantum, quicquid ago & fero, sed & in commentarios quasi refers, in perpetuam memoriam, donec, tempore judicii adlucescente, *libri* tui aperiantur, & cuique reddas secundum opera. Respicitur manifeste ad commentarios regum & judicum, quibus bene meritorum nomina & facta, ut compensarentur, inscribebantur Esth. VI, XII. nec non impiorum nomina & facinora, ut punirentur; Jes. LXV: 6. Dan. VII: 10. Ita & Mal. III: 17. *adtendit Jehova*

va & *audivit*, *& conscriptus erat liber memorialis coram Jehova* &c. ubi vid. dicta. Notæ etiam sunt διφθέραι Jovis [a]. Non itaque de præscientia aut prædeterminatione Dei æterna hic agitur, sed de judiciali observatione actionum & fatorum hominum in tempore; eo scopo, ut cuique suo tempore secundum ea rependatur. Nec alio sensu phrasis ea figurata de Deo in Script. V. T. sumitur, ne quidem Ps. LXIX: 29. *deleantur e libro vitarum*, *& cum justis non scribantur.* h. e. morte adficiantur violenta & infami, eaque ratione catalogo viventium expungantur, Ex. XXXII: 33. nec locum inter justos, sed inprobos, habeant in libro tuo memoriali, qui malorum & bonorum comprehendit catalogum, quibus præmia adsignata sunt & poenæ. Obstat insuper receptæ sententiæ, & nostræ pondus addit, quod in fut. dicatur, *scribentur ea omnia*, argumento, inscripta non tantum esse, sed adhuc etiam inscribenda. Ceterum voces, *omnia ista*, pertinent manifeste ad modo memoratam *circumvolutionem*, constructione non ad vocem, sed rem significatam adcommodata, adeoque *omnia* ea comprehendunt omnia facta & fata, per *convolutionem* significata. Quod satis tritum est & facile.)

§. XXIX. Additur denique, *dies observabuntur*, *nec est eximius in istis*, vel *nec unus est inter eos*, scilicet qui non observabitur, de quo mox. (h. e. facta & fata, sicut Deo sunt inspecta & libro memoriali inscripta, ita quoque *tempora* singula, quibus illa contigerunt, omnia, ne uno quidem excepto, observantur a Deo, & mente reconduntur. Hunc enim verborum existimem esse genuinum sensum, minus recte perceptum, quod verbum יצרו male ad radieem יצר *formare* retulerint, cum sit a rad. נצר, sensu *inspiciendi*, *advertendi*, & *observandi*. Præterquam quod magis regulariter, secundum punctaturam, נצר constituatur radix, *formandi* notio hic admitti nequit, cum phrasis, *formabuntur*, vel formati sunt, *dies*, sensum non fundat tolerabi-

[a] Vid. amicissimus Valckenaer ad Herod. l. v. c. 50.

lerabilem, ne quidem, adhibita ellipsi pro *dies*, *quibus formabuntur*, minus, quia non de decreto, sed actuali observatione actionum & casuum hominis, ut vidimus, agitur. Nostra vero versio, *observantur dies*, inspiciuntur, advertuntur, & verbo, & nexui egregie convenit. Radix נצר, cui cognata est נטר, proprie dicit *inspicere*, secundario tantum *custodire*, *servare*, ut Lat. *tueri*; unde etiam in malum pro *observare* & *insidiari* sumitur. Jer. IV: 16. Deus vero κατ' ἐξοχὴν adpellatur נצר *observator hominis*, quod oculum vigilem habet & vindicem, intentum in homines; uti Prov. XXIV: 12. egregie & in rem nostram, *an non librator cordium*, *ille intelliget*, & נצר *qui observat animam tuam ille cognoscit*, *& retribuet homini secundum opus suum?* Job. VII: 20. *peccavi*, *quid faciam tibi*, נצר האדם *observator hominis?* ubi vid. Schultens. Quod verbum eo sensu restituerim quoque Ps. XXXIII: 15. pro היצר; si liceret; *qui observat pariter cor ipsorum*, *qui distincte intelligit omnia opera ipsorum*. Observari autem a Deo dicuntur *dies*, quatenus cum ad tempora & opportunitates, hominibus ad agendum concessas, tum ad actiones eorum in iis, adtendit, ut judicium suum iis adtemperet. Quæ magni momenti est veritas, huc adprime quadrans; ut facile adparet: quare plura non addo. Ne autem cogitaretur, non omnes dies ea ratione a Deo observari, sed aliquos esse exceptos, quibus homini liceret impune agere, Deo non adtendente, vel curante, subjungit, *& non unus in illis*, scilicet, vel eximius est nullus inter eos, nullus singularis, hoc numero dierum, qui observantur, exemtus, vel, non unus est, qui non advertitur, & observatur: quo utroque modo, sed qui eodem redit, voces expediri possunt. Priore ratione vox אחד unus pro *eximio*, singulari, dierum reliquorum, modo memoratorum numero exemto, sumenda est; sicut subinde fit; uti notum: *posteriore* vero locutio est elliptica, ex præcedente supplenda, ut feci. Occurritur itaque vanæ hominum opinioni, qua putant,

putant, nonnullos *dies* a Deo inobservatos posse transigi, quibus licet, quod libet.)

§. XXX. β. Adfectionem & continuam suam occupationem circa memoratas, aliasque Dei respectu hominum, cogitationes, in signum pietatis suæ erga Deum, & innocentiæ vitæ ac morum, his verbis subjungit, vers. 17, 18. *Et mihi quam ponderosæ & pretiosæ sunt cogitationes tuæ, o Deus, quantæ earum summæ! numeremne eas? plures sunt quam arena: evigilavero, adbuc sum tecum.* h. e. quamvis peccatoribus grave admodum sit, & neglectui habeatur, tibi cuncta mortalium esse nota & observata, mihi tamen profecto nihil est desiderabilius & gratius, quam te talem esse, imo & has & omnes alias cogitationes tuas sicut magni facio, ita admiror magis, quam percipiam & eloqui possim: sunt enim mihi & ponderosiores & numerosiores, quam ut capere, aut recensere, queam; adeo ut noctes diesque meditationibus, & initimis animi adfectionibus amoris & spei, tibi adhærescam. Cum de nexu & scopo horum verborum ex dictis ad vers. 14. facile patescat, verbo tantum emphasin voculæ ו *&*, in voce, *& mihi*, pandam. Videtur & adversandi & adseverandi vim hic, ut sæpe alias, habere; ut sit, simul *at*, simul *utique*, profecto. Adversativa vis respicit ad peccatores, cogitationes illas Dei aversari solitos, quibus se tacite opponit, & quorum mox meminit, ut se longe aliter esse adfectum, ac ab hostibus traducebatur, demonstraret. Conf. Ps. LXXIII: 27, 28. Loquitur vero de *cogitationibus* Dei, quas adfirmat imperceptibiles & innumerabiles sibi esse, attamen summe desiderabiles, & æstimabiles, adeo ut se noctes atque dies occupatum teneant. *Cogitationes* Dei, voce רעיך, & non *amicos* Dei, quod post LXX etiam aliis placuit, ipsi quoque Schultens ad h. l., intelligi, quæ vulgatior quoque est hypothesis, sequentia extra dubium collocant; cum in amicos Dei non quadret, eorum numerum esse majorem arena maris; nec ratio sit, quare immensa multi-

multitudo eorum hic memoraretur expresse; si vel tanta eorum esset copia. Errandi ansam præbuit, quod, vocem Hebr. de *cogitationibus* adhiberi, male inficias iverint; uti ad vers. 2. vidimus. *Cogitationes Dei* itaque sunt, de quibus loquitur vir pius; sed non quas ipse de Deo habebat, quod Gejero non displicuit, sed quæ Deo ipsi insunt; ut seq. ostendunt: in proprias enim de Deo cogitationes non convenit, eas esse numerosiores arena maris, nec enarrabiles. Sed quæ sunt illæ *cogitationes* Dei? directe quidem & proxime, quibus Deus omnia, quæ ad personam hominis, ejusque facta & fata, pertinent, habet perspecta, & mente reposita, nec non singulis secundum statum & merita destinat præmia & poenas. De qua *scientia* Dei, tanquam mirabili, & supra captum creaturæ, supra quoque vers. 6. locutus erat: attamen nihil vetat, quominus latius extendamus ad omnes Dei cogitationes & volitiones, omnesque *vias* ejus, relate inprimis ad homines, sive singulos, sive in societates, civiles aut Ecclesiasticas, coactos, adeoque mundum, ejusque regna & respublicas, & Ecclesiam, seu populum Dei: quarum, occasionem præbente mentione status & actionum suarum, Deo notarum & observatarum, recte hic meminisse potuit: quemadmodum vers. 14. *opera* Dei adjungit mirabili suæ separationi: Deus Jes. LIV: 9. de iis eum in modum quoque fere loquitur: *sicut coeli terra sunt altiores, ita viæ meæ vestris, & cogitationes meæ vestris sunt sublimiores.*

§. XXXI. Hasce Dei cogitationes declarat, 1. *sibi esse ponderosas & pretiosas*, h. e. graviores quidem esse quam ut capere, aut ferre, possit, attamen summæ æstimabiles & delectabiles. Quem utrumque significatum habet verbum יקר, *priorem* proprium, & *posteriorem* translatum. Proprietas enim sita est in *gravitate*, cujus indicia adhuc supersunt in reliquiis linguæ Biblicæ, ut 1 Reg. v: 17. VII: 7. *lapides ponderosi.* Jes. XXVIII: 26. *gravitas fundatissimi*, sc.

 ædificii.

ædificii. Pſ. XLIX: 9. CXVI: 17. Prov. XXV: 17. alibi *a*. Hinc facile ad gloriam, & pretium transiit, ut Hebr. כבר. Senſus itaque eſt, *cogitationes* illas Dei, *a.* ſibi eſſe quam *graviſſimas*, adeoque viribus animi ſui longe ſuperiores; quas animo complecti & continere nequeat, uti verſ. 6. expreſſe declaraverat. Particula exaggerandi, *quam graves mibi ſunt*, ſummum exprimit gradum, & tacite indicat, comparatione inſtituta cum viribus mentis, eas eſſe graviores; quod mox de *numeroſitate* addit expreſſe; hic vero mente intelligendum vult. *b.* Eſſe tamen eas, quam graves etiam, ſibi ſummoperc pretioſas, ſeu æſtimabiles & delectabiles, magis etiam quam eloqui poſſit; adeo ut ſibi valdc gratum ſit & acceptum, Deo omnia ſua eſſe *nuda* & *aperta*, nec non Deum eſſe tam ſublimem & glorioſum; inſuper ſe omnibus Dei viis & cogitationibus reſpectu hominum ſummum ponere pretium, maxime delectari: licet ex *parte* tantum. & per *ſpeculare*, eas cognoſcat & intueatur. 1 Cor. XIII.

§. XXXII. 2. Addit, eas eſſe plures numero, quam ut vel ſummas earum animo complecti, aut ore enarrare poſſit, his verbis: *quam multæ ſunt ſummæ earum! recenſeremne eas? plures ſunt pulvere.* h. e. Maximus eſt cogitationum Dei numerus, longe major quam vel ſummatim calculare mente oreve queam; quippe *pulverem* terræ longe ſuperantes. Nihil hic nobis relictum eſt notandum: de verbo enim עצם, quod *multitudinem* continet, & voce ראשים, quæ proprie *capita*, dein *ſummas* denotat, ſatis conſtat, & ab aliis obſervatum eſt, præter emphaſin & ſignificatum verbi ספר, quod *enarrare* hic non tantum denotat, ſed & mente recenſere. Proprie dicit *pulverare*, inde *calculare*, numeros inire quam exacte, more arithmetico, quo id in pulvere ſuper tabula fieri ſolebat antiquitus: de quo dixi ad Pſ. LXIV: 6. Ex quo ſimul clueſcit elegantia ſermonis, cum verbo ספר addatur comparatio

a Vid. Schultens ad Prov.

ratio cum *pulvere*. Sensus itaque est, cogitationes Dei esse innumerabiles; quarum ne summæ quidem recenseri queant, aut mente aut ore.

§. XXXIII. Mente de cogitationibus Dei explicita, subjungit, *evigilavero, & adhuc sum tecum*. h. e. tam pretiosæ mihi sunt cogitationes tuæ, tanta earum capior dulcedine, ut mentem, cum omnibus facultatibus ejus, tibi adligatam, & devinctam, teneant noctes æque ac dies, adeo ut me eo in statu somnus occupet & deserat; tanta præterea est earum præstantia, perceptionibus major, & copia innumerabilis, ut continuam præbeat per omne tempus meditationis materiam. Voces structura sua indicant, virum pium cum Deo fuisse antequam expergisceretur, simul eo in statu fuisse, cum somno fuit correptus; adeo ut expergefactus in eo esse perrexerit: quod alias dicitur, *noctes atque dies meditari legem Dei* Ps. I: 2. *recordari Dei super strato, in vigiliis meditari* Deum Ps. LXIII: 7. & quæ alibi similia occurrunt. Cum enim non dicit, *evigilavero, sum tecum*, sed *adhuc* sum, utique indicat, se ante somnum fuisse, nec eo quasi abruptum fuisse; mente per ipsam quietem in eo manente, & diurnas cogitationes ac adfectiones revocante, ut fit in somniis. Sed quid est, *esse cum Deo?* & quo tendit hoc loco? Phrasis indicat cogitationum & intimarum animi adfectionum fidei, spei & amoris, adplicationem ad Deum, tanquam Ens gloriosum, Dominum supremum & summum Bonum; quæ tres sunt Dei ad nos relationes, omnium adfectionum & actionum piarum fundamentum. Conf. Ps. LXXIII: 23, 28. & ibi dicta. Eo autem verba collineant, ut, quam vera sint modo prolata, cogitationes scilicet Dei perceptione & recensione nostra superiores, simul viro pio esse summe pretiosas & delectabiles, demonstretur; quippe cujus rei clarum & certum in eo erat indicium, quod, sicut continuam præbebat meditandi materiam, ita animum & omnes ejus adfectiones in Deum trahebat, & ipsi devinciebat; Deo

renes ſuos *poſſidente*, uti verſ. 13. dixerat. Ex quo præterea, quod in hoc Pſ. intendit, pietas & virtus ejus eniteſcebat.

§. XXXIV. ה. *Quinta* ratio juſtificationis ejus in examine & judicio Dei, deſumta eſt ab odio erga improbos & hoſtes Dei; ex quo concludit, ſe in judicio Dei cum illis non eſſe damnandum & e medio tollendum, verſ. 19--22. Cujus pericopæ, & eo nomine accuratiore tractatione dignæ, quod peſſimus poſſit ejus eſſe abuſus, α. ſenſum, β. verum conſpectum & ſcopum pandam. *a.* Duæ ſunt pericopæ partes, quarum in *altera* improborum characteres ducit, & judicium, iis infligendum, ſibi non eſſe noxam adlaturum declarat, verſ. 19, 20. in *altera* rationem ſuæ liberationis ab hoc judicio repetit ab odio ſuo erga improbos, verſ. 21, 22. In *priore* parte, *a.* occurrit propoſitio, verſ. 19. *b.* ejus deductio, verſ. 20. *a.* Propoſitio ita ſonat, verſ. 19. *Quod ſi occideris, Deus! improbum, & viros ſanguinum; recedite a me.* h. e. Poſito, te violenta cæde e medio tollere; quod utique facies, improbum, & cupiditatibus pravis agitatum, nec non viros cædis reos ejusque adpetentes, magna cum fiducia, quo tempore iſtud exercebis judicium, iis dicere poſſum, dicamque, a meo conſortio diſcedite, nihil mihi vobiscum eſt commune, vos ſeorſim, me ſalvo, judicio Dei involvamini. Loquitur 1. de judicio mortis in improbum & viros ſanguinum, quo illi morti dantur: *viri enim ſanguinum*, per particulam conjunctivam *&*, manifeſte cum improbo connectuntur; a quo non ſunt divellendi; uti paſſim fit. *Improbus* רשע eſt, qui variis cupiditatibus pravis agitatur, ſimul importunus eſt, qui exagitatur ipſe & exagitat alios: proprietas enim eſt, uti conſtat, in irrequieto motu, & exagitatione: *Viri ſanguinum* ſunt, qui ſanguinem aliorum ſitiunt, & eum effundunt pro libidine; ſanguinolenti & homicidæ. Quod non eſt difficile. Nomina ſing & plur. numeri conjunguntur, ut de omnibus & ſingulis cogitaremus.

mus. Judicium mortis intelligitur, in quo Dei vindicis manus conspicitur; non ergo qualiscunque *mors*, sed violenta & singularis, quam Deus, justus mundi judex, infligit, quocunque modo fiat: sed 2. loquitur *conditionate*, ita tamen, ut id futurum esse indicet. Dicit enim, *si occides*, h. e. posito te id facturum, quod ponere licet, quia justitiæ & viis agendi, quas tenes, illud convenit. Sunt qui *optative* capiunt, pro *utinam* occideres; sed, præterquam quod ille usus particulæ אם *si* rarior sit, sine ratione hic admittitur, & temere adgravatur vir pius, acsi optaret cædem peccatorum: quod ne quis suspicaretur, expresse dixit *si*, conditionata usus particula. 3. Addit denique, illud judicium sibi non esse infligendum, quo Deus improbos & homicidas punit; sed se tunc ab eorum consortio esse separandum; quum, sermone ad eos verso, subjungit, *recedite a me;* quod idem est, ac, *a me discedent;* ut Chald. & Syr. reddiderunt, sive legerint יסרו, sive sensum expresserint. Figura enim est Rhetorica, qua id quod futurum est per modum adlocutionis ad eos exprimitur, in signum adfectus commoti, & fiduciæ, qua res adferitur: acsi plenius haberetur, *si occides*, o Deus, *improbum*, *& viros sanguinum*, tunc iis magna cum fiducia dicam, *recedite a me*, & soli ac seorsim puniamini, me salvo. Phrasis enim hoc loco non denotat *communionis* dissolutionem, aut animum a peccatoribus alienum; sed *sortis* diversitatem in judicio, de quo hic agitur, qua improbi occiderentur, sed ipse salvus foret, illis a se sejunctis; uti in judicio Korachi & Abirami Num. XVI: 28. *Dixit Moses coetui*, *recedite a tentoriis impiorum horum*, &c. Declarat ergo id eventurum, quod Ps. XXVI: 9. orat, *ne colligas cum peccatoribus animam meam*, *& cum viris sanguinum vitam meam* &c. Sed indicat quoque hac formula, & orationis schemate, sibi nihil cum iis fuisse in vita & moribus commercii, nihil communis; adeo ut sensus plenus sit: sicut a me in conversatione & actionibus longe recessistis,

ô improbi! ita & nunc in judicio & poena recedite. Conf. Pſ. xxvi: modo citatus.

§. XXXV. In deductione propoſitionis aliæ pravæ qualitates improborum & ſanguinolentorum, quæ ad Deum reſpiciunt, in medium adferuntur, his verbis, verſ. 20. *Qui loquuntur te ad ſcelus deſtinatum* (vel obſtrigillant tibi, contumaciter & ſceleſte) *tollunt in vanum*, *hoſtes tui*. h. e. haud parum adgravat improbos & ſanguinolentos, & judicio divino reddit digniores, quod profeſſionem & cultum tui nominis cum ſceleribus ſuis non tantum conjungant, ſed & inde anſam ſcelerum adripiant, iisque obtendant; inſuper in vanum & mendacium te, ſeu nomen tuum, proferant, temere, vel falſo, jurantes; adeoque vero nomine *hoſtes* tui ſint, ſeſeque tales præſtent. Verba haud una laborant ambiguitate, quæ ſenſum reddit magis dubium. De quo antequam dicam, in genere obſervandum eſt, verba eo tendere, ut improborum, modo memoratorum, pravæ qualitates ulterius explicentur, quæ ad Deum reſpiciunt, adeoque, eos excidium magis mereri, manifeſtum fieret. Cohærent enim verba per relativum *qui* cum ſuperioribus, quo clare ducimur ad ipſos illos improbos, modo deſcriptos: maxime cum nullo indicio conſtet, aliorum lineas hic duci. Continent vero verba delineationem impietatis erga Deum, ſicut ſuperiora improbitatem erga homines; quare iis recte cenſeri poſſunt ſubjuncta, ad improbitatem eorum adgravandam, & iram Dei eo magis juſtificandam. Duo vero impietatis crimina recenſentur, *alterum*, quo Deum loquebantur ad ſcelus, *alterum*, quo nomen Dei in vanum ſumebant; quando, concluſionis per modum, ipſis titulus *hoſtium Dei* jure merito datur. Hac enim ratione verba cohærent; ut in verſione expreſſi, & nunc explicare adgredior.

§. XXXVI. *Prius* impietatis ſignum, primo membro comprehenſum, ambiguitate aliqua laborat, quam adfert verbum ימרוך, cujus radix poteſt ſtatui & אמר *dixit*, *locu*-

tus

tus eſt, & מרה *acriter ſtrinxit*, proprie manum ducentis, inde *retractavit* vehementer, & refractarium ſe præſtitit, ſeu *obſtrigillavit*. Priore radice admiſſa, eſt pro יאמרוך, ut alias plene & regulariter habetur, ſubinde, ſed raro, defective, ut hic, omiſſa littera א. *poſteriore* vero punctari debet, יַמְרוּךָ, *exacerbarunt te obſtrigillando*. *Priori* favet punctatio recepta, & communi Interpretum calculo robur accedit; ſed *poſteriori* litteræ magis conveniunt, & adfixum perſonale in tempore finito; quod verbo אמר nusquam alias, ſed מרה frequenter additur. Confirmat inſuper *quinta* verſio Gr., quæ habet, παρεπίκρανάν σε *exacerbaverunt te*. Dabo utriusque verbi explicationem, & electionem relinquam liberam. Radice אמר *loqui* adſumta, vertenda ſunt verba: *loquuntur te ſceleſte*, vel ad *ſcelus* deſtinatum; ſic enim rectius, quam, ut alii, *loquuntur de te*, vel *contra te ſceleſte*. Proprie enim dicit, *loquuntur te*, & ſenſum fundit elegantiorem ac ampliorem. *Loqui*, vel *dicere*, Deum eſt, cum fidem & ſpem ſuam in Deum profiteri, tum Deum adnunciare, & de ipſo diſſerere, tum denique quocunque modo alio Deum celebrare, ipſum colendo, & cultum ejus promovendo ac vindicando. *Dicere* enim & verbaliter & realiter capi poteſt, & *dicere Deum* eſt eum profiteri, ac colere. Sic Deut. XXVII: 17. *dicere feciſti Deum hodie, ut ſit tibi Deus* &c., ſeu hoc ipſum profiteri & demonſtrare feciſti, Joh. VIII: 27. *ignorabant, quod Patrem ipſis diceret*, h. e. eloqueretur, & indicaret. Pſ. CXLVI: 12. *gloriam regni Dei loqui eſt*, proferre, & de ea diſſerere: unde & Θεολόγος eſt ὁ λέγων τὸν Θεὸν *qui loquitur Deum*. Sed *dicere Deum* למזמה eſt *ſceleſte*, & *ad ſcelus*, Deum profiteri: adnunciare & colere, utrumque admittit vox Hebr.; præf. enim ל periphraſin facit adverbii, ut notum eſt, ſed & finem ac exitum denotat; adeo ut verti poſſit, *ſceleſte*, & ad *ſcelus* perpetrandum. Significatur itaque, improbos illos, 1. eſſe hypocritas, ſive directos, ſive magis indirectos, ſeu religioſos ſceleratos, qui vel fingunt

fingunt fidem & religionem, ut alios fallant, vel sibi ipsi imponunt, Deum *ore confitentes* & *facto abnegantes*: quales dicuntur *labiis honorare Deum* & *cor* ab eo habere alienum Jes. XXVIII: 13. & vivis coloribus depinguntur, ac severe perstringuntur Ps. L. & Jes. I. ne alia loca memorem: *operatores* iniquitatis, qui Christo *dicunt*, *Domine*, *Domine*, nec *faciunt voluntatem Patris*. Matt. VII. 2. Ipsa fide & religione abuti ad peccandum, & scelera patranda; sive zelum religionis obtendant pravis facinoribus, sive falso & pernicioso zelo ducti putent se *Deo gloriam dare*, alios persequendo, & necando. Joh. XVI: 2. Quæ amplam præbent exspatiandi materiam, quam tetigisse hic sufficerit. Sed, si radix מרה, & punctatio יַמְרוּךָ, adoptetur, vertenda sunt verba, *qui obstrigillando tibi contumaciter resistunt*, *destinato consilio*, *& ad scelus* faciendum. h. e. qui Dei præceptis & monitis sese audacter, & animo deliberato, opponunt, ut quævis scelera committant: adeoque, non tantum improbi & sanguinolenti sunt, sed & legem Dei, ac adhortationes, sibi probe notas, spernunt, ac violant, proterve, superbe & contumaciter. Eam enim potestatem habet verbum מרה, ut sæpe alias observavi, & vox למזמה, quæ & *destinato* animo, & ad *scelus*, Deo resistere indicat. Vox enim Hebr., a propria *alligandi*, *firmius revinciendi*, in specie, *capistro*, potestate transiit ad cogitationem fixam, quam quis cum animo suo destinavit, & unde avelli nequit, tam in malum, quam bonum, imo *adgressionem* rei apertam, seu facinus ipsum, comprehendit, seu cogitationis & decreti exsecutionem. Homines ergo sunt, sicut improbi in alios, ita impii in Deum, & refractarii, qui jus & fas pedibus conculcant, dicuntque quasi Deo, sive animo, sive opere, *recede a nobis*, *non enim delectamur cognitione & agnitione tui*.

§. XXXVII *Posterius* impietatis signum, his verbis prolatum, *tollunt in vanum*, duplicem continet ambiguitatem, *alteram* in verbo נשא, *alteram* in phrasi ipsa. Verbum ita for-

formatum est, ut pro part. & præt. pl. sumi queat, adeoque verti, vel *sublatum* in vanum, vel *tollunt* in vanum. Licet enim regulariter magis sit particip., potest tamen pro præt. pl. haberi, sive sit per litterarum transpositionem pro נשאו, sive littera א sit paragogica; aut ex scriptione vetere ad indicium syllabæ longiuscule protrahendæ *a*. Sic הלכוא *iverunt*, אבוא *voluerunt*, ipsum nostrum ינשוא *portabuntur* Jer. x: 15. & alia. Partic. cum locum vix ferat, & sensum commodum fundat, præt. plur. eligimus cum interpretibus longe maximam partem: phrasis enim, *dicunt te sceleste prolatum in vanum*, nimis dura est, & explicatu difficilis, quam ut se adprobare possit. Sed ipsa phrasis, *proferunt in vanum*, ambigui quid habet, cum suppleri possit, vel *animam*, vel *te*, scilicet *Deum*, aut nomen ejus: cujus utriusque vocis additæ prostant exempla, ex. gr. Ps. XXIV: 4. pius dicitur *non tollere animam suam in vanum*; & Ex. XX: 7. *non tolles nomen Jehovæ Dei tui in vanum*; qualia plura exstant. Alterutra itaque vox hic est supplenda, cum audiendi non sint, qui cum voce ultima עריך *hostes*, vel *urbes tuas*, construunt, ut sensus sit, eos vel *hostes Dei* in sublime tollere, vel *urbes* Dei destruere. Obstat enim vox לשוא interjecta, quæ phrasin reddit insolitam, *tollere*, seu *sublimare in vanum hostes*, seu *urbes destruere in vanum*, & cum נשא constructa alium solet habere sensum, mox adferendum: stat præterea illa vox per se, & conclusionem continet ex modo prolatis signis eductam; ut mox videbimus. Oportet itaque voces vertantur, vel *attollunt animam suam in vanum*, vel *tollunt*, seu proferunt, *te*, aut *nomen tuum*, *in vanum*. *Prius* si placeat, sensus erit, impios *adspirare*, quæ propria est phrasios *attollere animam*, seu flatum, spiritum, potestas, seu vehementius adpetere *falsum* & *fœdum* quodvis; quod utrumque voce שוא comprehensum est, & priori specimini subjungetur tanquam ejus principium, ex quo

Hhhh fluxe-

a Schultens Gr. p. 450.

fluxerit impietas, in eo situm, quod toti inhient mendacio, & quibusvis foedis vitiis; cui damnabili adfectioni professionem & religionem Dei adtemperant, & mancipant. Quemadmodum *perjurium*, profani animi signum, quoque subjungitur huic cupiditati Ps. XXIV: 4. *Posterius* vero si adrideat, sensus erit, eos nomen Dei falso proferre, professionem Dei, & cultum, mendaciter facere ac exercere, perjuria quoque impudenter committere, in signum animi penitus depravati, ac irreverentis in Deum & injuriosi; novumque specimen impietatis in Deum continebit, ex quo hypocrisis eorum clarissime elucescebat. Utrumque si conjungere non liceat, quod tamen non adeo foret alienum, sed & generali ac ellipticæ phrasi congruum, quæ studio censeri posset captata, ut utroque modo ellipsis suppleri possit, si, inquam, hoc non liceat, *posterius* hic præferrem; quia *Deus*, vel *nomen* Dei facilius, suppleri potest, cum ejus modo præcesserat mentio; nominis Dei abusui, & perjurio, quoque locus hic rectius datur, ubi de *impietate* eorum agitur, sicut modo de improbitate eorum erga homines dictum erat.

§. XXXVIII. Subjungitur tandem per modum conclusionis epitheton valde odiosum, quo, his prolatis improbitatis & impietatis speciminibus convenienter, adpellantur *hostes Dei;* quum addit vir pius, *hostes tui*, scilicet, *sunt.* Quod epitheton cum speciminibus impietatis subjungatur, manifestum est, illud ex iis esse eductum, & ad ea relate explicandum, adeoque *hostes Dei* eos adpellari, quod ore licet eum professi, & ritibus externis colentes, *animis* sint ab eo alieni, eumque tanquam omniscium, aut justum & sanctum, abnegent, ac homini pravo similem putent, Ps. L: 21. leges ejus spernant, & proculcent, præterea ipsum prostituant, & cultum ejus ludibrio exponant, ac, quantum in se, destruant inter homines; scopo quoque Dei in homine creando ad imaginem suam sese hostiliter opponant, & obicem ponant; denique se cupiditatesque suas in

in Deum erigant, & vero Deo, loco moto, ſubſtituant, erga alios homines, in primis pios & probos, hoſtiliter ſeſe gerant; cuncta poſtremo vincula, quibus hominum ſocietates a Deo colligatæ ſunt, perrumpant, religione ad ſcelera abutendo, & omnem veritatem, ſinceritatem ac fidem, perjuriis e medio tollendo. Quales homines quin *hoſtium Dei* titulum mereantur & jure gerant, ecquis eſt qui dubitat? De Deo idolum faciunt, nomen ejus blasphemationi exponunt, religionem ejus, & ſedem cultus, in ſpeluncam latronum convertunt, regnum Dei in mundo oppugnant, omneque jus ac fas proculcant.

§. XXXIX. Judicium excidii in improbos & impios, tanquam hoſtes Dei, ſibi non eventurum, ſed illos a ſe in judicio Dei eſſe ſejungendos, cum declaraſſet vir pius, ne illud temere feciſſe videatur, apte ſubjungit ſeparationis hujus in judicio Dei rationem, in eo ſitam, quod nihil non tantum commercii cum iis habeat in vita & converſatione, ſed adeo adfectu & moribus ab iis abhorreat, ut eorum hoſtem & adverſarium ſe profiteatur, & præſtet, verſ. 21, 22. *Nonne oſores tui odio haberem, o Jehova! & in iis, qui in te inſurgunt, faſtidio & tædio disrumperer? conſummatione odii exoſus ſum eos, inimici fuerunt mihi.* h. e. Quod tanta cum fiducia dixi, improbos & impios a me in judicio Dei eſſe receſſuros, ita ut ipſi ſoli puniantur, ego ſalvus maneam, illud non temere, & ſine ratione, adfirmavi: fundatum enim in eo eſt, quod eos, tanquam hoſtes tuos, & eo ſolum nomine, pro meis habuerim hoſtibus, & ſummopere fuerim averſatus, meque iis & verbis & factis oppoſuerim; eaque ratione demonſtraverim, me tui, tuæque gloriæ, eſſe ſupra omnia amantiſſimum & ſtudioſiſſimum: fieri enim non poteſt, quin qui tui ſtudio ducitur eos cum tædio & faſtidio averſetur hoſtes tuos, qui tibi bellum aperte indicunt, & inferunt. Verba eo, quo dixi, unice ſpectant, ut ſe in judicio longe aliam, ac improbos & impios, exſpectare poſſe ſortem, demonſtret; ratione

ab hostili animo suo in illos, quem coram Deo omniscio testari ausit, petita; quippe certissimo indicio studii sui in Deum, ejusque gloriam & legem, ab impiis proculcatam. Loquitur de hostibus & adversariis Dei manifestis, declarat, se eos summopere aversari, & odio hostili prosequi; denique illud considerari vult, tanquam signum adfectus pii in Deum; ex quo non possit non ejusmodi odium oriri. Explicemus hoc ordine verba.

§. XL. α. Adpellat eos *osores* Dei, & in eum *insurgentes*, ut peccatorum, quos in oculis habet, characteres ducat, quibus distinguerentur, & a peccatoribus in genere, & suis propriis hostibus: non enim in genere dicit, *peccatores*, nec hostes *meos*, sed, Deum adloquens, *tuos*, nec occultos & otiosos, verum publicos, & hostiliter in Deum agentes. Etsi vero fieri potuerit, ut iidem ejus fuerint hostes, qui ipsum persecuti sunt, eos tamen, qua *tales*, hic non considerat, nec objectum odii sui constituit, sed tantum tanquam hostes Dei. Ex quo simul elucescit, phrasin, vers. 22. *hostes fuerunt mihi*, non eo sensu, quem uno alterove loco præfert, esse sumendam, quo hostes significat, qui ipsum hostili odio persequuntur, sed quos ipse pro hostibus habet: quod phrasi, & ejus quoque usui, est conjunctius; ut mox patescet. *Osorum Dei* titulo addit *insurgentium* in Deum, ut, eos non esse occultos & otiosos Dei osores, sed manifestos & violentos, qui in Deum irruunt, indicaret. Qui quales sint, ex supra dictis non est obscurum. Quare nihil addo, nisi illud unum, verbum קום *surgere* in genere usurpari pro adgredi aliquid, cum studio & impetu *a*, sed in specie de *bellatore*, qui se ad invadendum, cum impetu adcingit *b*. Intendit significatum forma verbi in Hithp. בתקוממיך pro במתקוממיך, sive littera מ in principio fuerit suppressa, ad duritiem longioris vocis vitandam, sive exciderit deinceps: indicatur enim

a Schultens ad Job. I: 20. *b* Schroeder ad Ps. X: 12.

enim intensio significationis, & *frequentia a;* adeoque hostes esse, qui & vehementius, & frequentius, in Deum insurgunt, absque ut desistant; adeoque sicut summo gradu improbi & impii, ita ad finem usque & impoenitentes. Sunt autem in specie *insurgentes in Deum*, ut illud verbo moneam, 1. qui legem & præceptum Dei, vel in genere omnibus civibus, vel sibi in specie datum, scientes & volentes violant: ut Saulus bis, sed maxime altera vice fecit respectu Amalekitarum, 1 Sam. XIII: 11. XV: 22. 2. qui consilio Dei, sibi non ignoto, se opponunt, ut idem in Davide, a Deo in regem electo, præstitit oppugnando. 3. Qui personas, Deo sacras, violenter trucidant; cujus criminis sese Saulus quoque reum egit, 1 Sam. XXII. Denique 4. qui viros probos, & de rep. optime meritos, ad necem quærunt. Quod Saulus quoque respectu Davidis, & qui ipsi favebant, egit; ut notum est. 5. Postremo, qui, pravo religionis zelo acti, juramentum violant, & scelus patrant, ut Saulus rursus fecit in *Gibeonitis* exterminandis. 2 Sam. XXII: 2.

§. XLI. β. Tales peccatores & sceleratos declarat sibi esse odio & tædio, & quidem summo, eosque se habere pro apertis suis hostibus. Quod interrogatione, *nonne odio haberem?* non satis habuit insinuasse, sed manifestius, sermone maxime emphatico, quoque profitetur, vers. 22. *consummatione odii eos exosus sum*, *pro inimicis fuerunt*, suntque *mihi*. Ad quæ verba habeo tantum *duo* observanda: *alterum* est, *consummationem odii* esse odium perfectum, absolutum, ad exactissimam rationem libratum, alte infixum menti & summum. Quæ emphasis est vocis תכלית *consummationis b*. *Alterum* est, voces, *inimici sunt mihi*, non tam significare, eos hostili in virum pium esse animo, quam eum ita in eos esse adfectum. Licet prius illud quoque verum esset, tales tamen eos hic non consideravit, cum non *suos*, sed *Dei* hostes adpellet, & qua tales decla-

 ret

a Schultens Gr. p. 266. b Id. ad Job. XXVI: 10.

ret sibi esse odio; quo cuncta superiora etiam tendunt, quibus professus est, se eos odisse, & tædio in iis disrumpi. Accedit, si hostilem eorum animum erga se & impetum in oculis directe habuisset, alia ratione mentem expressurum fuisse, vel *inimicus fui ipsis*, לאויב הייתי להם, ut recte Gejerus, vel saltem vocibus aliter ordinatis, הין לי לאויבים ut Thren. I: 2. Indicat itaque, ut omnia summatim complectar, se pietatis, probitatis & virtutis, respectu & causa, hac sola & nulla alia de ratione, 1. fuisse ab iis & animo, & vita ac conversatione, sejunctum, eorumque consortio & amicitiæ renunciasse; quo sensu *patrem* & *matrem* jubemur *odio* habere Christi causa Matt. x. ipsam etiam *animam*, vel vitam hanc animalem; uti notum. 2. Insuper fastidio & tædio eorum, qua sceleratorum & impiorum, tam gravi fuisse adfectum, ut fere *disruptus* fuerit, utique ferre vix potuerit; quod vers. 21. indicatur. 3. se impias & sceleratas eorum adfectiones & actiones aversatum fuisse, earumque respectu & eos quoque odio fuisse prosecutum, qua tales. 4. nec illud transitorie, temere, & leviter, sed deliberate, fixo ac bene librato judicio, vehementer, & constanter; quamdiu tales sint. 5. Denique se ipsis bellum indixisse, & eos tanquam hostes & inimicos tractasse, & in eo perseveraturum, partim Deum orando, ut conamina eorum quovis meliore modo retundat & destruat, partim sibi ab iis tanquam hostibus cavendo, partim denique se iis palam opponendo, sive verbis sive factis; ne sibi aut aliis noceant.

§. XLII. γ. Hac tam seria declaratione animi sui in hostes Dei non contentus, eam insuper considerari vult, tanquam pietatis suæ signum, & necessarium consequens, simul personæ suæ congruam; his verbis, interrogative prolatis, vers. 21. *nonne osores tuos, Jehova! odio haberem? & in iis qui in te insurgunt, fastidio & tædio disrumperer?* h. e. fieri non posset, si vere pius sim, & tui gloriæque tuæ studiosus, quin ita sim adfectus erga osores tuos; hoc

est

est veræ pietatis signum & necessarium consequens; adeoque vel eo sim animo necesse est, vel fucata me lactem pietate: sed sincere tibi profiteor, o Deus! me talem esse, non amicum, sed acrem & apertum eorum hostem; uti mox subjungit. Qua ratione oratio apte cohæret. Præmittit odium hostium Dei, tanquam necessarium pii viri requisitum; & subdit, sibi illud convenire. Verba itaque, vers. 21. vero suo conspectu pietatis aliquod criterium continent, relate ad impios; quod quum in prima persona proponit, *nonne odio haberem* &c. ipse pii viri personam induit, & se talem haberi vult: quod clarius evadet, si, quod hic reticetur, aperte pronuncietur, hac ratione, *nonne*, qui pium me censeo, & tanquam talem a te justificari volo, quod in hoc Ps. intendo, *tuos osores odio haberem?* &c. imo vero, interrogatione in adfirmationem, quam involvit, versa, *odio habere debeo*, si pius sim vere, & non fucate. Sensus itaque est, veræ pietatis signum & necessarium effectum esse impios homines, qui Deum odio habent, odisse, præterea suæ personæ, quam inter homines gerebat, illud omnino, & magis, esse consentaneum. Quo in prima persona loquens haud obscure tendit: *nonne ego*, qui pietatem & virtutem amo & colo, quique peculiarem ad Deum habeo relationem &c. Duo itaque hic significat, *alterum*, cum pietate arcte esse connexum odium impiorum, adeoque se, qua talem decere, *alterum*, personæ, & relationi suæ ad Deum, illud adhuc magis esse congruum.

§. XLIII. *a. Prius*, quam paradoxum & absonum etiam ad primam speciem videatur, amori hominum, omnibus injuncto, & magis ipsorum inimicorum, nos pietatis causa etiam persequentium, fidelibus sub Euangelio præscripto, e diametro contrarium; facile se adprobabit ei, qui *odium* illud nihil aliud esse adtenderit, quam vitiorum & scelerum, nec hominum, nisi qua talium, qui sese peccatis toti mancipatunt, & incorrigibiles sunt. Quale *odium*,

modo

modo ex vera pietate ortum sit, legitimo & debito amori proximi, etiam inimici, non adversatur. 1. Quia *odii* objectum non est homo, aut inimicus meus, qua talis, sed vitium & odium Dei in ipso, adeoque ipse tantum qua hostis Dei. 2. Nec qualiscunque peccator, sed qui gravis est & incorrigibilis, declaratus Dei, pietatis & virtutis, ac piorum, qua talium, hostis, ut supra exposui, adeoque, qui nihil boni moralis habet, quod amore dignum, & ejus fundamentum est. 3. Denique ipsum illud odium non excludit justitiæ & humanitatis officia ipsi præstanda, quæ integra manent, tanquam ipsius pietatis præcepta, ex qua hoc odium oritur, sed, his salvis, continet impietatis & improbitatis eorum aversationem, arctioris cum ipsis societatis & conversationis negationem, nec non impiorum moliminum oppugnationem, quantum persona, status, & relatio nostra permittit, vel postulat. Hoc tale odium tantum abest, ut pietati & virtuti adversetur, ut necessarium ejus sit requisitum & effectum; quemadmodum Ps. xv: 4. inter characteristicas eorum, qui Deum rite colunt, & eo fruuntur, qualitates occurrit, quod *reprobus*, seu reprobæ mentis homo, sit ipsis *spretus* & odiosus; ipseque Apostolus declarat, 2 Cor. vi: 14. *justitiæ cum improbitate non esse consortium*, *nec luci communitatem cum tenebris*, *Christo cum beliale consortium*, adeoque impiorum nos non debere esse *socios jugales*. Quod facile sese cuique, ad rem debite adtendenti, comprobabit. Quid enim aliud est hoc odium ac *inimicitia inter serpentem & mulierem*, *ac utriusque semen*, a Deo mox post lapsum instituta? pietas & impietas cum sibi e diametro adversentur, illius amor necessario hujus odium adferet. *Nemo duobus dominis servire potest*, Deo & mundo corrupto, sed alteri adhærebit, alteri renunciabit, alterum amabit, alterum odio habebit, Matt. vii. Qui gloriæ Dei, ejusque regni promovendi, studio flagrat, fieri non potest, quin contraria studia & molimina detestetur, &, quantum in se, status ac officii

officii ratio patitur, sufflaminet, ac destruat. Qui pietatis & virtutis ergo proximum amat, ut decet, non potest non impietatis & scelerum causa odisse reprobi animi improbos. Quid? quod qui proximum vere amat, ejus felicitati & saluti intentus, scelestos homines, qua tales, non feret, sed, si corrigi nequeant, repellet, vel eliminabit, tanquam pestes: fileo, illud ipsum odium impiorum, si recte sese habeat, *amori* ipsorum qua hominum convenire, & originem debere, cum ipsos a summo malo liberare aptum natum sit, vel in via impietatis pergere, judiciumque eorum adgravare, impediat.

§. XLIV. *b. Posterius*, quod de hoc odio Davidi maxime conveniente dixi, facile elucescet, si *personam* ejus debite advertamus, & *relationes* ad Deum, ac meliorem populi Dei partem. Erat singularibus a Deo beneficiis adfectus, & donis cumulatus, Spiritu Dei actus, ac gloriæ regnoque Dei promovendo destinatus, electus vicarius Dei in terra, pietatis quoque ardente studio flagrans, ejusque illustre exemplum, & patronus, in quem piorum oculi erant conjecti, & cui improbi quivis sese opponebant. Talis, tantusque, vir cum esset, & eam gereret personam, dubium non est, quin recte dicere potuerit, & debuerit, *nonne osores tuos odio haberem, Jehova!* &c. egone aliter adfectus essem, aliter me gerere possem, debeamve? ego, qui tantopere tibi sum obligatus, ad tam præclaram conditionem destinatus, ut tuum regnum inter homines stabiliam, ego, qui tibi devotus, nihil præter te in coelo & terra habeo amoris & desiderii mei objectum, *ego*, qui in omnium oculis versor, tanquam piorum & pietatis præsidium & desiderium, impiorum hostis, quem ferre nequeunt, *egone*, talis cum sim, *osores tuos non odissem?* pietatis, virtutis, gloriæ & legis tuæ, tuorumque piorum & fidelium, hostes, Satanæ filios, peccatorum ac scelerum patratores ac patronos, non aversarer, & reprimerem? Conf. Ps. CI. ubi illud expresse agit & deducit David. Quæ, summatim

matim proposita, & ab unoquoque facile extendenda, licet necessarium & Davidi congruum esse hoc odium clare demonstrent, & sufficiant, accessit tamen aliud, quod hanc confessionem ipsi quasi extorsit, & magis necessariam fecit. Suspectus non tantum, sed reus erat actus pravæ ambitionis, perduellionis, & innocui sanguinis effusi, vel effundendi, adeoque hypocrisios in religione & pietate, qui ejus prætextu Sauli vitæ & regno ejus imminebat, adeoque Dei osor, & impiorum socius erat. Quam iniquam suspicionem, & malignam calumniam, ut refutaret, quod in hoc Ps. agit, opportune admodum coram Deo profitetur *odium* sceleratorum hominum, quo adfectus erat. Qui verus est pericopæ *conspectus* & *scopus*: quem nunc accuratius exponere adgredior; quod supra me facturum dixi.

§. XLV. Duo sese in hac pericopa offerre videntur, quæ alios offenderunt, aliis ansam præbuerunt abutendi, & in pravum trahendi exemplum: *alterum*, quod impiorum perniciem optaverit, *alterum*, quod eos tam acerbo prosequatur odio, illudque, tanquam laudabile, coram ipso Deo confiteatur. Sed *prius* fictum est, *posterius* male acceptum. *Prius* non nisi in perversa interpretatione voculæ אם *si* vers. 18. *si occides Deus impium* &c. fundatum est, acsi esset *optative* capiendum, pro ο, *si*, *utinam*: quod supra refelli; *conditionatam* voculæ potestatem, quæ propria ei est, retinendam esse demonstrans. Quæstio itaque, num & qua ratione optare liceat necem impiorum, hujus non est loci; adeoque a nobis prætermittitur. *Posterius* vero, cum, quo sensu odium hoc sit legitimum, & Davidi aptum, modo in luce collocaverim, moram quoque non injiciet, nec ulteriorem operam, ad abusum avertendum, requirit, quam ut *rationem* pandam, quare in hanc confessionem tam seriam & emphaticam eruperit, & *scopum*, quem intendit David, tradam. Cum Ps. eo tendat, ut fundamenta exspectationis suæ justificationis a Deo in judicio expo-

exponat, pericopam hanc eo ultimo collineare, & referendam esse, manifestum est; ut, sicut in adfectionibus & actionibus longe diversus sit ab impiis, ita in judicio Dei, quod impios tantum ferit, se aliter esse tractandum, nec cum iis e medio tollendum, adpareat. Quod ex professo alibi sæpe ursit, in specie Ps. XXVI., qui omnino conferendus est. Hoc itaque scopo odium suum erga improbos declarat, ut se ab iis longe esse alienum, & aliam a Deo sortem mereri, demonstret. Præterea, cum hostes ipsum suspectum reddebant, & traducebant, tanquam ambitione & cupiditate prava agitatum, qualem vox רשע proprie designat, *virum sanguinolentum*, & *hypocritam*, qui Deum ad scelus loqueretur, eas criminationes a se repellit, odium talium hominum coram Deo professus: quod tanto opportunius & fortius facit, quanto major & plausibilior erat prava suspicio, & ansa hostibus, eum insimulandi. Prava ambitio & regni adfectatio ipsi facile imputabatur, non tantum quod viro forti, & de populo tam præclare merito in Goliatho occidendo, & Philistæis debellandis, populique adplausu jam condecorato, ea facile obrepat, sed & quod a Samuele, jussu Dei, jam designatus erat successior Sauli, seu rex Israelis: quod epitheton *improbi*, proprie cupiditate jactati, facile parere poterat. *Viri sanguinolenti* nota inuri poterat ab hostibus, quod sanguini hostium effundendo adsuetus, facile truculentiam induerit, *Sauli* quoque, ut ambitioni litaret, necem quæreret, *causam* quoque dedisse haberetur cædis *sacerdotum Dei;* ut ipse innuit, 1 Sam. XXII: 22. Denique *pro socio* sceleratorum traduci poterat, quod coram Saulo fugienti sese adjunxerint viri famæ minus honoratæ, 1 Sam. XXII: 2. Quo accedit, ipsum mox eam suspicionem de se confirmaturum videri posse, ad Philistæos se convertendo: quo tempore Ps. dixi compositum esse. Cum autem Dei & religionis studium ubique spiraret, quid propius, quam ipsi imputare hypocrisin? qua *Deum loqueretur scele-*

ste & ad scelus. Hoc in rerum statu ut se justificaret, & atroces, licet speciosas, calumnias a se removeret, coram Deo omniscio, & justo judice mundi, declarat, se ab iis vitiis & criminibus non tantum esse purum, sed summopere abhorrere, ita ut ejusmodi sceleratos & impios, tanquam *osores Dei*, perfecto prosequatur odio, qui qualesque etiam sint, sine discrimine omnes, & in genere.

§. XLVI. Ex quo simul elucescit, ipsum non sine ratione tam emphatice esse locutum, nec directe hos illosve, Saulum ejusque socios, sed in genere qualescunque in animo habuisse ejusmodi criminum reos. Quod ad genuinum verborum conspectum, & Davidis defensionem, multum facit, 1. *Odium* suum erga sceleratos & impios fortius exprimit, quam alias fecisset, *cum* quod indignatio super atroce calumnia animum ejus concitaverit, extra se rapuerit quasi, & bilem moverit; adeo ut pro adfectuosa haberi debeat oratione, non ad vivum resecanda, *tum*, ut innocentiam suam clarius & certius testificaretur. 2. Sed non hos aut illos, non hostes suos definite, sed in genere qualescunque sine discrimine impios & improbos directe in animo habuit: adeoque impietatem & improbitatem in genere sibi odio esse proprie & directe declarat: quare generali etiam sermone usus est. Instituit itaque hoc loco David fere quemadmodum Job. XXVII: 6, 7. *Justitiam meam retineo, neque eam dimittam, non carpet quicquam cor meum de diebus meis. Fiat, ut improbus, inimicus meus & insurgens contra me, sicut injustus* &c. h. e. ut verbis Schultensii utar, *manibus pedibusque obnixi id agitis, ut me vel impium esse fatear manifestum, vel saltem hypocritam. Atqui nullum apud me nomen ominosius, odiosiusque; quippe ad quod totus horreo & contremisco, non inveniens, quid vel capitali hosti meo dirius imprecari possem. Vides hoc pacto*, addit in rem Vir Clar., *imprecationem nullam in cujusquam caput, vel oblique, vel directe jaci: sed tantum insinuari a viro sancto, quid summum apud se gradum abominationis & diritatis occupet*,

occupet, ut si quid capiti alicujus devovendum haberet ad perditionem tum temporalem, tum æternam, improbitate, vel felicissima, nihil gravius reperiri. Qua ratione defendi posset David, si vel *optative* dixisset, *utinam occideres improbum;* quod non fecit, ut modo observavi: ad *odii* fortissimam declarationem, ab omni criminatione liberandam, adtulisse suffecerit.

§. XLVII. Verum enim vero calumniam censeri potest non tantum retudisse, & eo scopo odium erga impios, qua hostes Dei, testificatus, quod, ut dixi, directe intendit; sed & in veram calumniantium accusationem vertere, qua tacite eos eorum criminum reos agit, & eo nomine *odio* dignos; adeo etiam ut se eos, non qua hostes suos, nec qua homines, & in dignitate positos, sed qua hostes Dei, quales se præstabant, odio habere, idque legitime, vi pietatis in Deum adactum, tacite insinuatum iverit: acsi dixisset. Dicam impietatis mihi impingunt Saulus & socii, meque ipsos odio habere, tanquam ambitiosum & sanguinolentum, & coram Deo esse hypocritam, insimulant: sed, quantopere ab iis vitiis & sceleribus alienus sum, vel ex eo patet, quod Tibi, o Deus! profitear, me tales summo prosequi odio, qui eorum criminum rei sunt: quod si ipsos quoque odio habeam, ejus sola causa est, quod sese odiosos præbeant, tanquam sceleratos & inpios, eorum vitiorum & criminum vere rei sint, quorum me accusant; quo nomine fateor me eos detestari, & pro meis declarare hostibus; salvis tamen justitiæ & humanitatis officiis, quæ ipsis, qua hominibus & dignitate illustribus, debeo, & ipsa pietas in Deum exigit. Significat itaque tacite, eos esse improbos & impios, & odium suum erga eos non esse hominis ambitiosi & scelerati, verum pii & probi, qui osores tantum Dei, & eo solum nomine, odit; quales sese præstabant. Fatetur odium, sed longe aliud, ac ipsi maligne interpretabantur, *odium* erga eos tantum qua *hostes Dei;* quales non possit non, tanquam

pius Dei cultor, deteſtari. Hac ratione refutat non tantum calumniam hoſtium, ſed in proprium eorum caput recidere facit; eos tales eſſe, & eo nomine vere odioſos ſibi & piis aliis, declarans. Commendat hunc pericopæ conſpectum indirectum & obliquum, *cum* quod in Saulum & ſocios cuncta recte quadrent, ut ſupra vidimus, *tum* quod & alibi ſimile telum in ipſos occulte vibraverit, ut, ne de Pſalmis memorem, in quibus illud frequens eſt, in ipſa hiſtoria 1 Sam. XXIV: 13, 14. *Judicet Jehova*, inquit David Saulo, cujus vitæ modo pepercerat, *inter me & te, & ulciscatur Jehova me a te, ſed manus mea non erit in te, ſicut antiquum dicit proverbium, ex improbis egreditur improbitas:* quo dicto David ſuam probitatem directe demonſtrat, quia ſe non impium, ſed pium modo comprobaverat Saulo, ſed indirecte Saulum impietatis arguit, & judicium Dei ipſi denunciat.

§. XLVIII. In *ultima* Pſ. parte repetit judicialem Dei explorationem, quacum inceperat verſ. 1., adeoque concludit, ſicut orſus fuerat, canticum, hoc ſolum cum discrimine, quod in principio fiduciam juſtificationis ſuæ in judicio exploratorio, a Deo inſtituendo, directe intendat, & ſe Dei examini indirecte tantum offerat, in *clauſula* vero examen judiciale directius petat, cum certa fiducia adprobationis Dei, addita ſupplicatione *ductionis* Dei, tanquam paſtoris, in *via* ſignata, & æterna. Verba ita ſonant, verſ. 23, 24. *Subtilisſime explora me, Deus! & cognosce cor meum, proba me, & cognosce intimas meas adfectiones; & vide, ſitne via ſtrictionis in me? & deduc me in via æternitatis.* h. e. Quod in principio dixi, me, a te exploratum, eſſe adprobandum, & juſtificandum, illud cum fiducia nunc ut fiat, peto; inſtitue examen judiciale, explora & proba intimas & dominantes animi mei cogitationes & adfectiones, cognosce & vide, ſeu adparebit, ac in oculos incurret; animi mei

mei totam actuositatem nihil habere, quod me aut alios stringat, aut dolore adficere queat, opusque vinculo stringente & reprimente habeat; sed, contra, me viam signatam, regiam, antiquam, & æternam insistere; in qua ut me deducas porro instar pastoris, ne ab ea aberrem, supplex oro. Qua paraphrasi cum scopum & sensum in omni complexu suo repræsentaverim; in ea illustranda versabitur opera nostra, ut adpareat, eam ex verbis recte esse eductam. Quem in finem ante omnia notandum est, petitionem explorationis & ductionis non esse animi, de statu & vita sua, ejusque rectitudine aut pravitate, dubitantis, ac soliciti; qui explorari a Deo cupit, ut sibi innotescat ipse, & in viam rectam ac salutarem, nondum calcatam, duci petit, sed de probitate ac innocentia sua probe persuasi, qui divino illam petit adprobari testimonio, & in via, quam tenuit, confirmari, ac ulterius deduci, supplicat. De quo ex toto Ps. facile constat, & ad vers. 1. abunde egimus. Duo itaque cum fiducia petit, *alterum*, ut a Deo judice exploretur, respectu intimarum animi adfectionum, sintne malæ an bonæ? *alterum*, ut in via recta & regia conservetur & dirigatur.

§. XLIX. Quod ad prius adtinet, α. petit, ut exploretur & probetur a Deo β. idque eo scopo, ut rectitudo animi & adfectionum adpareat, & adprobetur. α. Petitio ipsa, verbis *explorandi* & *probandi* a Deo judice expressa, nihil habet difficilis; sive unum idemque diversis insigniatur verbis; quorum alterum, חקר exactissimum scrutinium, ad minutias usque, a primaria *attenuandi* potestate ad summam exilitatem, *posterius* בחן *explorationem*, *terendo* ad coticulam, a primigenia terendi, lævigandi, potestate, utrumque itaque exactissimam explorationem & probationem, denotat, sive prius ad *scrutinium* judiciale, posterius ad *probationem* experimentalem per mala & adflictiones, quibus quis tentatur, & virtutis

virtutis signa eliciuntur, referatur: sumitur enim pro quoque pro *tentare* malis, seu vexare & adfligere: uti Job. VII: 18. quale quid sibi a Deo contigisse tradidit vers. 3., ut ibi vidimus. Petit itaque, ut a Deo examinetur judicialiter, etiam, ubi opus fuerit, ulterius exploretur & tentetur, experimentumque sui animi capiatur.

§. L. β. *Scopum* & *effectum* examinis & explorationis exponit, quum addit, *& cognosce cor meum*, *intimas meas adfectiones*, & *vide*, *num sit in me via strictionis*. h. e. explora cor & adfectiones meas, ut adpareat, sicut adparebit, nihil perversi & improbi esse in cogitationibus & adfectionibus meis, sed, contra, me *viam seculi* insistere. Verba, *cognosce* & *vide*, scopum & effectum examinis instituti declarant, adeoque significant, & ut cognoscas, & reapse cognosces: sicut vers. I. habuimus, *ut cognoscas*, vel & *cognosces*. *Cognoscere &videre* conjunguntur ad certam & claram rei manifestationem denotandam, coram Deo & hominibus. *Cognosces* scilicet, tanquam judex, post examen, & causæ accuratam investigationem; quod idem est, ac *cognoscetur* & *adparebit*. Loquitur humano more de Deo, tanquam judice; ut facile adparet. Sed quid fiet manifestum? cordis & adfectionum intimarum innocentia & rectitudo. *Cognosce*, dicit, *cor meum* & *adfectiones meas*, *vide num sit in me via strictionis!* h. e. cognosce, nihil in corde & adfectionibus meis esse strictionis. Hac enim ratione sermo est ordinandus & intelligendus, acsi dixisset, *cognosce & vide num sit in corde meo ac adfectionibus via strictionis?* Quæ forma loquendi non est dubitantis, sed negantis, & contrarium adfirmantis, idemque dicit, ac *cognosce*, non esse tale quid in me, sed contrarium; non *viam strictionis*, sed *viam æternitatis*, quod ex seq. membro supplendum est; cum illud insinuet, eum esse in hac via, & preces tantum contineat pro conservatione

ne & directione sui in ea: ut mox videbimus. *Cor* & *cogitationes*, seu *adfectiones* intimas ac dominantes, cum memorat, vel *cordis* seu animi cogitationes & adfectiones simpliciter intelligit, vocibus illis elegantiæ causa tantum divisis, vel nomine *cordis* restricte comprehendit tantum *intellectus* & *judicii* actiones, & nomine altero *voluntatis* adfectiones & operationes, quæ alias *animæ* vocabulo insigniuntur; ita *cor* & *anima* subinde eo sensu conjunguntur, ut Deut. VI. *amare Deum toto corde* & *tota anima.* Quicquid sit, voce שרעפי intimas & dominantes animi adfectiones exprimi, certum est, sive sit ex duabus radicibus, שרע *tendere*, *extendere* in longum, & שעף vel סעף, sive ex שעף cum ר epenthetico notionem intendente, ut apud Arab. & Chald. *a.* Radix vero שעף & סעף proprietatem habet apud Arab. in *cacumine* & *vertice* omnis rei, speciatim montis, & coma capitis propendula, nec non arboris; unde pro *capite cordis* usurparet, quo titulo intelligunt id, quod in corde *præcipuum* est & q. summum cacumen, figurate vero *secretissimas* cogitationes designat, quæ totum cor occupant & implicant cum *vehementiore adfectu*, etiam quæ *distrahunt b.* Sunt itaque hoc loco intimæ & dominantes animi adfectiones.

§. LI. Adtribuit his animi sui cogitationibus & adfectionibus *innocentiam* expresse, & *puritatem* ac rectitudinem implicite. *Priorem* exponit, cum dicit, vide num *sit in me via strictionis.* h. e. in meis intimis cogitationibus ac adfectionibus aliquid, quod me aut alios stringit, seu strictione opus habet ac represione. *Via* hic significat cogitationes, deliberationes, & proposita; quo sensu Deo quoque adtribuitur, & cum *cogitationibus* permutatur, ut Jes. LV: 8. sed una cum actionibus, inde fluentibus, & secundum eas institutis. Sic petiit Moses,

a Simon form. nom. p. 674. in not. *b* Schultens ad Job. IV: 14. XX: 2.

ses, ut Deus ipsi *vias suas* manifestaret Ex. xxxiii. Viam eo sensu hic venire, inde confirmatur, quod addat *in me*, num sit *via in me*? scilicet propositum, consilium, quod actiones meas dirigit, quibus mens mea intus incedit, & quas ipso opere tenet extus. Sed quid est via עצב? in genere, secundum proprietatem radicis, *strictionis*. Proprie enim denotat *firmiter vinxit*, *arctiusque strinxit*, nervis ac tendinibus colligavit; unde עצב est *nervus*, ac nervorum in corpore implicatio ac contextura Job. x: 8. Prov. v: 10. xv: 23. ex quo fonte etiam idoli fluxit usus, q. d. simulacrum affabre factum, eaque arte elaboratum, ut vivere ac spirare videatur. Praeterea alio flexu *vincire*, tum in *corpore*, tum in *animo* percrebuit, pro *dolore adficere*, q. d. nervo, vinculove adducto male urere, in specie, rigidissime, & nervis, quod dicitur, intentis exercere *exactiones* & oppressiones Jes. LVIII: 3. nec non vinculis urentibus, quae notas & maculas lividas relinquunt, constringere animal libidinosum & exorbitans *a*. *Via* itaque *strictionis*, sic absolute dicta, nullo addito restrictionis signo, adeoque latissime sumenda, est propositum & institutum vitae 1. valde arctum, constrictum & impeditum, quod ubique offendit, & laqueos injicit, ac vincula urentia & maculas relinquentia, adeoque pravum, prohibitum, & contumeliosum. *Semitam non adgestam*, vel stratam, adpellat Jer. XVIII: 15. 2. idololatricum, quo secundum praescriptum & religionem, *viam idoli dictam*, inceditur: cujus ratio hic apta habetur, quia ad Philistaeos, idololatricam gentem, paratus erat se conferre: unde suspicio & accusatio animi idololatrici potuit oriri. Conf. 1 Sam. XXVI: 19. 3. tyrannicum, quo alii premuntur & opprimuntur, vinculisque arcte constringuntur. 4 denique *dolorificum*, quo animus & conscientia laceratur, & homo judiciis divinis mancipatur ad summam infelicitatem & molestiam.

§. LII. Sed


a Schultens Defect. §. 154. & Ambig. §. 29.

§. LII. Sed negat non tantum ejusmodi viam a se teneri, &, instituto examine, deprehendendam in se esse a Judice supremo, verum contrarium de se adfirmat, quum subjungit, quæ *altera* est petitio, *& deduc me in via seculi* vel *æternitatis*: sic enim vertenda sunt verba, & non *in viam*; indicat enim, vel præsupponit, se *in ea via* esse, opposite ad *viam strictionis*, quam modo a se removerat, adeoque petit tantum, ut Deus se in ea conservet, & deducat ad optatum exitum, instar pastoris gregem minantis & deducentis; est enim verbum נחה pastoritium, & dirigere ac *deducere* denotat. Sed quid est *via* עולם *seculi* vel *æternitatis*? Phrasis in Script. bonum in sensum & malum occurrit; dicitque & pravum, & laudabile ac bonum vitæ institutum. *Priore* sensu in malum reperitur Job. XXII: 15. *Profecto viam seculi*, ארח עולם, *servas, quam calcarunt sodales vanitatis.* In bonum vero Jer. VI: 17. *consistite juxta vias & videte & rogate de viis seculi; ubi hæc via bona illa!* nec non c. XVIII: 15. *Impingere eos fecerunt in viis ipsorum* (ipsis præscriptis & præparatis,) *viis seculi* (planis & probatis) *ad ambulandum semitas, viam non aggestam.* Cum priori sensui hic locus non sit, ut facile adparet, *posterior* est adoptandus; qui ex vocis עולם significatione facile sese offert, sive propria, sive translata adtendatur. Proprietatem habet in *signando*, sigillo impresso notando; unde inter alia ad publica autoritate munitum, ac signis impressis tritum, nec non *æternitatem*, seu signatam, & hominibus occultam, durationem, transiit *a*. *Via* עולם itaque erit, si propriæ & translatæ significationis ratio habeatur, institutum vitæ 1. *signatum* a Deo, & ejus autoritate munitum: sicut Joh. VI: 27. filius hominis dicitur a *Patre signatus*, & obsignatus; simul ab ipso *custoditus*, & ipsi consecratus. Quo sensu capi posse Ps. XLVIII:

a Schultens Defect. §. 163.

XLVIII: 15. *ducet nos* עלמות *signate*; *signatura pastoritia notatos & distinctos*, observat Schultens *a*. 2. antiquissimum, seu ab ante æternum, seu vestigiis sanctorum per omne retro tempus pressum, & notatum, uti Prov. XXII: 28. *terminus* עולם est *antiquus*, & post duraturum in æternum, quod itaque nunquam aboleri poterit, sed ab omnibus calcandum & tenendum est: uti Jer. l. c. & in phrasi simili Jes. XXIV: 5. *fœderis æterni*; ubi vid. Cl. Vitringa. 3. Denique quod ducit ad æternitatem, seu ad felicitatem durabilem & æternam. In quibus si acquiesci nequeat, nihil rectius suppetit, quam cum Polo *viam tuam* legere, adfixo ך *tua* latente & absorpto in littera eadem præcedente vocis דרך & sensum constituere, quo petat, ut Deus ipsum deducat *in via sua*, seu Dei, *in perpetuum*; ut עולם sit pro לעולם *in æternum*, seu per omnem vitam.

a l. c. §. 189.



PSALM.

PSALM. CXL.

1. *Præcentori, Psalmus Davidis.*
2. *Libera me, Jehova, ab homine maligno, custodias me a viro crudissimæ violentiæ.*
3. *Qui machinantur mala in corde omni die deflectent*, vel *insidiari solent, in bello acerrimo.*
4. *Acuerunt linguam suam instar serpentis, venenum aspidis sub labiis ipsorum. Sela!*
5. *Serva me, Jehova, a manibus improbi, custodias me a viro violentiarum; qui cogitarunt inpellere gressus meos.*
6. *Occultarunt tumidi grassatores laqueum mihi & funes; expanderunt rete ad latus orbitæ; tendiculas mihi posuerunt. Sela.*
7. *Dixi Jehovæ; Deus meus tu es, exaudi, Jehova, vocem supplicationem mearum.*
8. *Jehova Domine robur invictum salutis meæ* es, vel fuisti; *prætexuisti capiti meo die armaturæ.*
9. *Ne concedas, Jehova, desideria impii; capistrum ejus ne luxes, efferrent*, vel *ut efferant, Sela!*
10. *Caput*, inquam, *qui me circumagunt. Vexatio adfligens labiorum ipsorum involvet eos.*
11. *Divergentur super eos prunæ ignitæ, cadere ipsos faciet in ruinas fractas, non surgent.*

12. *Vir linguæ non firmabitur in terra; virum violentiæ venabitur malum ad protrusiones usque.*

13. *Novi, Jehovam litem adflicti acturum, judicium inopum.*

14. *Profecto justi laudabunt nomen tuum, sedebunt recti cum facie tua.*

PROLEGOMENA.

§. I.

Argumentum Ps. est viri pii, Deoque singulari foedere conjuncti, & singularis ejus curæ objecti, in liberatione quoque & conservatione multiplice in bello & prælio demonstratæ, nunc aliquandiu ab improbis calumniis obruti, & omni modo, qua arte qua marte, ad necem quæsiti, supplex ad Deum oratio, qua conservationem & liberationem ab eorum infestationibus petit, una cum fiducæ testificatione, qua preces exaudiendas, & improbos illos e medio tollendos esse quantocyus, sese persuasum esse declarat, in eo etiam fundata, quod Deus improbos, calumniatores & violentos persecutores, ferre non soleat, sed suis consiliis perire sinat, tenues vero & humiles vindicare, justosque coram facie sua sedere & lætari facere soleat. Incipit cum supplicatione liberationis suæ ab improborum, quorum lineas ducit, insidiis & oppugnationibus, quarum aliquam dat notitiam, dein fiduciam suam in Deum, tanquam suum, & cujus protectione in bello & prælio haud una vice gavisus erat, declarat, qua sibi promittebat exauditionem precum, & hostium inproborum repressionem, ac destructionem brevi secuturam esse, confidebat. Quando denique subjungit,

git, etiam ad fiduciam suam firmandam, generales quasdam veritates, seu regulas providentiæ Divinæ, calumniatores & violentos persecutores in terra non firmari, sed exterminari; tenues & humiles oppressos vindicari, justos Deo coram frui, & nominis ejus laudandi materiam habere.

§. II. Ad cujus argumenti verum conspectum facit, notasse 1. personam loquentem esse pium non tantum & justum virum, uti facile patet, & vers. 19. etiam indicatur, sed & singulari modo Deo consecratum, & foedere ipsi junctum vers. 7. qui etiam protectione Dei in bello ac prælio gavisus erat in specie, vers. 8. 2. Eundem esse, & aliquandiu fuisse, odii & persecutionis hominum inproborum objectum, qui depinguntur tanquam machinatores mali, & insidiatores ad bellum inferendum innoxiis ac justis quibusvis, simul calumniatores & obtrectatores acerrimi vers. 3, 4. 3. Infestationem illam fuisse in eo sitam, quod calumniis ipsum obruere, & quibusvis artibus, ac modis aliis hostilibus, ubicumque perdere conabantur, vers. 5, 6, 10. 4. Infestationem illam non tantum aliquandiu durasse, ut ex verbis præt. temp. vers 6, & improbitatis signis extantibus & notis, a quibus colores, qui depingunt eos, desumti sunt, vers. 3, 4. patet, sed nunc ad summum venisse, ita ut frænum a Deo fuerit coeptum injici, & judicium eorum ante fores. Quod colligi posse videtur ex judicii Divini, ipsis imminentis, declaratione, cum fiducia facta, vers. 9--11. ut suo loco videbimus.

§. III. Quæ criteria nos non tantum ad tempus persecutionis Davidis, qui autor Ps. est, a Saulo, & aulicis ejus in genere ducunt, quod communiter admittitur, sed in specie ad illud, non Doegi & Ziphitarum 1 Sam. XXII. XXIII. ut multis videtur, sed quo summum adtigerat gradum, & a fini suo prope aberat, adeoque, quo ad Philistæos sese vertere constituit, & Saulus ab eo quærendo

rendo desistere debuit, mox etiam bello cum Philistæis implicitus fatum, hic prædictum, invenit cum aliis *improbis*, David vero cum sociis vindicatus & in *throno* collocatus est. Quo ultimum criterium haud obscure tendit, & ex quo pericopa vers. 6--11. inprimis illustranda est: ut tractatio docebit. Conf. dicta ad Ps. xxxv. ejusdem temporis, quæ ad hunc nostrum etiam adplicanda sunt: sicut & quæ de *scopo* ibi adtuli, huc transferri possunt; quare ad *structuram* orationis, & *analysin*, mox pergere licet.

§. IV. Oratio in precatione & fiduciæ ac exspectationis declaratione continuo ad Deum dirigitur, nisi quod in prædictione exitii imbroborum de Deo in tertia persona loquatur, quod etiam facit, ubi generales providentiæ regulas respectu impiorum & piorum, illorum repressionis, horum vindicationis, exhibet, excepto, quod, *justorum* sortem repræsentaturus, sermonem rursus ad Deum vertat. Loquitur autem una eademque persona, cum nullum sit diversarum indicium, male in vocula *Selah* quæsitum; quod sæpe alias observavi. Sermo parum habet impediti, si verba recte intelligantur, emphaticus tamen & subinde figuratus; ut passim in odis Davidicis. *Partes* tres sunt generales, in quas recte dividitur. I. *Prima* continet nudam supplicationem conservationis & liberationis ab improborum insectationibus, bis cum insigni variatione, postea monstranda, factam, vers. 2--6. II. *Secunda* vero fiduciæ in Deum testificationem, cum ejus fundamentis, in sua ad Deum relatione, & præteriti temporis experientia, sitis, indeque orta prædictione repressionis & destructionis hostium, vers. 7--11. III. *Tertia* denique generales providentiæ Dei regulas respectu impiorum & piorum, vers. 12--14.

EXPLI-

EXPLICATIO.

§. V. Investigatione hypotheseos Ps. exponendi cum opus non sit, ad explicationem mox pergam. Cum enim nihil hic sese offerat a Davide, & tempore Ps. compositi, quod supra definivi, alienum, in eo merito acquiescitur; quod Interpretes etiam communiter faciunt, in tempore tantum a nobis dissentientes. Tillius quidem, post Coccejum, diversas periodos afflictionis Ecclesiæ Christianæ a Judæis, Gentilibus, & Antichristianis, usque ad novissima tempora felicia depingi autumat; sed fine ullo fundamento. Quod enim in ultima pericopa ponitur, valde subleftum est, & in perverso insuper ejus fundatum intellectu. De quo postea. I. Prima itaque pars Ps., ut ejus expositionem adgrediar, preces comprehendit pro conservatione & liberatione ab hostibus improbis, *bis* repetitas cum hac notabili variatione, quod in *priore* parte characteres hostium suorum ducat, in *posteriore* vero suas ab iis infestationes repræsentet: repetitio nimis est manifesta, quam ut in dubium vocari possit; variationis vero memoratæ indicium quoque in eo est satis clarum, quod in *priore* parte de hostium qualitatibus in genere loquatur, in *posteriore* autem relate ad se, & de eorum facinoribus in suam personam commissis agat.

§. VI. ϰ. In priore parte supplicationis α. occurrit ipsa petitio, vers. 2. β. qualitatum hostium generalis descriptio, vers. 3, 4, α. *Petitio* ita sonat, vers. 2. *Libera me, Jehova, ab homine maligno, custodias me a viro crudissimæ violentiæ.* h. e. Supplex peto a Te, qui Jehova es, Deus verax justus & bonus, ut me a cujuscunque sortis hominibus, sive vilioris & infirmioris, sive dignioris & potentioris, qui malo sunt animo, & summam exercent violentiam, custodias, ne eorum in

manus incidam, simul extrahas, & in liberum ac securum statum adseras. Verba, ut sæpe alias, elegantiæ causâ divisa, secum connectenda sunt, acsi haberetur: *ab homine, & viro malo ac violentiarum, custodias & liberes me.* *Homo* & *vir* copulantur non per simplicem epexegesin, ut putatur, sed ad cujuscunque sortis homines designandos, & vilioris & excellentioris; adeoque Saulum, Doegum, aulicos, & alios qualescunque, qui Davidem ad Saulum detulerunt; ut Ziphæi & alii fecerunt. Hac enim ratione *homo* & *vir* junguntur & distinguuntur Ps. XLIX: 3. & alibi, ubi vid. dicta. De epithetis *mali* & *violentiarum*, seu summæ violentiæ, quam num. pl. denotat, verbisque *custodire*, & *extrahere*, nihil moneo, cum alibi illustraverimus, nisi *Saulum* quoque alibi *virum violentiarum* adpellari, 2 Sam. XXIII: 49. & Doegum tanquam *malum* & *malignum* depingi Ps. LII.

§. VII. β. Pravæ horum hominum qualitates *a.* stylo simplici, vers. 3. *b.* figurato vers. 4. describuntur. *a.* Nudis & simplicibus verbis vers. 3. quæ ita habent: *qui machinantur mala in corde, omni die deflectent*, vel deflectere solent, *in bello* acerrimo. h. e. Hominum & virorum malorum ac violentorum titulis eos ex vero insignivi, quia sese tales omni modo præstant: meditantur enim & excogitant in corde quævis mala, & versantur ipso opere in aliorum hostilibus oppugnationibus, nec una alterave vice, sed continuo, & omni data occasione. Quales quin sese exhibuerint Saulus, & improbi ejus aulici, dubium non relinquunt specimina in Davide, Jonathane, sacerdotibus Jehovæ, & aliis, in historia expresse notata. Nihil hic nobis est relictum notandum, præter verum sensum phrasios singularis, יגורו מלחמות quæ verti solet, vel *contrahunt bella*, vel se *colligunt ad ea*, vel simile quid. Reddi potest rectius cum Gejero, *commorantur* in *bello*, tanquam scilicet in hospitio suo; quem usum

usum notissimum habet גור, & præp. ב *in* usitata est ellipsis. Sed admitti quoque potest potestas *insidiandi* & *latrocinandi*, quam exserit verbum גור a primigenia *deflectendi* a via, & divertendi; de qua dixi ad Ps. LVI: 7. LIX: 4. quod vers. 6. est congruentius, & usui verbi; nam *commorationem* cum dicit, talem solet designare, qua quis *clientela potentioris* fruitur, nisi quis sermonis aliquod acumen hic velit captatum, quo indicaretur, eos sese *bello* in clientelam dedisse, & ita in eo, tanquam hospitio clientelari, versari. *Divertendo* vero insidiari & latrocinari *in bello*, seu bellum gerere insidiose & latrocinaliter, sicut phrasi, ita rei ipsi est adcommodum. Quare in eo acquiesco. Ceterum *omni die* cum dicitur, simpliciter significatur, eos in eo esse adsiduos, & omni data occasione id agere; quod non est difficile. Quo forma fut. temp. in יגורו *deflectent* etiam ducit, denotare enim solet consuetudinem, & suetum agendi morem.

§. VIII. *b*. Figurata descriptio his verbis effertur vs. 4. *Acuerunt linguam suam instar serpentis, venenum aspidis sub labiis ipsorum.* h. e. animo infixum habent, & ore proferunt, quicquid lethale vulnus infligere potest proximo. Quod modo *machinari malum in corde*, illud hic *venenum aspidis sub labiis* habere, & quod modo *divertere in bello*, illud hic ad virulenta & hostilia verba extenditur, & *acuere linguam instar serpentis* dicitur. Figurata itaque est descriptio malignarum machinationum, & hostilium invasionum, quibus, vel in judicio vel extra illud, proximus calumniis, & malignis accusationibus obruitur, & ad necem trahitur. Cujus criminis sese reos præstiterunt, qui sacerdotes Dei accusarunt, & Davidem apud Saulum persecuti sunt. Quo varii pertinent Ps., in specie ad priorem casum Ps. LVIII. ubi eædem fere phrases occurrunt, & LII. ubi de Doege agitur. Nihil hic occurrit, alibi non observatum. Conf. in primis de

 phrasi

phrasi *acuere linguam instar serpentis* Bochartus *a*, ut & de voce עכשוב pro *aspide b*.

§. IX. 2. In posteriore parte supplicationis *a*. repetitur ipsa petitio iisdem verbis fere vers. 5. *Serva me, Jehova, a manibus improbi, custodies me a viro violentiarum*. Ubi hoc tantum discriminis occurrit, quod loco verbi *eripere* fuerit usus *conservandi*, & pro, *ab homine malo*, dixerit *a manibus improbi*: quæ nihil habent difficilis. Tantum not., verbum שמר hic exserere sensum prægnantem, quo *custodiendo eripere* denotat; qua ratione superiori verbo *extrahere*, *liberare*, rectius convenit. β. Qualitates & actiones pravæ hostium delineantur relate ad Davidem ipsum *a*. in genere respectu scopi & finis infestationum Sauli & sociorum, vers. 5. *qui cogitarunt impellere gressus meos*. h. e. illos innuo improbos & violentos, a quibus liberari cupio, qui hoc unice propositum habent, & eo deliberationes ac consilia dirigunt, ut me in via mea, qua arte qua marte, violento impetu de gradu dejiciant, & in fugam dent, aut perniciem. Quod Saulo & sociis in animo fuisse, nemini non notissimum est. Nihil observandum habeo. De verbo דחה dixi ad Ps. xxxv: 5. xxvvi: 13. & alibi. Origo est in *volutione*, *pervolutione*, adeoque compulsionem & protusionem violentam dicit cum provolutione, & disjectione; ut quid dissipatur, aut pereat. Quare *cadere*, tanquam effectum, subinde adjungitur. Ps. xxxvi. & cxviii: 13.

§. X. Subjungitur modus, quo illud efficere adgressi sunt, & quem hucusque tenuerunt vers. 6. *Occultarunt tumidi grassatores laqueum mihi & funes; expanderunt rete ad latus orbitæ, tendiculas posuerunt mihi*. Quæ verba, ut accumulatio phrasium sine emphasi evitetur, mihi respicere videntur ad varias persecutionis periodos & vices; primum in aula Sauli, dein in fuga Davidis, donec

a H. p. I. l. I. c. 4. *b* p. II. l. III. c. 4.

donec consilium sumserit terram Israelis deserendi. Ad malignas artes, quibus Saulus & aulici usi sunt ad Davidem, in aula adhuc versantem, in perniciem trahendum, 1 Sam. XVIII., respiciunt priora verba, *occultarunt violenti grassatores laqueum mihi & funes*: hæc enim jungenda sunt; cùm cohæreat vox *funes*, per voculam conjunctivam *&*, cum *laqueo*, & ei etiam recte conveniat, ad *laqueum* non qualemcunque, sed *expansum* exprimendum; ad capiendam prædam. Quod ipsa voce פח in origine quoque involutum est. Radix enim est פחח *expandit*; unde ortæ sunt secundariæ notiones 1. *laquei*, non cujuscunque, sed *expansi* ad prædam capiendam 2. *laminæ* expansæ, seu *malleo* deductæ. *Laqueus* itaque & *funes*, laqueum denotant funibus expansum. Qualem cum *occultasse* dicuntur Davidi, clandestinæ eorum artes, quibus ipsum in perniciem trahere conati sunt, significantur; quales tunc in primis adhibuerunt, quum in aula Sauli adhuc versaretur; uti constat. Adpellantur autem hostes & insidiatores גאים cum quod *eminentes* fuerint viri, tum quod in Davidem *intumuerint*, & insolentes sese præstiterint; sicut postea maxime demonstrarunt per violentam in eum grassationem, quam nunc *occulte* magis instituerunt. Radix גאה proprietatem habet in *eminendo* per sui *extensionem*, vel *tumescendo*, &, met. ab intumescentibus aquis ducta, transiit ad violentas grassationes *a*.

§ XI. Secutæ deinceps sunt apertæ persecutiones, copiis immissis, quibus Davidem subinde circumcinxerunt instar feræ capiendum. Quo referri poterunt verba, quæ sequuntur, *expanderunt rete ad latus orbitæ*. h. e. publice in via, qua ibam, copiis suis tanquam rete expansis me cinxerunt, ne evaderem; quod una alterave vice legimus contigisse, uti constat. Vid. 1 Sam. XXIII: 26.

a Schrœder ad Pf. x: 2.

26. & XXIX. Simili vero metaphora usus est Ps. LVII: 7. *rete pararunt meis gressibus* &c.: ubi ad casum 1 Sam. XXIV. respicitur. Sic ad leonem capiendum adhibetur Ez. XIX: 8. super quem *expanderunt rete suum;* scilicet, quum Babylonii regem Judæ ceperunt. *Rete expandere* solet de regibus adhiberi, qui copiis aliisque instrumentis populos sibi subjiciunt, Hab. I: 15. Præterea phrasis *expandere rete* in genere depingere subinde solet inevitabile periculum vitæ inducere. *a* Quod huc recte adplicatur. Additur insuper, *tendiculas posuerunt mihi*, ad indicandum, ni fallor, publicas persecutiones fuisse cum blanditiis fallacibus subinde conjunctas, quibus David alliceretur, ut se denuo crederet Saulo, &, ut antea, in aula ejus versaretur. Quale quid bis legimus factum, 1 Sam. XXIV: 17— & XXVI: 21. Quod apte exprimitur per *tendiculas ponere:* sicut alibi *rete expandere* adpellatur Prov. XXIX: 5. *Vir glabris utens blanditiis erga socium suum, rete ad gressus ejus expandit;* quod hic est *tendiculam ponere.*

§. XII. II. *Secunda* Ps. pars, quæ fiduciæ testificationem una cum ejus fundamentis & consequentibus comprehendit, vers. 7--11. hoc ordine decurrit. א. Fiduciam cum fundamentis, quibus innixa erat, exponit vers. 7 & 8. ב. inde ortam exspectationem & prædictionem excidii hostium suorum improborum profert, vers. 9-11. א. Prius his fit verbis, vers. 7, 8. *Dixi Jehovæ, Deus meus tu es, exaudi, Jehova! vocem supplicationum mearum; Jehova Domine! robur invictum salutis meæ* es, vel fuisti; *prætexuisti capiti meo, die armaturæ.* h. e. Cum me tibi consecraverim, & tibi arcto foedere junctus sim, ut dicere licuerit, *te esse Deum meum:* cum fiducia precari ausim, ut meas supplicationes, modo fusas, & alias, exaudias; eo etiam confidentius, quod te mihi robur & arcem salutis præstiteris, & in bello, loco armaturæ, tu mihi caput seu vitam fueris tuitus, & feceris salvum. Secundum

quam

a Schultens ad Job. V: 5. XVIII: 8, 10.

quam paraphrasin præmittit relationem suam ad Deum jam ante initam, & dein precum, nunc fusarum, exauditionem subjungit, quando eam nova ratione urget, & confidentiam suam novo fundamento fulcit, ex superiorum temporum experientia. Sed possunt quoque omnia capi de præterito tempore, quo Jehovam, tanquam Deum suum, oravit, & expertus est patronum ac liberatorem; qua ratione verba, *exaudi Jehova vocem supplicationum mearum*, ad verbum *dixi* referenda sunt, & cum eo cohærebunt, & vers. 8. continebit exaudititionis precum specimen, quod antea consecutus erat; adeoque paraphrasis ita instituenda. Dixi antea *tibi Jehovæ; Deus meus tu, exaudi supplicationes meas*, nec frustra, exaudivisti enim semper, dum te mihi præstiteris *robur salutis*, & prætexuisti *capiti meo* in *die armaturæ*. Quæ hypothesis pericopam explicandi posterior magis placet, 1. quia ita instituit Ps. XXVII. 8, 9. &c. ut ibi exposui. 2. quia voces, *exaudi preces meas*, vers. 7. æque ac *Deus meus es*, manifeste cohærent cum verbo *dixi*; utique sermo ita rectius fluit. 3. quia, cum vers. 8. specimen exauditarum precum in liberatione a Deo præstita repræsentetur, eas ante illud specimen fusas vers. 7. intelligi, longe aptius est. Continent itaque hi duo versus fundamentum fiduciæ & exspectationis excidii hostium, cujus prædictionem vers. 9. &c. cum fiducia ob oculos sistit.

§. XIII. Memorat itaque, ut secundum jactam hypothesin verba breviter explicem, *a.* quacum fiducia & quo fundamento Deum antea fuerit solitus orare vers. 7. *b.* quem effectum habuerit supplicatio, vers. 8. *a.* Prius his verbis, vers. 7. *Dixi Jehovæ, Deus meus tu, exaudi Jehova vocem supplicationum mearum.* h. e. hoc fundamento, quod te, sese mihi offerentem Deum, receperim, corde ac ore professus te esse Deum meum, cujus sum servus & foederatus, cui etiam fido, hoc inquam fundamento *dixi* ulterius, *exaudi preces meas.* *Dixi* itaque antea semper, *tu*

es

es Deus meus, & *dixi*, eo nixus, *exaudi* me. Præmittit conditionem a se præstitam, in foedere Dei adsumendo, & in eo fundasse se exauditionem subjungit. Plane quemadmodum Ps. XXVII: 8. *Tibi dixit cor meum, quærite faciem meam, quæram Jehova faciem tuam, ne occultes faciem tuam a me* &c. Antecedens, seu fundamentum precum est, quod *dixerit Jehovæ, eum esse Deum suum*, corde nim. & ore Jehovam receperit *pro Deo suo*, cui, quicquid est, habet & potest, debeat, & consecret, & a quo omnem suam felicitatem exspectet, ita ut & ipse Dei sit, & Deus quoque sibi in Deum; uti Zach. XIII: 9. *dicam, populus meus ipse, & ipse dicet, Jehova Deus meus.* Complectitur itaque formulam foederis, qua Deus dicit, *ego sum Deus tuus*, & fidelis, *ego sum servus tuus;* quæ hic phrasi, *tu es Deus meus*, exprimitur; & significat David, se arctam ad Deum habere relationem, & cum eo esse in foedere, sive generali cum populo Dei, sive speciali, quo Dei servus erat constitutus, ipsi speciatim dicatus, & specialibus promissis mactatus. Hoc fundamento nixus declarat, se a Deo solitum fuisse petere & exspectare exauditionem precum suarum; quibus Dei auxilium & favorem, ubi opus fuerit, supplicaret: quum subjungit, *exaudi Jehova vocem supplicationum mearum;* quod idem fere est, ac Ps. XXVII. *ne occultes faciem tuam a me:* ut ibi exposui: scilicet, quum *dixerim*, Jehovæ, *Deus meus tu es*; dixi etiam cum fiducia, *exaudi supplicia mea.* Quæ ex dictis satis facilia nunc sunt.

§. XIV. *b.* Effectum & consequens confessionis & precationis, ante factæ, hæc verba proponunt vers. 8. *Jehova Domine! robur salutis meæ* fuisti, *prætexuisti capiti meo die armaturæ.* h. e. Quod tanquam fidelis & foederatus te oravi, o Deus! consecutus sum: tu enim, Jehova Domine! robur invictum meæ liberationis & salutis te præstitisti, omnibus in periculis, & tempore belli, quo censebar e medio auferendus, tu caput & vitam meam reddidisti

didisti incolumem, & loco clypei, ac armaturæ, mihi fuisti. Sic & Ps. XXVII: 9. *ne occultes faciem tuam a me, nec servum tuum in nasum des, fuisti mihi auxilio.* Declarat itaque, Deum sibi fuisse & præstitisse *robur salutis, & caput obtegisse die prælii.* Quorum *prius* generalius est, & qualemcunque liberationem, ex quocunque periculo, Dei potentia concessam & adductam, comprehendit, *posterius* in specie ad periculum bellicum respicit, cujus specialem facit mentionem, quia favoris Dei erga ipsum & precum exauditarum exstantiora in eo erant indicia, ut quum Goliathum prostravit, & cum Philistæis, adhuc in aula Sauli versatus, varia habuit cum continua victoria prælia: uti ex historia in vulgus notum est. Nihil admodum difficilis, aut nostræ relictum curæ; tantum de elegantia & emphasi phrasium in membro posteriore aliquid monebo. Verbum סכך, quo utitur poeta, proprie esse *texere, prætexere*, inde *tegere, protegere*, tanquam sepimento prætexto supra ad Ps. CXXXIX: 13. observavi: recte itaque vertitur, *prætexuisti capiti meo*, quasi sepimento obducto illud texisti. Addit, *in die armaturæ.* h. e. prælii, quo armatura, galea & clypeo, caput & corpus tegi solet. Vox נשק, cujus proprietas est in *arctius adhærendo*, ut in *osculando*, quum labra labris adpinguntur, inde transiit ad *armaturam*, proprie illam, quæ arctius adhæret, & totum corpus munit, cujus & hic ratio præcipue habenda est. Cum autem *armaturæ* locus sit in bello & prælio, eo etiam referri potest, & solet: ut Job. XX: 24. ubi *armatura ferri* est acies ipsa, gravibus armis horrenda. Dies *armaturæ* itaque est tempus belli, & prælii, quo armatura opus est, & indui solet. Sed majore emphasi pollet phrasis, *prætexuisti capiti meo die armaturæ*, quam ut simpliciter significetur, Deum ipsum in prælio præstitisse salvum; denotat enim simul, Deum ipsi fuisse loco *armaturæ*, ita ut Deus ipsius capiti prætexuerit, quo die armatura, & tegumento capitis & corporis, opus esset; cujus

vicem Deus ſua tutela præſtitit. Non enim dicit, ut alias, ביום קרב *die prælii*, Zach. XIV: 3. ſed *die* נשק, & *ſtudio* uſus eſt verbo סכך *pretexere*, ut ſignificaret, Deum ipſi fuiſſe pro *armatura*, caput & corpus obtegente, & tutum præſtante. Quod maxime adparuit in prælio cum Goliatho; uti conſtat: venit contra eum nudus, & *in nomine Jehovæ* 1 Sam. XVII. quo etiam reſpicitur Pſ. XX: 8. Nec tamen illud ſolum prælium in oculis habet, licet eo in primis digitus intendatur, ſed reliqua etiam ſecuta cum Philiſtæis, proſpere ſemper geſta. 1 Sam. XVIII.

§. XV. 3. Hisce fundamentis innixus certiſſimam ſe concepiſſe ſpem, fore, ut hoſtium manibus plene eripiatur, & excidium eorum prævidere, ac prædicere poſſe declarat, verſ. 9--11. Quæ pericopa duplicem habet conſpectum, alterum *voti*, certo implendi, alterum *prædictionis* excidii hoſtium; *priorem*, verſ. 9. *poſteriorem*, verſ. 10, 11. Quæ duæ ſunt pericopæ partes, *prior* magis votiva & precatoria, *poſterior* prophetica: cujus diſtinctionis indicium eſt in ipſa orationis forma, eique res ſignificata quoque eſt convenientior: ut mox adparebit. a. *Prior* pars, quæ votiva & precatoria eſt, ita habet, verſ. 9 & 10., init. *Ne concedas, Jehova! deſideria impii, capiſtrum ejus ne laxes, efferrent*, vel ut efferant, *Sela! caput*, inquam, efferrent, *qui me circumagunt.* h. e. Abſit, Jehova, ne fiat, ita voveo & precor cum fiducia, ut impio permittas compotem fieri deſideriorum ſuorum improborum, ejusque capiſtro luxato, quo retinetur, exſequatur quicquid velit, eousque, & eo cum effectu, ut, qui cauſam contra me quærunt, & captant, & in me impetum faciunt hoſtilem, undiquaque me cingunt, ac circum agitant, triumphabundi exultent, & me ſubjeciſſe glorientur. Oratio eſt votiva & deprecatoria, ſed quæ ſimul illud, quod deprecatur, rejicit, tanquam abſurdum, quod fieri non debeat, aut poſſit. Quam poteſtatem adfert vocula אל, quæ etiam prohibendi & repudiandi habet vim, ſimul *negationem*,

tionem, ut לא *non*, induit, sed fortiorem, quæ simul prohibet. Conf. ad Ps. CXXXVIII: 8. & LVII: 1. Argumentum vero deprecationis proponitur per modum *antecedentis* & *consequentis*. *a*. Antecedens his verbis continetur, *ne des desideria improbi*, *capistrum ejus ne luxes*. h. e. ne permittas, ut improbus cupita consequatur, & molimina ad optatum exitum perducat, ita ut sine repagulo ruat quorsum velit, & faciat quod in animo habet, & omne nefas cum effectu patret. *Prior* phrasis, *ne des desideria impii*, cum nihil obscuri, *posterior* vero multum habeat, de hac tantum dicam. Voces, זממו אל תפק, verti solent, *cogitationem ejus ne perficias*, aut ne *proferas*, aut *effundere* fac. Sed Rabbini, teste Raschio, vocem זמם pro *freno* ceperunt, quo ora camelorum compescuntur, ex Chaldaismo. Quæ longe verior est Interpretatio, a Cl. Schultens *a* jam in medium adducta, qui vertit, *capistrum ejus ne laxes*, & cum simili phrasi Job. l. c. confert, quæ habet, *& capistrum a facie mea projecerunt*. Quod & phrasi & nexui est convenientius. Cum enim modo dixisset, *ne des desideria impii*, sine emphasi ulla subjungeret, ne *cogitationem ejus perficias*; quod idem plane foret. Sed nec זמם est cogitatio, aut propositum, aut scelus cogitatum, sed זמה & מזמה. Verbum *depromere* cogitatum scelus quoque minus recte adhiberetur, cum significaret simpliciter, illud *evulgare*. Ergo rectius vertitur *capistrum ejus ne laxes*, vel luxes, aut frangas. Radix זמם primariam notionem habet in *alligando*, *firmius revinciendo*, speciatim capistro. Sumitur quoque derivatum זמם pro *capistro*, quod per nares, vel maxillas, trahitur, apud Arab. & Chald. unde reliqui usus orti sunt, ex Lex. noti *b*. Conf. quæ protuli ad Ps. XVII: 3. ubi *capistrandi* quoque significatus locum tenet. Verbum vero פוק proprie denotat *frangere*, vel *luxare*, quæ potestas Arab. superest, unde, quod jam notavit Clar. Kuypers *c*, nata

a Ad Job. XXX: 11. & Har. conf. 11. p. 70.
b Id. ad Prov. *c* Ad Ali p. 27.

eſt *ſingultiendi*, & figurata *eructandi* q. ſingultim, & *promendi* ac *depromendi* poteſtas; hinc etiam *titubandi* uſus, quem habet apud Hebr., facile fluxit, a luxatis, vel *fractis* artubus. Ergo recte vertitur, *capiſtrum ejus ne luxes*, vel *frangas*, & ſenſus conſtituitur idem, qui Job. l. c. *capiſtrum a facie mea projecerunt*. Proverbialis eſt locutio, *ſolvit capiſtrum ſuum*, in eo, qui, nullo Dei hominumve reſpectu coercitus, in omne nefas effrenato impetu fertur. Senſus itaque eſt, ne ſinas impium facere quod vult; frenum, quo ipſum hucusque conſtrinxiſti reſpectu *mei*, & prohibitus eſt cupita & diſtincta efficere, ne auferas, rumpi permittas. Additur conſequens capiſtri laxati, aut rupti, quod ne fiat, vult ut Deus non luxet, his verbis; *efferrent*, Selah! *caput obſeſſores & circumactores mei*. h. e. ne des deſideria impii, ne luxes capiſtrum ejus, ſeu ne, quod volunt, efficiant; ſequeretur enim, ni hoc impedias, ut triumphabundi & ſuperbientes gloriarentur de me e medio ſublato. Perinde, quoad ſenſum eſt, ſive ante ירומו *efferrent ſe*, repetatur ex præced. אל *ne*, ſive pro conſequente non laxati capiſtri habeatur. Deprecatur enim frenum luxatum eorum, & *elationem*. Sed majoris eſt, *notaſſe*, voces, *efferent caput obſeſſores mei*, uti vertendæ ſunt, ſecum eſſe conſtruendas, per voculam *Selah*! divulſas, ſive illa vocula ſit loco mota, & ad finem rejicienda, quod mavult Fr. Hare, qui nobiscum ſentit in ſtructura vocum, ſive elegantiæ cauſa interjecta, & aliqua admittenda poſt ירומו *efferent* reticentia, quæ mox ſuppletur vocibus, *caput obſeſſores mei*; fere quemadmodum Pſ. LXVIII: 8. & LV: 5. ſi lectio recepta ſit retinenda; hac ratione: *efferent ſe*, *Selah*! efferent, inquam, *caput obſeſſores mei*. Quicquid ſit, dubium non eſt mihi, quin voces verſ. 10. ראש מסבי vertendæ ſint, *caput obſeſſores*, vel circumactores, mei, & non, ut ſolet, vel *caput*, vel *venenum cingentium me*; & cum verbo *efferent* conſtruendæ, cum quod phraſis *efferre caput* ſit uſitata pro triumphare, ſuperiorem eſſe, gloriari,

riari, superbire, & jactare; ut Pf. III: 4. XXVII: 6. LXXXIII: 3. CX: 7. *tum* quod voces, *caput cinctores*, vel *cinctorum mei*, alterutro enim modo verti debent, *veneni* enim notio huc non quadrat, nihil ceteroquin habeant, quocum connectantur, sed plane abruptæ forent. Ex nostra hypothesi oratio recte fluit, & sensum fundit egregium & valde adcommodum; ut ex dictis facile liquet. Tantum de verbo מסבי, quod reddidi, *cinctores*, vel obsessores, aut circumagitatores mei, aliquid est addendum. Radix סבב *circumire*, *cingere* denotat, & in Pih. ac Hiph. *circumagere*, etiam rei faciem convertere, & in aliam formam cogere, ansam & occasionem contra aliquem captare, denique *hostiliter invadere*. Quæ omnia hic locum inveniunt: adeo ut Saulus & socii ejus amplissimo sensu adpellari possint *cinctores*, occasionis captatores, & *invasores* Davidis. Quod ulteriore explicatione non indiget.

§. XVI. β. Posterior pars, per modum prædictionis, excidium & totalem ruinam ipsorum, quam scelera, quibus adflixerunt innocentes, ipsis adferrent, vivis coloribus depingit, vers. 10, 11. *vexatio adfligens labiorum ipsorum involvet eos*, *invergentur super eos prunæ ignitae*, *cadere ipsos faciet in ruinas fractas*, *non surgent*. h. e. Inmanis illa vexatio tundens, qua me & alios innocentes calumniis, accusationibus, & decretis, per labra emissis, opprimere conati sunt, & varie adflixerunt, in eorum caput recidet, ita ut instar prunarum ignitarum, super eos aggestarum magna mole, judiciis divinis sint in totalem ruinam præcipitandi, quæ nunquam reparabitur. Verba, quæ Interpretibus haud unam pepererunt difficultatem, ut recte expediantur, distinguenda sunt in *propositionem*, & ejus *illustrationem*. *Propositionem* continent hæc verba: *vexatio tundens labiorum ipsorum involvet*, vel obteget, *eos*; quæ parum habent difficilis. *Vexatio tundens* (quæ vera est potestas vocis עמל a) *labiorum* est gravissima calamitas, quam *labia eorum struunt*:

a Schultens ad Prov. & Schroeder ad Pf. x.

struunt: ut est Prov. xxiv: 4. adeoque quam *partim* calumniis, & accusationibus & condemnationibus, decretisque suis adferre conantur, *partim* vanis & tumidis suis jactantiis adscribunt proximo, & ei eventuram esse dictitant. *Labia* enim nonnunquam *tumidam* figurant jactantiam, & *verbum labiorum* est jactantia & gloriatio inanis a. Hæc vero *vexatio adfligens labiorum* dicitur eos ipsos *involutura*, & *obrutura*; quatenus per eam ipsi exitio toti implicantur, & pereunt: uti est Ps. vii: 17. *redibit molestia in caput ejus, & violentia ejus in proprium descendet verticem.* vid. & Ps. xxxi: 22. Quod Saulo & sociis contigit.

§. XVII. In propositionis deductione, seu illustratione, *a. modus* traditur, quo excidium ipsorum efficeretur, *b. gravitas* & diuturnitas ejus, *a. Prius* his verbis, quæ sequuntur, vers. 11. *invergentur super eos prunæ ignitæ.* h. e. gravissimam adflictionem eam, quam in alios jactanter & insolenter protulerunt, & conferre conati sunt, sed quam eos ipsos esse obruturam dixi, ipsis adferet judicium divinum, quo mala dolorifica, instar prunarum ignitarum, magna mole super eos aggerentur, vel longa serie struentur. Voces ultimæ גחלים באש secum sunt construendæ, ut Kimchius jam vidit, & *prunas* vehementissime urentes, ita ut sint totæ igneæ, & purus putus ignis, denotant, alias גחלי-אש Ps. xviii: 13, 14. *Prunæ ignis* dictæ, hic magis emphatice *prunæ in igni*; ut proprie sonant voces, quod stylo Hebr. idem est, ac *prunæ ignis*, sed majore pollet emphasi, qua *prunas* significat totas igneas, seu purum putum ignem. Littera enim ב in באש cum emphasi, qua veram & certissimam rei conditionem signat, sæpe redundat: ut sæpe alias observatum est. Stylo vero figurato gravissimam Dei judicium, quo mala exitialia & dolorifica infliguntur, expingere *prunas ignitas*, notissimum est. vid. Ps. xii: 8. & ibi dicta. Hæ autem *prunæ convectandæ* dicuntur, vel longa serie *struendæ*, super ipsos; prout radix statuatur, vel מוט, aut נטה, vel [illegible].

Priore

a Schultens ad Prov. xxiv: 2.

Priore admissa, ut communiter fit, erit secundum punctaturam in Niph., & dicet, eas prunas magna mole esse converrendas super ipsos. Radix מוט originem habet in graviore & tremente inclinatione, unde in specie *moliri* admota *vecte*, vel alio instrumento, quo quid gravioris molis inclinatur: sensus ergo est, prunas ignitas in eos, quasi admoto instrumento, prunis commovendis apto, esse inclinandas, ita ut toti *prunis* obruantur, plena mensura in eos congestis. Si vero altera radix נמט locum teneat, erit in Hiph., & significabit, prunas longa serie sese supra ipsos structuras, seu struendas esse. Radix enim, Arab. usitata, proprie continet *seriem* structam, struem longius ductam *a*.

§. XVIII. *b*) Gravitatem & diuturnitatem hæc, quæ subjunguntur, verba exprimunt, vers. 11. *cadere eos faciet in ruinas fractas, non surgent.* Ad quorum intellectum duo tantum notanda sunt, *alterum*, pendere illud, *cadere faciet*, a voce עמל vers. 10. memorata, ut recte Kimchius; alias *Deus* per ellipsin intelligendus foret, ut communiter statuitur: sed longe facilius & aptius *molestia labiorum* ex superiore repetitur, cum & ea ibi dicatur *eos involutura*. *Alterum* est, voce מהמרות significari *ruinas fractas*. Radix המר, a Stockio jam & Clodio collata, sed minus recte explicita, apud Arab. *impulsionem* exprimit, ac *protrusionem*, imo profligationem, ac destructionem & confractionem; signatque latius omnem *ruinam fractam*. Vid. etiam D. Scheide disp. sub Cl. Schroedero ad V. T. *b*, qui vertit *gurgites* aquarum rapidissimos, & calamitates lethales intelligit. Cohæret autem cum יפלם *cadere eos faciet in ruinas fractas.* Quo totalis ruina significatur, quam reparandam non esse, sequentia, *non surgent*, indicant: ut facile intelligitur.

§. XIX. *Tertia* Ps. pars generales comprehendit Providentiæ

a Cl. Schultens F. Diss. Acad. de utilitate dialect. I. p. 17. *b* p. 10.

dentiæ regulas, experientia confirmatas, & deinceps quoque firmandas, respectu impiorum & piorum; quas poeta subjungit, partim ad fidem & spem de improborum repressione, ac sua liberatione, supra expositam, firmandam, partim ut spiritu prophetico ductus spem feliciorum temporum, quibus omnis impietas os clauderet, & justi florerent, in genere corroboraret, absque ut definiat, quando adlucerent ea tempora, quod & alibi fit in Ps., partim denique ad homines a vitiis & sceleribus absterrendos, & ad patientiam ac virtutem & pietatem excitandos, ex consideratione justæ ac æquæ providentiæ. Hic scopus est & conspectus ultimæ Ps. partis, vers. 12—14. quæ *tres* ejusmodi complectitur regulas, verbo recensendas.

§. XX. *Prima*, ad improbos spectans, ita habet, vers. 12. *Vir linguæ non firmabitur in terra; virum violentiæ venabitur malum ad protrusiones* usque. h. e. Quisque fuerit vaniloquus & maledicus, stabilem & prosperam non habebit inter homines sedem, qui vero sese violentum præstat in proximum, eum maligne vexando & persequendo, objectum erit insectationis mali sui, qua præcipitandus *est in* ruinam. Verba eum in modum structa sunt, ut generalem veritatem exprimant, experientia comprobatam, & in posterum confirmandam, eo, quo dixi, scopo prolatam. Sunt quidem duo distincta & divisa membra, sed quæ secum sunt connectenda, ut sæpe adsolet, acsi uno tenore legeretur. *Vir linguæ & violentiæ non firmabitur in terra, sed malum eum venabitur ad propulsiones.* Memoratur *vir linguæ* & *vir violentiæ*. h. e. ore maledicus, & opere violentus raptor & persecutor. *Vir linguæ* est, qui eam *acuit* instar serpentis, ut vers. 4., *qui incedit super lingua sua*, Ps. xv: 3., cujus denique *lingua grassatur in terra* Ps. LXXIII: 9. ubi vid. dicta. Continet epitheton omnia crimina in proximum, quæ *ore* committuntur: sicut *alterum*, quæ opere, quo *vir violentiæ* adpellatur; de quo supra vidimus. De utroque adfirmatur, eos *non esse in*

terra

terra firmandos, sed a *malo insectandos ad propulsiones*. *Prius* nihil habet obscuri; convenit fere simili dicto Ps. XXXIV: 13, 14. *Quis iste vir, qui vitam vult, dies amat ad videndum bonum: custodi linguam tuam a malo, & labia tua a dolose loquendo.* Qualia & alibi, & in Prov. ubique obvia sunt. *Posterius* est paulo impeditius, quod ut expediatur 1. not. רע *malum* cum seq. verbo *venabitur* cohærere, & instar *venatoris* hic occurrere, quo peccator agitaretur ad perniciem: haberet ceteroquin verbum *venari* nullum subjectum agens, & usitata est constructio, *vir violentiæ, malum venabitur eum*, pro, *virum violentiæ venabitur malum*. Venatoris itaque persona datur *malo*, quo vir violentiæ agitatur, sive *morale* sive *physicum* intelligatur, quod utrumque potest. *Morale* venatorem agit violentorum, quatenus eorum exitium quærit & producit: quo etiam sensu *labia struere dicuntur ærumnam* Prov. XXIV: 2. ubi vid. Schultens. Sed *malo physico* etiam aptari potest, quatenus violentum virum & calumniatorem presso pede sequitur, ad eum capiendum, & in exitium detrudendum. 2. Vox למדחפת *ad protrusiones* indicat effectum venationis, seu insectationis mali, tanquam venatoris, in eo situm, quod improbus nusquam quiescat, nulla pace fruatur, aut animi quiete, præterea præcipitetur in exitium, & malo involvatur. Radix דחף proprie est *volvit*, *provolvit*, inde *trusit*, *protrusit*, usu designat præcipitem motum, & cursum, cum trepidatione & pudore conjunctum; & prægnante sensu involvit *exitium*, in quod præcipitatur: uti verbum cognatum, & ejusdem originis, דחה Ps. XXXV: 5. *Sint instar glumae coram vento, & Angelus Jehovae impellens eos*, &c. quorum sensus est, eos esse partim disjiciendos, partim in lubrica & desperata consilia conjiciendos, & mala morte perituros.

§. XXI. *Secunda* ad innocentes, a potentioribus vexatos, & a Deo vindicandos, pertinet, his verbis comprehensa, vers. 13. *Novi Jehovam acturum litem adflicti, judicium*

dicium inopum. h. e. Quod de maledicis et violentis hominibus dixi in terra non confirmandis, sed malo suo involvendis ad exitium; illud inde confirmo, & pro certo statuo, quod *sciam*, Deum, justum & æquum judicem, causam adflicti ac inopum esse acturum, & vindicaturum, cum justitiæ publica demonstratione. *Secunda* hæc regula, seu veritas, subjungitur *primae* ad eam confirmandam; quare præmittit illud, *novi* &c. quemadmodum in paraphrasi expressi. Voces & phrases nihil moræ injiciunt; *lis & judicium* significant judicium de *lite*, seu jure adflicti & inopum; & sensum fundunt, Deum, non tantum adflictis & egenis *jus* reddere, sed publico *judicio* illud facere, publica cum *judicii* manifestatione. Vid. dicta ad Ps. IX: 5. quare nihil addo.

§. XXII. *Tertia* veritas, ad præcedentis ulteriorem confirmationem & amplificationem subjuncta, & magna cum adseveratione, sermone ad Deum verso, prolata, habet, justos & rectos materiam Dei laudandi habituros, & Deo coram pacate & beate fruituros esse, ac usuros familiariter, vers. 14. *Profecto justi laudabunt nomen tuum, sedebunt recti cum facie tua.* h. e. adflictorum & egenorum causam a Deo vindicandam esse, & maledicos ac violentos eorum insectatores esse exterminandos, inde ulterius confirmo, quod nihil certius sit, quam justitiæ & rectitudinis moralis studiosos & sectatores tua, o Deus! facie tranquille & beate fruituros esse, te familiariter utendo, & favoris tui signis gaudendo, eaque ratione & materiam te celebrandi habituros, & eo officio etiam defuncturos esse, quod tibi debent, & tu intendis in operibus tuis. Nihil hic notandum, præter emphasin phraseos, *sedere cum facie Dei*, quæ denotat cum arctum ac familiare cum Deo commercium, ut in phrasi, *sedere cum peccatoribus* Ps. I. & XXVI. tum tranquillam ac durabilem favoris Dei, tanquam doctoris, & salvatoris, fruitionem.

Seder-

Sedere enim ſumitur pro tranquilla & felici manſione. Ceterum extendit ſeſe hæc phraſis ad omnigenam, & ubique locorum, etiam poſt hanc vitam, felicitatem, ut Pſ. XVII: 15. ubi vid. dicta, & ad Pſ. XVI: 11. CXXXIX: 7. & alibi.





PSALM. CXLI.

1. *Psalmus Davidis. Jehova! invoco te, festina mihi, aurem præbe voci meæ, quando te inclamo.*
2. *Firmiter existat precatio mea suffitus coram te, elevatio manuum mearum munus suavitatis.*
3. *Pone, Jehova, custodiam ori meo, retinaculum super haustionem labiorum meorum.*
4. *Ne inclines cor meum ad verbum*, vel *negotium, malum, hauriendo haustiones in impietate, cum viris operatoribus iniquitatis, & ne vescar deliciis ipsorum.*
5. *Compinget me justus, benignitas quoque me arguet, oleum capitis ne crudum faciat caput meum, quia adhuc etiam precatio mea in malis ipsorum.*
6. *Inmissi sunt in manus petrae judicum ipsorum, & audiverunt dicta mea, quod amoena fuerunt.*
7. *Sicut secans & findens in terra, dissipata sunt ossa nostra ad ostium inferni.*
8. *Quia ad Te, Jehova Domine, oculi mei* respiciunt, *in Te perfugium habeo, ne denudes animam meam.*
9. *Serva me a laqueo eorum, qui mihi illaqueantur, & tendiculis operatorum iniquitatis.*
10. *Cadent in foveas suas inprobi pariter; ego*, vel *uniter ego, continuo*, vel *majestuose & animose, transibo.*

PROLEGO-

PROLEGOMENA.

§. I.

ARgumentum Pſ. eſt viri pii, & Deo unice fidentis, a peccatoribus & improbis ad necem quæſiti, ita ut a præſentiſſimo mortis periculo parum abſit, nunc vero in favorabilibus poſiti circumſtantiis, quibus hoſtes altera vice in manibus habebat, & trucidare, iisque inſultare poſſet; oratio ad Deum, qua petit, *partim* ut Deus linguæ ſuæ moderetur, ne quid indecori & hoſtilis temere effutiat, animumque ſuum a pravis facinoribus in hoſtes ſuos abſtrahat, addita, ad preces urgendas, declaratione animi ab iſtis ſceleribus abhorrentis, ex conſideratione judicii Dei, quod in ſe propterea provocaret, & perſonæ ſuæ, quam tale quid non deceret, denique modi agendi, quem hucusque tenuerat, cui illud adverſaretur, *partim* ut Deus periculoſiſſimæ ſuæ & ſuorum conditionis, quam vividiſſime ſub imagine mortuorum depingit, ratione habita, ſe, convenienter fiduciæ ſuæ in Deum, tractet, & ab hoſtium inſectationibus liberet, deſinens in ſpei & exſpectationis teſtificatione, fore ut impii propriis conſiliis impliciti pereant, ipſe vero impreſſionem hoſtilem ſuperet.

§. II. *Tria* ſunt, vel *quatuor*, criteria perſonæ loquentis & ſtatus ejus, præter inſignem pietatem, facile obviam, quæ in temporis & occaſionis Pſ. notitiam ducere queunt; probe obſervanda *α. Primum*, quod mox in oculos occurrit, eſt, virum pium cum ſociis objectum eſſe perſecutionis improborum ad necem, adeo ut a mortuo & ſepulto parum abeſſe videretur, verſ. 7—9. *β. Secundum* eſt, illum in favorabili adeo caſu fuiſſe poſitum, quo hoſtem ſuum e medio tollere potuerit, & ad illud fuiſſe concitatum;

citatum; sed se alienum demonstrasse, & Deum orasse, ut se ab hoc facinore, & omni insultatione ac maledictione, praeservaret. Quae hypothesis est pericopae, vers. 3-6. ut postea patebit. γ. *Tertium* habet, virum hunc jam antea, in iisdem positum circumstantiis, eundem animum pium in persecutores suos demonstrasse; uti vers. 5. fin. & vers. 6. indicatur; ut suo loco videbimus. δ. Addi forte potest *quartum*, *unctionem* sacram, vel suam, vel hostis, aut utriusque, inter praecipuas fuisse rationes, quibus ab hoste interficiendo fuit absterritus, adeoque & hostem & se fuisse oleo perfusum. Quo respicere videntur notabilia verba, vers. 5. *oleum capitis ne crudum faciat caput meum*, sed emolliat & leniat. De quo postea.

§. III. Quae criteria, si rite fuerint educta, nos ad illud tempus clare ducunt, quo David, gravissimam Sauli persecutionem passus, *altera* vice occasionem nactus est ipsum e vivis tollendi, ad id quoque incitatus & tentatus; sed quod a se alienum esse declaravit, Deo vindictam relinquens, & ejus protectioni nixus. Quae historia narratur I Sam. XXVI. Vulgatior habet opinio, respici ad priorem casum, I Sam. XXII, vel XXIV. in eo inprimis fundata, quod vers. 6. eo adludatur; sed agitur ibi de casu praeterito, adeo ut contrarium inde elici debeat; quemadmodum sequens tractatio docebit. Adquiescimus itaque in jacta hypothesi, cui cuncta recte conveniunt criteria. *Scopus* Ps. est, ut facile adparet, piis, ab improbis persecutionem passis, exemplum praebere mansuetudinis, patientiae, & fiduciae in Deum, eosque a propria vindicta, seu verbis duris, seu factis hostilibus, abstrahere, simul excitare, ut causam suam Deo committant, & pro hostibus potius precentur, quamdiu spes est eorum conversionis.

§. IV. *Oratio* est ad Deum per totum canticum conversa, excepto medio & fine, ubi alio vertit sermonem, vel in genere loquitur, in *medio*, quia ad preces urgendas profert aliquas rationes, quibus facinus, quod deprecatur,

tur, a se esse alienum debere demonstrat, in *fine*, quia, per modum conclusionis, fiduciam suam, qua preces esse exaudiendas & hostes delendos, se liberandum, esse confidebat, declarat. *Sermo* parum habet impediti, modo phrases recte capiantur, multum hic illic emphasios, & elegantiæ; uti explicatio docebit. *Partes* Ps. *tres* sunt generales, I. *Prima* prologum continet, quo preces mox proferendas, & deinceps fundendas, exaudiri petit, vers. 1, 2. II. *Secunda* exhibet earum *argumentum*, quod duplex est. א. *prius*, quo oris temeritatem & cordis inclinationem ad malum in præsente casu deprecatur, ac rationibus moventibus, a facinoris indecentia, noxiisque consequentibus, & superioris temporis experientia, petitis, urget; vers. 3-6. ב. *posterius*, quo supplicat conservationem & liberationem a Deo, vers. 8, 9. III. *Tertia* sistit, per modum conclusionis, exspectationem, qua hostes esse reprimendos, & se liberandum, confidebat, vers. 10.

EXPLICATIO.

§. V. Cum nihil sese hic offerat a Davide, & tempore definito, alienum, nulla itaque ratio ab eo discedendi, investigatione hypothesios Ps. explicandi opus non est? Quod enim nonnulli ad Ecclesiam Christianam oculos flectant, sine ratione & pro arbitrio faciunt, nec refutari merentur. Pergo itaque mox ad explicationem. *Prima* pars, qua precum exauditionem in genere petit David, ita habet vers. 1, 2. *Jehova invoco te, festina mihi; aurem præbe voci meae, quando te inclamo. Firmiter existat precatio mea suffitus coram te, elevatio manuum mearum munus vespertinum*, vel potius *suavitatis*. h. e. Cum res ad summum venerit, & periculum in mora sit, ad te clamo, Jehova, ut festinus mihi adsis, & opem feras; petoque, ut clamantem me exaudias benevole; adeoque sit precatio mea

mea coram facie tua sicut suffitus, & munus gratum ac suave, & nunc & postea. Precatio pro hypothesi habet, Davidem jam diu fuisse vexatum, & eo jam adductum, ut Deus ipsi promtum præstet auxilium, vel cum eo actum sit: eo enim ducit, *festina mihi*, ut facile adparet, & apte in tempus, quo Ps. factus est, quadrat: ultimus enim tunc fuit Sauli conatus in Davidem. Addit *exauditionis* petitionem, & illustrat simili *suffitus* ac *muneris*, sacrificiis cruentis adjungi soliti, emblematisque satis vulgati *precum*. Indicare præterea videtur, se nunc rituali cultu non posse defungi, sed realem & spiritualem, per eum depictum, in precibus Deo offerre. Vult autem non simpliciter, ut precatio sit instar *suffitus* & *muneris*, sed Deo insuper accepta, ut *munus suave*. Quod, sicut scopo est aptius, ita vocibus מנחת ערב rectius convenit. Munus enim *vespertinum*, ut sumi alias, & hic verti, solet vox ערב, quare expresse memoraretur, nulla ratio dari potest; licet varias excogitarint Interpretes, quas recensuit Polus in Synopsi, sed nulla satisfacit. Fert autem vox Hebr. etiam *suavitatis* & *dulcedinis* significatum, ac speciatim de *cibo* usurpatur Prov. xx: 17. verbum quoque de *munere oblationis* Mal. ii: 4. Rectius itaque vertitur, *munus suavitatis*, quod scopo magis congruit: ut ex dictis patet. Reliqua nostra non indigent opera. Tantum addatur, ipsum non sine emphasi dixisse תכון non *existat* simpliciter, quod verbum היה, quo non utitur, indicasset, sed *firmiter* existat, ut indicaret, non hoc tantum tempore, sed & postea in perpetuum se tales a Deo haberi preces suas cupere. Radix כון proprie est *sidere*, *desidere*, *residere*, Gr. ἵζειν, ἵζεσθαι, sidere & sidendo *firmum tenere locum*; unde inter alia ad stabilem essentiam ac existentiam refertur.

§. VI. *Secunda* Ps. pars, quæ *argumentum*, seu materiam precum continet, *duplicis* generis, longe diversi, preces exhibet. Quarum *prior* pars א. proponitur, vers. 3, 4. ב. urgetur, vers. 5, 6. א. In propositione petitionis

nis α. oris moderamen, verſ. 3. β. pravi propoſiti & operis inhibitionem, verſ. 4. memorat. α. *Prius* his verbis a Deo ſupplicat, verſ. 3. *Pone*, *Jehova*, *cuſtodiam ori meo*, *retinaculum ſuper hauſtionem labiorum meorum*. h. e. Tu, Jehova, gratia tua caveas, ne ex corde per os & labia mea erumpant verba temeraria & mala, in te injurioſa, & proximo noxia, meque indigna. Licet enim ejusmodi verba non expreſſe memoraverit, res ipſa tamen talia exigit, & verſ. ſeq., ubi *verbum malum* adpellat, ſatis clare indicat. Voces parum habent difficultatis, licet poſterioris membri varie vertantur. Ad noſtræ verſionis, ad quam prope accedit Coccejus, illuſtrationem not. 1. נצרה eſſe vocem dageſſatam & non verbum *a*, & reddendam per *cuſtodiam arctam*, vel *retinaculum*, 2. דל non eſſe pro דלת *janua*, licet ori apte conveniat, ſed *ſitulam* ſignificare; unde דלה, cui ineſt *ſitulis aquandi*, *hauriendique* poteſtas *b*. Apte transfertur ad labia, alternatim ex imo veluti cordis ſermonem haurientia & effundentia. Vult itaque, ut Deus ori & labiis tanquam cuſtos præſideat, caveatque ne quid temere effundatur, quod Deo diſplicere queat. Cum enim Dei cuſtodiam petit, clare ſatis indicat, ex ore ſuo nihil proferri velle, quod *cuſtodi* non conveniat. Quæ ipſæ preces pro hypotheſi habent, tale quid nunc facile ſibi excidere poſſe, niſi a Deo impediatur; adeoque ſe in ejusmodi eſſe poſitum circumſtantiis, quæ facile ejusmodi dicta elicere poſſent. Quæ quales fuerint, ex ipſo Pſ., & tempore, quo compoſitus eſt, colligendum eſt: unde liquet, Davidem, hoſtiliter a Saulo ad necem quæſitum, occaſionem habuiſſe ipſum e medio tollendi; & ad id fuisſe a ſociis acriter incitatum. Petit itaque, ut hac occaſione nihil proferat, quod impatientiam in Deum ſpirat, aut odium in proximum, in Saulum, quodque ad vindictam, & cædem Sauli ſpectat, & occaſionem præbet; ſociisque,

Oooo qui

a Vid. Simon. form. nom. p. 402. *b* Schultens orig. l. 1. p. 207.

qui id volebant, permittit; sed contra, ut verbis & sermonibus utatur, de patientia, lenitate, & fiducia in Deum, ac reverentia regiæ Majestatis, testantibus. Qualem sese etiam eo tempore præstitisse, ex historia constat.

§. VII. β. *Posterius*, ad propositum & opus pravum spectans, his verbis enunciatur, vers. 4. *Ne inclines cor meum ad verbum malum, hauriendo haustiones in impietate, cum viris operatoribus iniquitatis, & ne vescar deliciis ipsorum.* h. e. Sicut ori meo ut capistrum imponas, ita ne animo meo, & adfectibus pravis, fræna laxes, oro, meque a pravo proposito & opere contra operarios illos iniquitatis heroas cohibens, ne, prætextu vel caussa impietatis eorum, vindictam propriam exerceam, aut odio litem, meque ea ratione ipsis similem præstem, & eorum cupedias & oblectationes degustem. Supplicat itaque, ne, ex Sauli & sociorum impietate caussa & occasione arrepta, incitetur ad pravum aliquod in eos facinus, quod vindictam spiraret, eoque ipso se iis similem præstet, & iisdem se delectari facinoribus demonstret. Quæ ut in luce collocentur, sequentia sunt notanda 1. Voces, *verbum malum*, significare, ut sæpe alibi, negotium, factum malum; quod facillimum est, & ab aliis jam observatum. Cum modo contra *voces* pravas orasset, nunc contra *facinora* rectius censetur precari. Intelligit autem in specie & directe, quo in Saulum, & ejus domum, violenter insurgat, & e medio tollat: cujus nunc occasio erat ipsi data, & ad quod etiam incitabatur. Sed latius quoque extendi potest ad prava ejusmodi facinora in posterum; a quibus ut sese semper purum præstet, orat. 2. Voces eas non cum proxime sequentibus, sed paulo remotioribus cohærere, hisce nimirum, *cum viris operatoribus iniquitatis*, hac ratione: *ne inclines cor meum ad verbum malum cum viris operatoribus iniquitatis*; nec tam eo sensu, quo commercium cum illis, quam, quo verbi mali objectum denotatur; ut

cum idem ſit ac *in*, vel *contra*; quem uſum vocula את *cum* haud infrequenter habet *a*. Sic *pugnare cum aliquo* eſt contra eum, *loqui* etiam & *agere* hoſtiliter cum aliquo. Intelligit enim manifeſte per *viros illos* Saulum & ſocios, a quibus infeſtabatur, ut ex verſ. 9. ubi idem titulus, nec non ex verſ. 5 & 6., ubi malitiam *eorum* & judices *eorum* memorat, manifeſtum eſt. Occurrit quoque in Pſ. frequenter illud epitheton de impiis illis Davidis perſecutoribus, uti conſtat. Nec ſine ratione dicit, *cum viris operatoribus*: indicat enim, titulo *virorum* præmiſſo, eos non dignitate & potentia tantum illuſtres, ſed & in operibus iniquitatis heroas nobiles & excellentes eſſe.

§. VIII. 3. Voces intermediæ, per parentheſin quaſi inſertæ, *hauriendo hauſtiones in impietate*, ita enim proprie ſonant, prætextum & occaſionem, vel modum exponunt mali verbi, ſeu facinoris cum operatoriis iniquitatis, adeoque non *ad hauriendum*, ſed *hauriendo*, verti debent. Significant autem verba, cauſam facinoris in illos operatores quærere in ipſorum *impietate*, ſeu inde anſam arripere, aut obtentum quærere, ipſos necandi, ſive repetitis ictibus impietatem penitus deſtruere, & exhaurire. Verbum עלל proprie valet ſitim, primore ardore ſedato, repetitis hauſtibus penitus exſtinguere, iterum iterumque hauriendo, & in aquam ſe immergendo. Unde ad varia transfertur, inter alia cum ad ictus repetitos, quibus vitalis ſpiritus exhauritur, vel quis ſeſe in aliquem immergit, ad ſanguinem ejus pleniſſime exhauriendum, quando etiam cum ב, ut hic, conſtruitur, tum ad cauſas, prætextus, quibus inveniendis & proferendis quis totus intentus eſt, ad alium lædendum & delendum, uti Deut XXII: 14. *b*. Uterque ſignificatus hic locum reperire poteſt: ſi *prior*, *modus* explicabitur, quo verbum malum cum operariis illis executioni mandatur, quatenus impietas eorum penitus

a Noldius de Particul. *b* Schultens orig. l. 1. c. 6 & in Ind. ubi aliud adhuc profert.

exstinguitur; si *posterior*, cui convenit versio LXX, caussa, vel obtentus, facinoris in operarios iniquitatis traditur, in ipsorum *impietate* situs. Uterque sensus conjungi potest, cum re ipsa parum differant; utique in eo conveniant, *impietatem* esse, vel prætendi, quæ penitus exhaurienda sit per facinora in operarios iniquitatis. Petit itaque David, ut nec ad cædem operariorum iniquitatis abripiatur, nec *prætextu* impietatis ipsorum ad vindictam suam satiandam, nec etiam propter *impietatem* ipsorum, quippe non a se, sed Deo, supremo judice, vindicandam: uti ipse eo tempore declaravit. 1 Sam. XXVI.

§. IX. 4. Ultima verba, *& ne vescar cupediis ipsorum*, addita sunt ad deprecationem suam urgendam exemplo ipsorum operariorum, qui eadem caussa, vel prætextu utebantur in Davide persequendo, quibus nimis videri posset similis, si necem eorum quæreret, & ea se oblectari demonstraret. Significat itaque, se & ideo nolle inclinari ad hoc facinus, ne ipsis illis operariis iniquitatis se similem præstare videatur, qui vindictam cupiat, & aliorum malis delectetur. Illud enim hic dicit, *cupediis illorum vesci;* phrasi non proprie, ut nonnullis visum, sed figurate capienda, & proverbialiter: ut ab aliis jam est observatum. *Cibi delicati* hic sunt improba facinora, quæ delectationem adferunt; sicut improbi dicuntur populum *Dei comedere*, ut *panem suum*, Ps. LIII: 5. vid. & Prov. XX: 20. & contra, *cibus* adpellatur *voluntatem* Dei *facere*: uti notum.

§. X. ב. Precibus, quibus facinus, seu verbis seu factis committendum, a se longe removendum oraverat, subjungit *rationes*, quæ ipsum ab eo facinore deterruerunt, & ad has preces moverunt, desumtas a noxio effectu, & indecentia facinoris, quippe ipsum severis plagis justi, & increpationi ipsius benevoli & amici, subjecturi, & a qualitate personæ suæ alieni, denique a moribus ejus præcedentibus, hucusque conservatis, quibus indoluit

potius

potius hostium insectationibus, & amice iiscum egit, cum eos videbat constrictos. Hunc existimaverim esse scopum & sensum pericopæ, vers. 5, 6. qua *rationes* tradit, quæ se a facinore, contra quod oraverat, absterruerant; quas vel sermone ad Deum continuato, vel ad se sociosve verso, exhibet: quod utrumque admitti potest; nec tanti est. Verba ita ex nostra versione sonant. *Compinget me justus, benignitas quoque me arguet, oleum capitis ne crudum faciat caput meum; quia adhuc etiam precatio mea in malis ipsorum. Immissi sunt in manus petræ judicum ipsorum, & audiverunt dicta mea, quod amoena fuerunt.* h. e. Prægnantes habeo rationes, quæ me ad facinus illud vitandum, & deprecandum, permoverunt. Est enim ejus naturæ, ut me severis justi plagis, & ipsius benigni ac amici increpationi subjiceret, præterea in capitis sacram unctionem directe incurrit, quippe quæ caput meum non exulcerare, & durum, sed molle reddere debeat; denique a moribus, hucusque habitis & postea tenendis, plane abhorret, cum hucusque non nisi precibus usus fuerim contra ipsorum malitiam; & quo tempore fuerunt in potestatem judicis ipsorum redacti, & præsentissimo mortis periculo expositi, non nisi amoenis & suavibus verbis eos adlocutus sum, quibus etiam in posterum uti constitui, quum fuerint ad petram collisi, seu severo Dei judicio e medio sublati.

§. XI. Tres itaque occurrunt rationes a crimine memorato deterrere aptæ natæ, ordine recensendæ & explicandæ. α. *Prima* continet noxia effecta facinoris patrati, in eo sita, quod justi rigidi gravissimas plagas, & ipsius benignitatis increpationem mereatur, & produceret; his verbis, vers. 5. *Compinget me justus, benignitas etiam arguet me*, scilicet, quod ex præcedentibus supplendum est, si tale quid, contra quod precatus sum, commisero. Quo nihil est facilius; licet Interpretes longe aliter instituant. Memorat itaque effectum & consequens facinoris commissi, quo ab eo patrando erat absterritus, & ad illud de-

precandum excitatus; illudque in duo dividit, *compellationem a justo*, & *redargutionem a benevolo*. Sic enim verba capienda sunt, & non, ut solent, vel *contundat me justus benigne*, vel *benignitas erit*, & *redarguat me*. Verba occurrunt in fut., nec voti aut precationis instar habent, sed effectum & consequens tradunt. *Contundere* nimis emphaticum est, quam ut cum *benignitate* conjungi possit; *increpatio* etiam, levior contusione, ei apte subjungi nequit, cum decresceret oratio. Denique חסד habetur, & non בחסד, nec cum verbo, *est* aut *erit*, sed cum verbo seq. construi debet; a quo præf. ו &, in ויוכיחני & *redarguet me*, abstraxit Interpretes; sine ratione, cum significet *etiam*, quemadmodum mox, *quia adbuc & precatio mea*; vel cum insigni emphasi redundat, qua dicit, *etiam*, profecto, imo ipsa illa, ut sit: *benignitas ipsa illa etiam* arguet me. Distinguamus itaque hæc duo, & *prius* de percussione contundente a justo, *posterius* de increpatione ab ipsa benignitate accipiamus; quando oratio recte fluet, & emphatica erit.

§. XII. *Prius* est, *compinget me justus*, h. e. recto-rigidus, severam urgens justitiam, sine ulla misericordia & lenitate, quicunque fuerit, sive Deus, sive Satanas, sive judex inter homines, modo posset, me gravissimis plagis propter tale facinus feriret, & prosterneret. *Justus* hic est in emphasi sic dictus, secundum veram vocis vim, qui summum sectatur & inflexilem rigorem, opposite ad benignum & æquum, cujus mox fit mentio; quo sensu *Deus* dicitur justus, cum in judicio secundum rigorem justitiæ agit, etiam *Satanas*, rigidus ille & durus justitiæ exactor, Jes. XLIX: 24. etiam homo durus & non exorabilis, Eccles. VII: 16. ne *sis nimium justus*. Loquitur autem in genere, neminem designans, sed quemcunque rigide *justum* intelligens; ut sensus sit: *justus*, qui qualisve sit, qui hoc factum judicare & vindicare posset, *me compingeret*, quod idem est, ac justitiæ rigidæ me ea ratione obnoxium red-

derem

derem ad graviffimam plagam; feu *justitia me contunderet*, uti mox *benignitas increpabit me.* Quod fi *justi* titulus, tempore Davidis, æque ac Jefaiæ, in ufu, eo, quo dixi, fenfu, fuiffet de Diabolo, eum hic intendi cenferem; ut fenfus fit, fe ejusmodi facinoribus Diabolo fore tradendum ad conterendum; uti *Jobo* fecit. Fieri poteft, ut Satanas *justus*, feu rigidus & fævus, æque κατ' ἐξοχὴν hoc tempore fuerit adpellatus, ac מִתְנַקֵּם Pf. VIII: 3. proprie *fævus* & *truculentus.* Verbum vero הלם maxime emphaticum eft. Primariam vim habet *pangendi*, *impingendi*; unde eft, *gravius ferire*, *impingere ictum*, allidere ac fternere *a*.

§. XIII. *Posterius* habet, *benignitas & arguet me.* h. e. quod fi rigorem juftitiæ effugerem, nec rigidi iftius poteftati ad confractionem traderer, & benigniffime mecum ageretur; ne fic quidem a caftigatione liber forem: ipfa quippe benignitas, & benevolentia, me redargueret & caftigaret; quicunque, quanta etiam benignitatis vena fluens, & ftudio benefaciendi præditus, me increparet, & puniret. *Abstracto* utitur pro *concreto*, majoris emphafios ergo: quo nihil eft vulgatius; & qualemcunque intelligit, five Deum, five hominem, quam benevolum, pium & amicum; in cujus redargutionem & caftigationem fefe incurfurum effe hoc facinore, declarat. De voce חסד, & verbo הוכיח cum fæpe alias dictum fit, nec res nunc ignota, plura non addam, nifi *redargutionis* verbo intelligi poffe qualemcunque convictionem, & redargutionem, five verbis, five factis, adeoque & caftigationem amicam ac benevolam.

§. XIV. β. *Secunda* ratio ab indecentia, & perfonæ fuæ repugnantia, petita, his verbis profertur, *oleum capitis ne crudum reddat caput meum.* h. e. Unctio Divina in auguftum munus regium, quæ mihi & Saulo contigit, magis etiam fpiritualis, qua ego condecoratus fum, fpiritus donis

a Schultens ad Prov. XXIII: 35.

nis mactatus, absit longissime, ut me crudum, austerum & exulceratum, faciat, qualis essem, si facinore, modo memorato, me contaminarem, debet me, contra, mollem, lenem & benignum, efficere, qualem ut me præstem Deum oravi. Orationis forma, *ne crudum* reddat, ita est instituta, ut fortissime neget, & rem, tanquam absurdam & longe a se alienam, rejiciat: quam potestatem vocula אל ne haud raro præfert: uti habuimus Ps. CXL: 9. & alibi. Declarat itaque, longe absonum esse, ab unctione capitis, qualiscunque sit, de qua mox, longe abhorrere effectum cruditatis & exulcerationis suæ; quem tamen habuisset, si ejusmodi facinoris, quod modo deprecatus erat, sese reum egisset, vel ageret; contra, proferre debere lenitatem & mansuetudinem, quam habere cupiebat, & a Deo supplex petierat. Quo sensu recte intelligitur, novam hic proferri rationem, a persona Davidis, ejusque qualitate petitam, qua facinus illud a se removendum esse evincit, &, sese recte contra illud orasse, demonstrat. Habet autem oratio pro hypothesi, facinus illud a se commissum directe fore adversum personæ suæ, & patefacturum, caput suum fuisse non molle, uti debebat, sed crudum factum per *oleum* capitis, quod valde alienum erat.

§. XV. Conjungendæ itaque sunt hæ voces, secus ac vulgo videtur, nec cum verbo *increpare* construendæ, acsi increpatio diceretur *oleum capitis*, & sensus foret, eam non crudum facturam caput, quod structuræ orationis & scopo minus convenit, sed novam sententiam constituunt, quæ alteram rationem, qua facinus illud a se removet, continent, ut dixi, a qualitate & dignitate personæ suæ sumtam, cui illud adversaretur. Qui sensus sicut scopo apte respondet, ita verbis & structuræ sermonis unice convenit. Quod ut adpareat, sequentia sunt notanda. 1. *Oleum capitis* non est præstantissimum simpliciter, ut a multis capitur, & vox ראש subinde sumitur, sed in caput effusum; uti proprie denotat, & possim usurpatur. Vid. Ps.

Pſ. XXIII: 5. CXXXIII., & alibi: quod ſequentia confirmant, ubi negatur *caput crudum* per oleum futurum; argumento, *oleum* intelligi in *caput* effuſum. Sed quid eſt *oleum capitis?* unctio, ni fallor, *oleo* fieri ſolita, ſive propria, ſive figurata, vel ſpiritualis, adeoque regia majeſtas, vel donorum ſpiritualium copia; quæ utraque per *oleum* & *unctionem* depingi, ut notum, ſolet. Utique *reges* adpellantur eximie *uncti*, & uncti Jehovæ, inter Judæos; quemadmodum Saulus a Davide adpellatur, & inde ratio petitur, quare *occidendus* non ſit, 1 Sam. XXIV, XXVI. & inde exaggeratur pudenda ejus cædes a Philiſtæis, acſi *oleo non fuiſſet unctus*, 2 Sam. I: 21. David quoque eo titulo ſæpe venit, quem Deus ipſe *unxiſſe* dicitur, Pſ. LXXXIX: 21. *Oleum* præterea, & *unctionem*, eſſe uſitatum emblema Spiritus S., ejusque *virtutum* & *operationum*; ſatis conſtat *a*.

§. XVI. 2. Radix נוא, unde eſt יָנִי pro יָנִיא per aphæreſin tertiæ א non inuſitatam, præſertim in Hiph., uti notum *b*, proprietatem habet in re *ſemi-cocta*, vel *cruda*; unde inter alia transfertur ad id, quod contuſione, ex gravi onere orta, *exulceratur*, & הניא eſt *gravavit*, malo læſit & adfecit, vel in corpore, vel animo, in ſpecie adhibetur in animi læſi *exulceratione* & *exaſperatione* hoſtili; ut Lat. *recrudescere*, & *crudum* pro ſævo, truculento *c*. Quam *exaſperandi* notionem hic omnino habet, oppoſito ad *emolliendi* effectum, quem *oleum* habere debeat & ſoleat. Senſus ergo eſt, *oleum* capitis, quod illud *molle* reddere debeat, abſit ut contrarium habeat effectum, caput *crudum* faciendo, & exaſperatum, ſed emolliat. 3. *Caput*, non *crudum* faciendum, ſignificat cum *dignitatem* & eminentiam, excellentiamque, tum animi adfectiones & operationes, in *capite* reſidentes, tum ipſam *perſonam* in genere, ut caput pro homine ipſo ſumi ſolet *d*, & ſupra habuimus Pſ. LX: 9. pro dignitate & perſona ipſa.

Pppp §. XVII. Sen-

a Vitringa ad Jeſ. X: 27. *b* Schultens Gr. p. 372. *c* Id. ad Job. XXXIII: 10. & florileg. p. 159. *d* Id. ad Pſ. CXXXIX: 17.

§. XVII. Sensus itaque est, qui ex præmissis observatis sese facile offert, unctionem non debere ipsum reddere durum, & exasperatum, ut in hostilem vindictam erumpat, sed mollem, mitem, & benignum, præterea nec contundere aut plaga graviore adficere, sed potius *sanum*, vegetum, & hilarem relinquere, & facere: quod est *olei* effectum. Sed *cujus* capitis oleum intelligit, quod caput suum nolit crudum fieri? Dubium non est, quin proprie & directe suum ipsum caput oleo perfusum in animo habuerit, cum illud sequentia requirant, ubi de *suo* capite non exulcerando loquitur; adeoque sensus sit, nec personæ nec virtutibus suis convenire illam cruditatem, *quæ* insuper grave vulnus utrique, & personæ, & *qualitati* morali suæ, infligeret. Erat jam tunc *unctus* in regem per Samuelem; *oleo sanctitatis a Deo unctus*, Ps. LXXXIX: 21. Insignibus insuper donis & virtutibus Spiritus S. *præditus*; uti notum. Hoc *oleum capitis* sui declarat nullo modo permittere, ut facinus, modo memoratum, committat, sive sese *durum* & *crudum* præbeat Saulo, ejusque domui, ac sociis, sibique ea ratione plagam infligat, sed contra exigere, ut lenis sit, patiens & submissus, oret *potius* pro eo, quam eum invadat hostiliter. Quæ ab unoquoque latius extendi facile possunt. Sed, cum non dicat, *oleum capitis mei*, verum in genere & absolute, *oleum capitis ne crudum faciat caput meum*, ad ipsius Sauli unctionem indirecte quoque videtur respexisse, tanquam quæ non patiatur, ut *crudescat* caput suum in ipsum, quia & ipse *unctus Jehovæ* erat; quam rationem ipse quoque dedit, quare manus in ipsum injicere noluit, 1 Sam. XXIV, XXVI. Quando sensus erit amplior; *oleum capitis* sive alterius, sc. Sauli, sive magis mei ipsius, *ne crudum faciat caput meum*. h. e. unctio mea id non patitur, non illum, sed alium effectum habere debet, ne quidem *unctio* alterius, seu Sauli, a me non nisi cum *mei capitis* læsione violanda.

§. XVIII. γ. *Tertia* ratio, qua facinus illud a se alienum

num esse, & contra illud se jure merito orare, demonstrat, ab ejus *moribus*, & hucusque observatis & deinceps retinendis, quibus illud directe adversatur, petita est, vers. 5. fin., 6 & 7. Qua in pericopa *a.* modum agendi, quem hucusque cum hostibus suis improbis tenuit, enarrat vers. 5. fin. *b.* eodem pede se insistere, eademque ratione sese erga illos agere velle, usque ad totalem eorum destructionem judicio Divino, declarat, vers. 6, 7. *a. Prius* his verbis, vers. 5. fin. *quia adhuc & precatio mea in malis ipsorum*, h. e. abesse a me longissime debet hostilis impetus in operarios illos iniquitatis, qui me persequuntur, eam etiam ob rationem, quod hucusque longe aliter erga eos fuerim adfectus, & me gesserim: tantum enim abest, ut hostiliter cum iis egerim, ut solas *preces* eorum malitiæ opposuerim, & in media eorum malitia non cessaverim pro iis, ad eorum conversionem & salutem, precari. Vocula כי *quia* hic verum suum usum retinet, quo *ratio* redditur superiorum; ut ex paraphrasi patet. Nova enim redditur ad facinus illud a se removendum, quia adfectionibus & moribus, hucusque præstitis, adversatur. Quæ vocula, in duabus præcedentibus sententiis omissa, hic expressa est, sed in præcedentibus quoque intelligenda, & ad eas extendenda. Vocula עוד *adhuc* hic veram suam quoque vim exserit, cujus sensus est, ad hoc tempus usque, post tam diuturnam persecutionem, se nihil a pia sua remisisse adfectione in hostes. Nec præf. connectens ו *&*, in voce ותפלתי *& precatio mea*, emphasi caret; dicit enim, lenitatem suam eousque fuisse demonstratam, ut *ipsa precatio sua* fuerit *in malis ipsorum*. Abundat itaque, ut sæpe alias, cum emphasi. Sed quid sibi vult phrasis *precatio mea in malis ipsorum?* dubium mihi non est, quia relat. *ipsorum* ad *operarios iniquitatis*, vers. 4. & non ad *justum*, vers. 5. respiciat, ut recte a Coccejo, Gejero, & aliis est observatum: exigit enim hoc pronom. plur., nec non sequens textus; ne dicam, *justo contundenti* nulla ratione convenire,

ut ex dictis liquet. Sed ambiguum est, *malane* physica an *moralia* intelligantur? utriusque enim generis adplicari potest *precatio* viri pii in iis. Testificatur enim & alibi, sese pro hostibus suis adflictis orasse, Ps. xxxv: 13. Sed utrumque malum hic recte conjungitur, modo physicum *illorum* non intelligatur, quo ipsi adfecti sunt, sed quod aliis inflixerunt: adeo ut sensus sit, se precatum esse in mediis malitiis ipsorum, & pravis eorum facinoribus in se, quibus *mala* physica patrarunt. Pravas adfectiones & actiones eorum hic omnino intellexerim; quas vox Hebr. etiam usitatius denotat. Respicitur enim ad *operarios iniquitatis*, adeoque *mala* eorum sunt, per quæ se tales operarios præstiterunt; phrasis præterea, *precatio mea in malis ipsorum*, rectius & plenius in pravas eorum adfectiones & actiones quadrat. Cum vero absolute dicat, & in genere, *precationem suam fuisse in malitiis ipsorum*; phrasin quoque amplissimo sensu accipere fas est. Indicat itaque 1. se in mediis ipsorum malitiis, & hostilibus insectationibus, sese occupatum tenuisse, & contra eos armasse *precibus*, ad Deum pro conservatione ac liberatione sua, & contra eorum prava facinora, fusis: se ergo nihil remisisse a piis suis exercitiis, & auxilium suum nusquam nisi in Deo, ejusque favore & gratia, quæsivisse, hostibus suis nulla opposuisse arma, nisi *preces*; quemadmodum, Ps. cix: 4. *pro amore meo odio me habent, at ego precatio.* h. e. hoc meum fuit auxilium, hæc mea occupatio. Quo etiam facit, quod verti voces possint, *precatio mea contra mala ipsorum*; quod nonnulli malunt, vid. Gejerus. 2. Addi potest, precationem quoque ad ipsorum hostium commoda referri posse; ita ut *pro iis* oraverit in *mediis* eorum *malitiis*; dum ipsi hostili impetu in Davidem ruebant, non destitisse *pro iis* orare, ad eorum conversionem & repressionem; & pro malo iis rependere *bonum*: ut a se factum declarat David Ps. xxxv, xxxviii, cix. & alibi.

§. XIX. *b.* Subjungit, se eodem tenore perrecturum in

post-

posterum, piamque suam erga hostes adfectionem etiam tunc demonstrando, quum judicio Dei fuerint confracti; vers. 6, 7. *Inmissi sunt in manus petræ judicum ipsorum, & audiverunt*, vel audient, *dicta mea, quod amoena sint: sicut scindens & findens in terra, dispersa sunt ossa nostra ad ostium inferni.* h. e. Sicut antea, quum judicio Divino in præsentissima inciderunt pericula, dicta mea suavia & amica audiverunt, ab omni odio & vindicta aliena, ita, quum rigorem justitiæ judicis sua destructione experientur, similia verba a me audientur, quibus eorum non tantum, sed & nostram, seu populi, sortem deplorabo, dicturus, *nostra ossa* esse violenter confracta, & dissipata, instar mortuorum. Continent verba, secundum hanc paraphrasin, 1. declarationem animi pii & mansueti, verbis demonstrandi, tempore judicii impiorum persecutorum, sicut antea fecerat in casu præterito, & excidii prænuncio, vers. 6. 2. Summam, seu specimen verborum suavium, quæ a se proferenda esse dixerat vers. 7.

§. XX. 1. *Prius* his verbis comprehenditur, vers. 6. *Dimissi sunt in manus petræ judicum ipsorum, tunc audiverunt, audientque, verba mea, quod suavia sunt.* Quibus verbis declarat, quo animo, quibusque verbis exceperit, & excepturus sit, judicium divinum in impios, licet hostes suos. *Prius* enim membrum continet *judicium* Dei in eos, & *posterius* animi adfectionem erga illos in eo judicio repræsentat: sunt autem ea ratione ordinata, ut ad præteritum & futurum adcommodari possint, adeoque hac parte de ambiguo, studio captato, quid trahant. Explicemus *primo* sensum, & dein de tempore præt. & fut. dispiciamus. Sensus *posterioris* membri cum nihil habeat difficilis, de eo nihil aliud dicam, quam verbum *audierunt*, vel *audient*, impersonaliter esse sumendum, pro *audita* sunt, vel *audientur*; & *dicta amoena*, vel ligato, vel soluto stylo prolata, utrumque patitur vox אמרי, quæ etiam pro *carmine*

a Vid. comm. noster ad Gen. XLIX: 21. & Mal. I. 14.

mine ſumitur, ut אמר *canere a*, eſſe ſuavia, & grata, quæ de animo miti & benevolo teſtantur, oppoſite ad irriſiones, illuſiones, maledictiones, & lætitiæ ſigna ſuper judicio illorum. Sed *prius* membrum difficilius eſt, utique minus recte expeditum: quod ſuo loco relinquendum *eſt*, verum ſenſum in lucem produxiſſe ſufficiat. Quo fini not. 1. *judices ipſorum* non eſſe ſubjectum orationis, ut vulgo cenſetur, ſed eſſe, in quorum manus inciderent operarii iniquitatis, ſupra memorati; adeo ut *hi* ſint, qui dimitterentur, *illi* vero, in quorum *manus;* qui cum voce *petræ*, ſeu *rupis*, itaque cohærent, ad emblematicæ phraſios explicationem additi; ut in verſione expreſſi. *Judices ipſorum* itaque ſunt, non præfecti, & primores, eorum, quod huc non quadrat, nec emphaſin haberet titulus *judicum*, ſed qui eos *judicant*, quibus rationem facinorum debent, & dabunt, ſive ſupremus ſit judex, Deus, num. plur. etiam *judices* dictus Pſ. LVIII: 12. ſicut alias *domini*, & *ſervatores*, uti notum; ſive etiam executores judicii Divini, quales reſpectu Sauli fuerunt *Philiſtæi*. *Petra* vero ſeu *rupes* ſtylo emblematico inter alia ſive inſuperabile obſtaculum, & præſentiſſimum periculum, ſive *rigorem* juſtitiæ & legum expingit, uti alio in caſu obſervavit Cl. Schultens *a*, qui conſpectus ſimul adplicari poteſt Pſ. CXXXVII: 9. *Manus* vero *rupis* denotat vim, & poteſtatem ejus, ut *manus inferni* Pſ. XLIX: 16. *manus flammæ* Jeſ. XLVII: 14. *manus linguæ* Prov. XVIII., *manus peccati* Job. VIII: 4. & ſimilia. Verbum denique שלח notat *laxare*, *dimittere*, *tradere*, promiſcui juris facere; ut apud Arab., cui Hebr. voc proxime convenit *b*. *Dimitti* tandem, ut totam phraſin explicem, *in manus rupis judicum ipſorum*, ſignificat, judicio Dei partim in præſentiſſimum periculum præcipitari, partim ſecundum rigorem juſtitiæ tractari, & confringi; quod Pſ. CXXXVII: 19. *allidi ad petram* dicitur.

§. XXI. Senſu verborum percepto, inquiramus, quo pertineant? Referri poſſunt, ut ſupra inſinuavi, ad præt. &

a ad Prov. XXX. p. 470. *b* Vid. Coccejus in Lex.

& fut. casum, sive mox, sive aliquandiu post. Possunt enim duplice ratione verti, vel, *immissi fuerunt* — — *&* *audiverunt*, vel *immissi fuerint* -- -- -- *audient* &c. ו enim in ישמעו recte habetur pro *conversivo*, ut dicitur præt. in fut. cui accentuatio etiam favet; quando præt. ונשמטו *immissi sunt*, accipi debet pro præt. in re futura; uti sæpe alias, & verti, *immissi fuerint*, pro *quum fuerint* &c. Ad emphasin phrasios, *immitti in manus rupis judicum*, quam modo exposui, adtendentibus probabilius nobis videtur, directe intendi casum futurum, quo exscinderentur operatores iniquitatis, Saulus & socii; quod factum est per Philistæos; quo seq. versus nos manifeste ducit, ut mox adparebit. Quod a Davide hic spiritu prophetico prædictum est. Quo casu exstante declarat, se animi benigni & condolentis signa daturum per verba amoena, publice audienda; uti ab ipso factum constat ex 2 Sam. I., de quo mox. Attamen digitum simul intendi autumaverim ad *duos* casus, ultimi hujus prænuncios, *alterum* præteritum, 2 Sam. XXIV. *alterum* præsentem, & mox futurum, 2 Sam. XXVI. quo utroque Saulus cum sociis immissus est *in manus petræ judicum ipsorum*, licet leviore sensu, quatenus in præsentissimum vitæ periculum incidit, & a Davide occidi facile potuit; sed *blanda* tum etiam Davidis verba, mitis, & a vindicta alieni, animi signa, audita sunt: uti constat. Hac ratione verba amplissimum habent sensum; & casus illi recte una censeri possunt comprehensi, quod priores duo fuerint ultimi prænuncii, & signa; uti David ipse, locis citatis, haud obscure indicavit.

§. XXII. 2. Specimen & summam verborum amoenorum, quæ modo dixerat a se esse publice tempore judicii divini in operatores iniquitatis, Saulum & socios, proferenda, sequentia verba, ex nostra opinione, exhibent, vers. 7. *Sicut secans & findens in terra dissipata sunt ossa nostra ad ostium inferni*, h. e. Quo tempore immissi fuerunt viri illi, qui me persequuntur, in rigidæ judicis justitiæ

tiæ poteſtatem, non lætabor & inſultabo ipſis, ſed mitis & condolentis verbis utar amoenis, quibus, ut ſummatim dicam, inſtar lugentis & miſerantis, eorum non tantum, ſed & noſtram, ſeu populi totius, ſortem deplorabo, tanquam qui redacti ſumus in miſeram & adflictam conditionem, qua robora noſtra disjecta ſunt, & præcipui noſtri violentia & pudenda cæde ſunt proſtrati, & inſepulti in terra abjecti, haud ſecus ac terra ſolet ſcindi & findi, partibus ejus disjectis. Quæ non ſunt ad Davidem, ejusque ſocios, a Saulo vexatos & ad necem quæſitos, ut fieri adſolet, ſed ad Saulum, & operarios iniquitatis violenta morte e medio tollendos, referenda, & ſummam continent, ut dixi, verborum *amoenorum*, tunc a Davide proferendorum, quum *immiſſi fuerint in manus petræ* 1. quia ſi de ſe fuiſſet locutus, ſing., ut per totum Pſ., & non plur. uſus fuiſſet, non *oſſa noſtra*, ſed *mea*, dixiſſet, 2. quia ſui ſtatus adflicti mentio qua ratione hic locum inveniat, non adparet; nec Interpretes ſufficienter exponere potuerunt. Ex noſtra hypotheſi nexus & ſcopus verborum in facili eſt; modo ſuppleatur, *dicam enim*, vel *hæc* nimirum verba audientur. Quo nil eſt uſitatius. 3. Quia imago eſt nimis fortis, quam ut in Davidem, tempore perſecutionis Sauli, conveniat: quare Interpretes ad hyperbolem, ſed nimiam, confugere debent; qua nobis non eſt opus. Pingitur utique ſtatus populi, cujus præcipui, qui robur ejus conſtituunt, ſunt violenta cæde percuſſi, & ad inferos dimiſſi.

§. XXIII. Metaphora deſumta eſt ab *aratore* terræ & *fiſſore* arborum, qui terram ſcindit, arborum findit, & partes utriusque diſſipat; quocum comparantur hoſtes, qui populum usque ad oſſa findunt, & oſſa confracta projiciunt ad oſtium inferni, ſeu præcipuos & fortiſſimos ejus violenta cæde orco tradunt. Verba continent protaſin & apodoſin, ſive ſimile & ejus explicationem, ſed conciſe & elliptice, ita ut membra ex ſe invicem ſint ſupplenda; hac

hac vel ſimili ratione. *Sicut ſciſſor & fiſſor in terra facit*, (eam ſcilicet ſcindendo, & findendo, partesque diſſipando,) *ita ſciſſi ſumus*, *& oſſa noſtra ad fauces orci diſſipata ſunt*, a violento ſcilicet ſciſſore & fiſſore. In antecedente reticetur *disſipatio*, & in conſequente *laceratio*; cujus utriusque in utroque membro habenda eſt ratio. Præterea in *protaſi*, verbo activo, in *apodoſi* paſſivo utitur; quod utrumque eſt conjungendum; ut ſit, *ſicut ſciſſor* & *fiſſor in terra facit*, & terra ab eo ſcinditur ac disjicitur; ita violentus hoſtis nobiscum egit, a quo ſciſſi ſumus, & oſſa noſtra ad orcum disjecta ſunt, vel ad ſepulchrum, *os* ſeu introitum inferorum. Quam ſtructuræ diverſitatem in activo & paſſivo verbo ſi quis evitare velit, poterit in priore membro præf. מ ſupplere in פלח & ובקע hac ratione, ſicut *a ſcindente & findente in terra fit*, ita a ſimuli ſciſſore nos fiſſi & lacerati ſumus. Quæ littera facilius omitti potuit propter concurrentiam cum voce præced. כמו, quæ eandem litteram habet.

§. XXIV. Quocunque modo verba concinnentur, illud certum eſt, *priore* membro ſimile, & *poſteriore* ejus adplicationem comprehendi. Simile eſt deſumtum, vel ab aratore, vel eo & fiſſore lignorum; non utique a ſolo fiſſore lignorum, quod pluribus placet, *cum* quod verbum פלח de *aratore* uſitatum ſit, & proprie etiam ad eum pertineat, dicit enim proprie, *ſecuit aratro terram*, *tum* quod *terræ* vox eo proxime ducat. Accedit, antiquas verſiones omnes eo reſpexiſſe; quibus de Dieu etiam adſurgit. Sed cum addatur verbum בקע, ne illud otioſum ſit, & ut vera ejus poteſtas conſervetur, ſimile *ſciſſoris* arborum, vel lignorum, additum velim, ut Tigurina verſio expreſſit. Eſt enim בקע, cui Arab. فقع & Heb. בקק reſpondet, e ſono fictum, & rupturam, cum fragore & crepitu, denotat: ut recte obſervavit. Cl. Kuypers *a*. Simile conciſe expreſſum, in ſua latitudine intellectum, ob oculos ponit terram, quæ

 ab

a ad Ali p. 84.

ab aratore ſcinditur, ac invertitur, & cujus arbores a fiſſore lacerantur, ac in fruſta, quaquaverſum ſparſa, diſſecantur.

§. XXV. In apodoſi, vel ſimilis adplicatione, *dicit*, *disjecta ſunt oſſa noſtra ad os orci*, ſeu inferorum, conciſe rurſus, ſed quod ex ſimili, modo memorato, facile hunc in modum ſuppletur: ita a violento & potente hoſte corpora noſtra, eaque præcipua & fortia, ſunt ſciſſa, & occiſa, inſuper quaquaverſum disjecta, ſive inhumata, ſive promiscue & inhoneſte jacentia in terra. Eamus per partes, & paucis illuſtremus. 1. *Oſſa noſtra* cum dicit, homines intelligit ſuæ gentis & ſocietatis, qui præcipui erant & firmamenta civitatis, cujus ipſe partem faciebat: non *mea* dicit oſſa, ſed *noſtra*, ut ſe ſalvum quidem, ſed ſui populi & civitatis inſigniores & robora eam ſortem ſubiiſſe, eoque totum corpus fuiſſe debilitatum, ſignificaret. Conjungit itaque ſe cum illis, & dolorem ſuum inde conceptum teſtatur, ſeque cum ipſo populo inde multum paſſum eſſe: quo ipſo indicat, ſe blandis & ſuavibus verbis uti in hoc caſu. 2. Hæc oſſa cum *diſſipata* dicit eſſe, ea fuiſſe violenter tractata & confracta, præſupponit. Quod ſicut ex ſuperiore ſimili facile ſuppletur, ita ipſa voce *oſſium*, abſolute poſita, involvitur. *Oſſa* enim abſolute poſita apud Orient. ſignificare ſolent *oſſa confracta* & quaſſata multis doloribus, ad medullam usque penetrantibus: uti Pſ. XXXV: 10. XXII: 18. Job. VII: 15. & alibi, unde & verbum עצם eſt *oſſa confringere*, Jer. LI: 17. 2. Confracta oſſa dicit *diſſipata* fuiſſe; h. e. quaqua verſum projecta, contumelioſe & foede tractata, oppoſite ad honeſtam ſepulturam; ſive inhumata ceſſerint feris, aut proculcata ſint, ſive terra fuerint fortuito obruta. 3. Addit, *ad os*, ſeu oſtium, *orci*, ut confractionem & diſſipationem, vel disjectionem, violenta cæde factam, fortius & clarius exprimeret. *Inferi*, orcus, שאול, non eſt ſepulchrum, ut putatur, ſed ſtatus & locus animarum defunctorum, ſeu *manium*;

nium; ut alibi demonstratur *a*. *Os* horum inferorum, seu regionis manium, est ostium, seu introitus in eam regionem; sicut *os*, פה, sumi solet. Prov. VIII: 3. *os civitatis*, Gen. XXIX: 2. *os putei*, Jos. X: 18. *os speluncæ*, & similia. *Ostium* itaque inferorum est ipsa mors, qua quis in eam regionem intrat, & forte etiam honesta *sepultura*, cum ea conjuncta, ex opinione Veterum de regione manium infra terram; in quam quis per mortem & sepulturam intrare censebatur: sicut *os* quoque superior rei pars adpellatur. *Ossa* itaque, vel membra reip. præcipua & *robora*, dicuntur confracta & disjecta ad ostium inferorum, quatenus violenta nece sunt adfecta, & foede abjecta. 4. Denique ex simili præmisso & illud addendum est, confractionem & disjectionem illam fuisse factam a potente & violento hoste, qui cum *sulcatore* & *fissore* comparatur. Quod facile intelligitur, & ad Philistæos, qui Saulum, & exercitum ejus, prostraverunt, adplicatur. Ex dictis liquet, quam apte verba in eum casum quadrent, & conspectum simul habeant verborum *suavium;* cum nihil acerbi contineant, sed multum animi benevoli, ac condolentis; quæ itaque recte pro summa carminis habentur, quo casum illum honestavit, 2 Sam. I.

§. XXVI. ב. *Posterius* precum argumentum comprehendit conservationem & liberationem a fraudulentis & violentis persecutionibus hostium, ratione ducta a patrocinio Dei, quod respiciebat in fide, & quo se receperat, vers. 8, 9. *Quia ad te, Jehova Domine! oculi mei* respiciunt, *in te perfugium quæro & habeo, ne denudes animam meam; serva me a manibus laquei eorum, qui mihi illaqueantur, & tendiculis operatorum iniquitatis.* Nihil hic curæ nostræ relictum. De re ipsa vidimus ad Ps. CXL: 5, 6. Verba & phrases parum habent obscuri. Præmittit fundamentum precationis, in fide & fiducia sua in Deum situm. *Quia ad te, Jehova Domine, oculi mei, in te ipso & solo refugium*

a Vid. ad Ps. XVI, XLIX: 15. & alibi.

meum pono. Quæ non ad præced. ſed ſeq. pertinere, facile patet, & recte obſervatum eſt. Tantum notetur emphaſis ה paragogici in בכה *in te;* non enim ſimpliciter paragogicum eſt, ſed emphaſin auget, ut ſit *in te*, *qui potentiſſimus* es & benevolus protector, in te ipſo & ſolo. De qua vel ſimili emphaſi ה paragogici alibi dixi in comm. ad Mal. II: 11.

§. XXVII. Ipſa precatio *negative* proponitur & *poſitive:* priore modo his verbis, *ne denudes animam meam*, h. e. vel, ne præſidio tuo nudatam exponas animam meam, ſeu vitam, manifeſto periculo & morti, vel, ne effundas animam meam, inſtar aquæ, & me ea prives, ſeu vacuum reddas. Poſterius licet vulgatius ſit, & ex Jeſ. XXXII: 15., ubi pro *effuſione* ſumitur, confirmari poſſit; *prius* tamen cum verbi notione eſt conjunctius, & elegantius. Proprie enim in illud convenit, quod per effuſionem nudatur, ut de lagena habetur, Gen. XXIV: 20. non quod profunditur, ut hic: præterea, cum modo dixerat, ſe in Deo quærere & habere *præſidium*, rectius orat, ne eo *nudetur anima ſua:* accedit, *nudari* metaph. ſumi pro exponi periculo & morti; quare ערה met. denotat loca nuda, patentia, periculis bellorum maxime obnoxia, per quæ hoſtis irrumpere poteſt *a*. Nec aliter ſumenda eſt phraſis, Jeſ. LIII: 12. ubi *nudare animam morti*, vel *ad mortem* eſt, eam ei exponere, & obnoxiam reddere mortis invaſioni.

§. XXVIII. *Poſteriore* modo, vel poſitive, his verbis enunciatur precatio, verſ. 9. *Serva me a manibus laquei, eorum qui illaqueantur mihi, & tendiculis operatorum iniquitatis*. In quibus nihil eſt, quod moratur. Si vero quem offendat plur. foem. vocis מקשות, cum non niſi in maſc. occurrat, is pro hac voce legere poterit מקשׁ יתו, ut Pſ. CXL: 6. unde facile oriri potuit מקשׁות. Illud, licet leve forte ſit, verbo notetur, minus recte verbum יקשׁ ſuppleri & verti ſolere, *quem mihi tetenderunt*, ſed debere, *eorum*

a Schultens Defect. §. 269.

rum qui mihi laqueum tetenderunt; ut mox, *laqueus operantium iniquitatis.* Phrasis itaque יָקְשׁוּ לִי pro אשר יָקְשׁוּ לִי est pro particip. יֹקְשִׁים, & reddi debet, *eorum, qui mihi illaqueantur;* verbum enim יקש per se dicit *laqueum ponere*, nec potest cum פח construi.

§. XXIX. Superest pars *tertia* Ps., qua, per modum conclusionis, operatorum iniquitatis sibi insidiantium excidium, & suam liberationem, se certo prævidere & exspectare declarat, tanquam propheta, & de precum suarum exauditione certus; his verbis, vers. 10. *Cadent in foveas suas improbi pariter; ego*, vel *uniter ego*, *continuo*, vel majestuose & animose, *transibo.* h. e. Certus prævideo, & prædico, ut concludam, improbos suis pravis consiliis, in me cusis, exitium sibi esse paraturos, eosque totos quantos perituros; me vero bene compactum, & securum esse continuo & majestuose, ac animose, quaquaversum transiturum, & superaturum. *Prius* membrum, improbos perituros suis consiliis & facinoribus propriis, nihil habet admodum difficile, quod non est ab aliis expeditum. Tantum addo 1. voce מַכְמֹר non *rete*, ut sumi solet, sed *foveam* significari, feris capiendis paratam, & *prunis* aggestis instructam, pro esca injecto frusto carnis, vel & *ovicula* viva, quæ balatu suo feras adliciat; qua ratione cum *decipulis* conspirat: quo modo, foveis ad latera fluminum paratis, capiebantur *crocodili*, quo Jes. XIX. respicitur. Signat autem vox apud Arab. *cavum* prunis *aggestis flagrans*, a rad. כמר *flagrare.* 2. Vocem יחד *uniter*, *pariter*, recte, cum præced. construi; ut sensus sit, eos pariter, totos quantos perituros: quam significationem præfert יחד, uti notum; & haud infrequenter de hostibus exscindendis ea ratione usurpatur, ut Ps. XXXVII: 38. XL: 15. & alibi sæpe.


§. XXX. *Posterius* membrum difficilius est, & haud una laborat ambiguitate, cujus in versione etiam rationem habui. 1. Primum ambiguum est in voce יחד, quæ cum

præced. construi potest, ut feci, & seq. ut accentuatio Masorethica habet; quod utrumque admitti potest. Sed cum seq. constructa vox dicet *compacte & secure;* ut sit, *uniter ego*, unitate undique compacta & conclusa, quam nulla vis hostilis perrumpere possit, adeoque *tutissime* & *secure*: uti Ps. IV: 9. & alibi. 2. *Secundum* est in voce, vel vocula עד, ante אעברה, quæ verti solet, *donec* transiero, quod minus commodum aut facilem reddit sensum. Verti vel *continuo*, vel *magnifice* & *animose;* quod utrumque planam reddit orationem, & sensum emphaticum. Si *continuo;* sententia erit, *uniter* ego continuo, & identidem repetitis vicibus, *transibo*, scilicet quaquaversum, & *victoriose;* de quo mox. Vocula עד pro *æterno* sumi solet, sed proprie non nisi *longissimum tempus* denotat, quod ex vicibus, & periodis in orbem identidem revolutis, constat; a rad. עדה *volvi*, *obvolvi*, *revolvi:* quare recte hic foret, *transibo continuis vicibus*, identidem repetitis. Sed potest etiam verti *majestuose ac animose transibo* instar herois & triumphatoris; a עדה magnifice se ornavit, ut in pompa & triumpho *a*. Sed signat quoque עדה *cursum vehementem* & infestum, qualis est leonis in prædam ruentis: Job. XXVIII: 8. Recte itaque עד erit magnifice & animose & in hostes ibo, & iis devictis incedam. Quod utrumque verbum עבר involvit. Sic Tseph. III: 8. *exspectate me*, *dictum Jehova*, *ad diem*, *quo surgam* לעד majestuose & impetuose. 3. *Tertium* est, verbum עבר, absolute positum, qualemcunque transitum in genere quaquaversum denotare, & in specie *hostilem* & *bellicum;* quem usum frequenter habet. Radix proprie dicit *intumescere*, & de fluvio intumescente ac altius se efferente sumitur, unde ad magnificum & elatum incessum, simul hostilem invasionem, facilis est transitus. Utrumque hic conspectum conjungere licet; uti Jes. XLI: 3. de Cyro, *persecutus est ipsos*, *transiit in pace*, h. e. tuto, & incolumis, ut hic יחד: *uniter*. Denique signat etiam עבר, absolute posi-

a Schultens ad Job.

tum,

tum, *evadere;* ut Prov. III: 15. fin. quod & huc adplicari potest. Prænunciat itaque David, se tuto, & animose, simul impetuose & magnifice quaquaversum continuo esse transiturum, sive in hostes, sive in regno devictis hostibus. In quo amplissimo sensu acquiesco. De implemento in Davide non opus est, ut dicam, cum nemini non constet.



PSALM.

PSALM. CXLII.

1. *Carmen informans Davidis, cum esset in spelunca, precatio.*

2. *Voce mea Jehovam inclamabo, voce mea stridula Jehovam inplorabo.*

3. *Effundam coram Ipso querulas & submissas meas preces, angustiam meam coram ipso publicabo.*

4. *Quum spiritus meus tristitia fuerit obvolutus. Et,* vel *profecto, tu novisti viam meam regiam, in ipsa illa via, qua itare solebam, occultarunt laqueum mihi.*

5. *Respice dextram, & vide, & nemo est, qui me agnoscit, periit mihi perfugium, & nemo quaerit de anima mea.*

6. *Inclamavi te, Jehova, dixi, tu perfugium meum es, portio mea in terra viventium.*

7. *Adtende vociferationem meam, quia adtenuatus sum valde, eripe me persecutoribus meis, quia me sunt firmiores.*

8. *Educ,* vel *emicare fac, animam meam e claustro, ad celebrandum nomen tuum; in me coronabunt justi,* vel *justos, quod me bonis cumulaveris.*

PROLEGO-

PROLEGOMENA.

§. I.

ARgumentum Pſ. eſt viri pii, qui Deum pro ſorte ſua in hac vita elegerat, & in eo ſuum perfugium ſemper quæſiverat, nunc in eum ſtatum adflictum redacti, quo ab omnibus deſertus, & ab hoſtibus, qui jam antea ipſi inſidias ſtruxerant, palam ad necem erat quærendus, oratio ad Deum, qua partim declarat, ſe fiduciam in Deo poſiturum, & in precibus auxilium ſuum quæſiturum eſſe in omnibus anguſtiis, quibus premeretur, eaque ratione animum, ſi quando triſtitia fuerit nimium obvolutus, erecturum, & firmaturum, partim orat, ut Deus, ad præſentem ſuum ſtatum miſerum, ſuamque ad Deum relationem, & piam animi adfectionem, ſemper præſtitam, reſpiciens, ſe exaudiat, & hoſtium manibus eripiat, ut & ſibi & juſtis reliquis præbeatur materia Deum celebrandi, & in eo gloriandi, tanquam piorum vindice. Cum, ſermone de Deo in tertia perſona inſtituto, & ad ſe verſo, declaraſſet, qua ratione ſe in adflictione & perſecutione ſua, quæ nunc publice inciperet, gereret, animumque ſuum erigeret per preces ad Deum fundendas, Deum directe adloquitur, cui per modum introductionis præteritum ſuum ſtatum periculoſum, per tectas hoſtium inſidias, & præſentem fere deſperatum, una cum relationibus ſuis ad Deum, & piis adfectionibus erga eum, ob oculos ponit, dein directe ab ipſo petit conſervationem & liberationem ſuam, urgetque ex glorioſo conſequente, & ſui, & juſtorum reſpectu, quo & ipſe Deum celebraret, & juſti triumpharent & gloriarentur. In quo canticum claudit.

§. II. *Duo* vel *tres* ſeſe offerunt characteres perſonæ loquentis, ejusque ſtatus, ex quibus de *tempore* Pſ., qui Davidem habet autorem, judicandum eſt. *a. Primus* re-

ſpicit ad tempus præteritum, habetque, Davidem variis huc usque inſidiis tecte eſſe petitum, quæ ipſi in omnibus ſuis viis ſtructæ fuerunt, verſ. 4. ubi de occultis loquitur inſidiis, iisque præteritis, quas Deo dicit eſſe notas. β. *Secundus* lineas præſentis conditionis ducit, eamque depingit tanquam deſperabundam, qua ab omnibus deſertus, ſine comitibus & patronis, ad necem petebatur a potentiſſimis hoſtibus, verſ. 5, 7. γ. *Tertius* denique addi poteſt, eum graviores & publicas exſpectare hoſtium infeſtationes, quæ ad incitas ipſum ſubinde redigerent; in quibus ut Deus ſibi oranti, & ad eum confugienti, identidem ſuccurrat, ſupplex petit, verſ. 2-4.

§. III. Quos characteres qui adverterit, & Davidis hiſtoriam mente recollegerit, in eam ſponte ſua veniet opinionem, nullum *tempus* Pſ. eſſe adcommodatius eo, quo, clandeſtinis Sauli inſidiis in aula ejus ereptus, ſe ſolum, & ab omnibus deſertum vidit, hoſtiumque publicas infeſtationes experiretur. Qui ejus fuit ipſiſſimus ſtatus, quo in ſpelunca Adullamitica latuit, 1 Sam. XXII: 1. antequam ſeſe aliqui de familia aut populo ei adjunxerint. Cui hypotheſi ſicut criteria, modo prolata, unice conveniunt, ut facile patet, ita robur addit inſcriptio, modo per *ſpeluncam*, in qua has preces fudit, non ea in deſerto Engaddi, 1 Sam. XXIV., ſed *Odollam*, 1 Sam. XXII., intelligatur. Diſſentiunt hic interpretes, & plures de priore capiunt; cui nomen *ſpeluncæ* abſolute poſitum convenire videtur, ut Pſ. LVII: 1., ſed ibi habetur, eum a coram Saulo, ipſum actu perſequente, fugiſſe in *ſpeluncam*; cum hic ſimpliciter habeatur, ipſum *fuiſſe* in *ſpelunca:* quod ſatis notabile diſcrimen eſt, & utrumque caſum diſtinguit. In *ſpeluncam* Engaddi a Saulo ipſum inſectante compulſus eſt confugere; ſed hic ſimpliciter dicitur, ipſum *fuiſſe* in ſpelunca; nulla mentione fugæ coram Saulo, actu & publice perſequente, & ideo in ſpeluncam receſſus, facta. Characteres quoque, modo fixi, non quadrant in ſtatum

Davidis in ſpelunca Engaddi; nec enim tunc ſolus fuit, ut verſ. 5. habetur, nec tunc primum incipiebat publica perſecutio, ſed aliquandiu duraverat, ſecus ac hic indicatur. Acquieſcimus itaque in hac hypotheſi.

§. IV. *Scopus* Pſ., cum publico communicati, unde facile de *uſu* conſtat, eſt, pios & juſtos informare, qua ratione ſeſe in calamitatibus, etiam ſummis & deſperatis, habere & gerere debeant, ad ſtatum ſuum digne tuendum, & optatum finem liberationis conſequendum; non deſperando, & injuſtis mediis utendo, ſed ſe in Deo erigendo, & precibus ad Deum confugiendo; quarum formulam hic ipſis in manibus tradit. De quo ſcopo ſicut argumentum Pſ. teſtatur, ita inſcriptio nos certiores reddit. Titulus enim מַשְׂכִּיל *informans*, & *maturum*, ſeu prudentem & felicem, reddens, eo manifeſte ducit. De quo dixi ad Pſ. XXXII. Adfine eſt, exemplo ſuo demonſtrare, pios, ad incitas redactos, non ſuccumbere malis, ſed inde glorioſe liberari; quod in ſuum ſolatium vertere poſſint & debeant pii; quo nos ducit conſequens liberationis, verſ. 8, *in me coronabunt ſe juſti;* ut ſuo loco videbimus.

§. V. *Structura* Pſ. nihil habet ſingularis. Incipit cum ſoliloquio, quo declarat propoſitum ſuum de Deo fidendo, & invocando, in omnibus anguſtiis, quibus conſtringeretur in poſterum; vertit dein ſe in precibus ad Deum, quem a verſ. 4. usque ad finem adloquitur; ut ſuo loco patebit. *Stylus* eſt adfectuoſus, ſed facilis. *Partes* Pſ. ſunt duæ generales. I. *Prior* continet declarationem propoſiti de Deo cum fiducia in omnibus ſuis anguſtiis futuris invocando, eaque ratione ſe confirmando & conſolando, verſ. 2-4. init. II. *Poſterior* vero *preces*, in præſente ſtatu fuſas, oratione ad Deum verſa: ubi *a*. rationes moventes ad exauditionem præmittit, deſumtas ab inſidiis hoſtium, quibus expoſitus fuerat & ereptus, a præſente ſuo ſtatu, quo ab omnibus deſertus erat, & omni deſtitutus patrocinio, denique a relatione ſua ad Deum, & adfectionibus

fuis in eum, verf. 4—6. ². *preces* pro liberatione fua direċte fundit, verf. 7. 8.

EXPLICATIO.

§. VI. Cum Interpretes a Davide non discedant, nec vel fpecies fit rationis ad alium oculos fleċtendi, & fupra de *tempore* Pf. compofiti egerim; adeoque inquifitioni hypothefios Pf. exponendi locus non fit, ad ipfam traċtationem mox pergo. *Prior* pars, cujus fummam modo tradidi, his verbis comprehenfa eft, verf. 2–4. init. *Voce mea Jehovam inclamabo, voce mea Jehovam ftridula implorabo: effundam coram ipfo querulas & fubmiffas preces meas; anguftiam meam coram ipfo publicabo, quum fpiritus meus triftitia fuerit obvolutus fuper me.* h. e. Cum, occultis & infidiofis infeftationibus ereptus, publicas & apertas perfecutiones exfpeċtandas habeam, fixum mihi fedet propofitum, quo etiam me confolabor, querelas meas ad Deum deferendi, ejusque gratiam & opem fubmiffe & cum fiducia implorandi, quibuscunque anguftiis, etiam graviffimis & defperatis, fuerim preffus in pofterum. Verba non continent preces, quas nunc fundit, ut accipi folent, fed fufurus eft in pofterum; ut ex verbis fut. temp., quibus utitur, eft manifeftum, & ulterius confirmatur ex ultimis verbis, *quum obvolutus fuerit fpiritus meus;* quæ, ut mox dicam, male cum feq. conjunċta funt in verfuum divifione. Oratio autem eft pietatis non tantum, fed & fiduciæ plena; & pro hypothefi habet, ut in paraphrafi indicavi, eum clandeftinis infidiis fuiffe ereptum, & nunc manifeftis infeċtationibus hoftilibus expofitum, quæ ipfum in magnas conjicerent anguftias, eo majores, quod cum potentibus hoftibus res fibi fit, & ipfe omni auxilio nudatus. Quæ hypothefis ex feq. facile eruitur, cum ibi de clandeftinis infidiis in præt., & perfecutionibus apertis in fut. loquatur; in

in præsentia sese omni patrocinio carere dicat. Verba parum habent, quod nostram requirit curam.

§. VII. Exponit David his verbis, qua ratione se tempore nimiæ tristitiæ, ex angustiis suis oriundæ, consolaturus sit, quo usurus medio ad tristitiam & desperationem superandam; ad Deum in precibus confugiendo. Declarat itaque α quod medium in angustiis suis, quæ ipsum corriperent, sit adhibiturus, & β. quando se ad illud receptu.us sit in primis. *a. Prius* exhibent verba vers. 2 & 3. quæ propositum Deum orandi, maxime serium, in angustiis suis, phrasibus diversis, eodem recidentibus, emphatice ob oculos ponunt; *voce mea Jehovam inclamabo, voce mea stridula Jehovam implorabo.* (Jehovam, tanquam justum & innocentium oppressorum vindicem, invocabo, ut mihi jus faciat, eundem, tanquam veracem & misericordem, stridula voce, de tenerrimo adfectu testante, implorabo, ut mihi gratiam faciat. Hac ratione verba recte distinguuntur & capiuntur. Radix זעק, quæ eadem ac צעק, originem habet in *crepando, cum crepitu erumpendo in sonum graviorem*, & designat proprie fragorem, veluti coeli tonitrua & fulmina mittentis; unde inter alia met. est, *clamavit præ dolore*, q. d. tempestate quasi mentis concussus erupit in fragorem & querelam publicam; adeoque continetur publica querimonia, cum imploratione auxilii & protectionis conjuncta, quam Lat. vocant *quiritationem*, in specie viduarum & pupillorum, 1 Reg. xx: 39. 2 Reg. VIII: 5. & oppressorum, Deut. XXII: 24. ita & זעק Ex. II: 23. 2 Sam. XIII: 19. Ps. XXII: 6. & alibi. Verbum חנן dicit proprie *stridulum & tinnulum* sonare, inde ad tenerrimum adfectum in genere, & vocem querulam ad gratiam inplorandam, & adfectum tenerrimum excitandum, refertur: uti alibi sæpe observavi.) *effundam coram facie ejus querulas & submissas preces meas, angustias meas coram ipso publicabo*, (ex intimo animi adfectu, magno studio & ardore, omnes meas querelas coram ipso proferam, & angustias, quibus

fuero constrictus, coram ipso sistam, & enarrabo. Oratio rursus est emphatica. Vox שיח originem habet in *reciprocatione* motus, in vagatione & exspatiatione; unde met. *meditari*, q. d. exspatiari in materiam, & altius invehi, inde de vaga & effusa, vel nugatione, ut Prov. XXIII: 29. vel *querimonia*, quæ velut exspatiatur sine modo *a*: unde liquet elegantia phrasios & emphasis, *effundere* meditationem querulam & late vagantem. Alterum verbum הגיד proprie dicit, *facere* ut aliquid *ante oculos* clare adpareat, inde palam exponere, enarrare, publicare, instar præconis voce sonora. *Angustias* vero expresse memorat, a se publicandas, ut statum suum miserum, & periculum, quo preces eas & querimonias effunderet, & unde orirentur, indicaret, quo & vita periclitaretur, & animus arcte constringeretur.) Ad cujus explicationem & adgravationem addit, quæ *β. altera* est pericopæ pars, *cum tristitia fuerit obvolutus super me spiritus meus*. h. e. tunc ita clamabo, quum deprehendero animum meum fere succumbere, & desperaturum esse, tristitia & metu plane obrutum. Conf. Ps. CII: 1. & ibi dicta, nec non Ps. LXXVII: 4. *Proprie est* עטף *duplicando flexit & convolvit*; adhibetur de veste exteriore, seu pallio, quod diversimode flexum corpus circumvolvit: unde met. ad tristitiam profundam, & metum desperabundum, animum implicantem, & convolventem, in cujus signum etiam caput operiri, & corpus toga involvi solet, adplicatur *b*. Exponunt itaque verba *tempus & statum*, quo clamores & preces effunderet, ad se erigendum & consolandum, adeoque ad præced. pertinent, & pericopam illam claudunt, cum seq. male connexa, quibuscum non cohærent, ut ex dictis liquet, & dicendis magis patescet.

§. VIII. In *altera* Ps. parte, quæ preces nunc fusas comprehendit, oratione ad Deum directe versa, א. per modum

a Schultens ad Prov. . *b* Schroeder ad Jes. III. cap. 15. & Schultens Har. conf. 1. p. 18.

dum introductionis præmittit rationes moventes ad exauditionem, verſ. 4-6. *a.* Quarum *prima* petita eſt a Dei adprobatione & benevola cura, quam expertus antea fuit in via, undique laqueis & inſidiis ad ipſum irretiendum obſeſſa, qua Deus ipſum duxit & tutatus eſt, verſ. 4. *Et*, vel *profecto, tu noviſti viam meam regiam; in ipſa illa via, qua itare ſolebam, occultarunt laqueum mihi.* h. e. modum agendi & vivendi publicum, quem hucusque tenui, Tibi acceptum, ſimul curæ cordique, fuiſſe demonſtraſti, o Jehova: illi quidem in illa mea via, qua incedere ſolebam, in vitæ meæ inſtituto, quod habui, inſidias mihi ſtruxerunt, per ipſum illud inſtitutum mihi necem adferre conati, ſed tua mihi adfuit, me duxit & ſalvum præſtitit, dextra; eaque ratione demonſtraſti te noviſſe viam meam. Reſpicit David his verbis ad vitæ inſtitutum publicum, quod in medio eorum, qui nunc palam incipiebant perſequi, exegit, & palam coram Deo profitetur, ſe Deo in eo adprobaſſe, & ejus ductum ac opem fuiſſe expertum, dum illi inſidias ipſi clam ſtruxerint, adeoque ſe Dei ope tutum ſalvumque manſiſſe, & ereptum fuiſſe omnibus eorum inſidiis. Declarat *a.* viam ſuam Deo fuiſſe cognitam, dein *b.* ſpecimen ejus cognitionis profert in eo, quod viam inſidiis plenam per hanc Dei curam ſalvus calcaverit. Hac ratione cohærent *verſus* membra. *a.* Prius eſt, *& tu noviſti viam meam regiam.* h. e. profecto tu inſtitutum meum agendi publicum & adprobaſti, & cura tua direxiſti. Præf. ו in ואתה *& tu* abundat cum emphaſi adſeverandi, adeoque recte vertitur, *profecto;* ut ſæpe alias. *Via* non eſt *ſemita*, via compendiaria, trames, ut vulgo putatur, ſed ſtrata, publica & regia; a rad. נתב *eminuit*, unde via proprie *eminens*, adeoque ſtrata & regia, ſeu publica. Intelligitur itaque inſtitutum vivendi & agendi publicum, autoritate publica munitum, coram omnium oculis, quod ipſe tenuit. Qui ſatis notus eſt *via* ſignificatus figuratus. Quam ſuam viam cum declarat Deo *fuiſſe notam*, non theore-

theoreticam ſolum, ſed inprimis *practicam* intelligit notitiam, ſeu adprobationem, & curationem, uti Pſ. I. *Deus novit viam juſtorum*; & alibi ſæpe. *b. Poſterius* membrum ejus rei ſpecimen complectitur, in eo ſitum, quod omnes inſidias ipſi in hac ſua via clam ſtructas effugerit per hanc Dei curam. Verba hæc ſunt, quæ proferam & mox exponam. *In via iſta* (ſcilicet modo memorata, quæ tuum meruit calculum, & tua ſub directione fuit) *qua ambulare ſolebam* (ſupplenda enim eſt vocula אשר, & fut. *ambulabo* indicat conſuetudinem; ut ſæpe alias, nec ignotum) *occultarunt mihi laqueum* (conati ſunt me clanculum dejicere, & in perniciem præcipitare; quod a Saulo & aulicis fuiſſe factum, ex I Sam. XVIII. ſatis conſtat; ſed, quod ſupplendum eſt, *fruſtra*, vel & *dextra* tua mihi adfuit. Non enim ſimpliciter intendit, laqueum ſibi fuiſſe in via ſua poſitum, verum in caſſum, & ſe fuiſſe ſalvum: cujus indicium eſt etiam in eo, quod dicat, *in via iſta*, ſc. quam *tu noviſti*, laqueum poſuerunt mihi, adeoque, quod ſponte ſequitur, inſipienter, temere, & in caſſum; cum fuerit via ejus Deo nota. Subintelligitur itaque, vel חנם *fruſtra*, vel ex ſeq. & *manum*, ſeu dextram tuam, expertus ſum; eo enim intendit, cum mox ſubjungit, *reſpice manum*, ſc. qua mihi te obſtrinxiſti, & me tutatus es antea.)

§. IX. *β. Secunda* ratio movens deſumta eſt a præſente ſtatu miſero, & periculoſo, quo ab omnibus deſertus, omni deſtitutus patrocinio, ad necem quærebatur, & pereundus videbatur, verſ. 5. *Reſpice dextram, & vide, & nemo eſt* (quod nemo ſit) *qui me agnoſcit, periit mihi perfugium, nemo quærit de anima mea.* h. e. fidem mihi datam, & tutelam conceſſam antea, reſpice quæſo, & vide nunc, quo in ſtatu ſim; ab hominibus omnibus deſertus, & omni perfugio orbus; ſolus itaque, & quo me vertam inſcius, ut mortem effugiam. Vult itaque, ut Deus *manum* ſuam reſpiciat, & cum eo comparet ſtatum præſentem pericu-

periculosum & miserum, in quo versabatur, ut ea ratione excitaretur ad sibi succurrendum, sicut antea. Hunc existimo esse verborum sensum & conspectum, ab Interpretibus, qui varie instituunt, minus perspectum. In eo est, ut Deum moveat ad preces, mox fundendas, exaudiendas; adeoque & hic ratio movens occurrat, necesse est. Petita autem est a comparatione fidei datæ & protectionis superioris, & præsentis derelictionis; quæ secum consistere non poterant. Quæ duo contraria petit ut Deus consideret, & manum, & statum suum præsentem desertum ab omnibus, sive ab *altera* parte fidem & protectionem, a Deo sibi datam & concessam, ab *altera* vero adflictam suam conditionem præsentem. *Prius* his verbis, *adspice dextram*, scilicet *tuam*: cum enim absolute loquatur, *dextram* simpliciter nominans, nihil propinquius est, quam ipsius Dei intelligere, quem adloquitur; ceteroquin enim addidisset *meam:* accedit, *dextram*, sic absolute dictam, esse, quæ eo nomine maxime digna est, dextram itaque κατ' ἐξοχὴν sic dictam; *dextram potentiæ* sic absolute adpellatam Marc. XIV. quamque, ut modo insinuaverat, ipse expertus antea erat: acsi haberetur, *adspice dextram*, qua me in via mea, laqueis obsessa, duxisti salvum & securum. *Dextra* hic recte pro *fide* data, & *protectione* concessa sumitur; ut sit, respice ad *fidem*, dextra confirmatam, & *patrocinium*, dextra ducente & sustentante, mihi suppeditatum. Sic & alibi *dextra* pro juramento, vel fide solenniter obligata. Ps. CXLIV: 8. [a], frequenter pro *protectione*, uti notum. Utriusque ratio habetur Ps. LXXIV: 11. & LXXVII: 11.

§. X. *Posterius* his verbis continetur, *& vide & non est mihi agnoscens, periit perfugium a me, non est quærens de anima mea*, uti verba proprie sonant. h. e. fidem & protectionem tuam, qua me beasti, adverte; & tunc *vide*, quam sit desperata conditio, omni auxilio divino & huma-

a Vid. Schultens ad l. c. & Har. p. 88.

no orba; quam male hæc cohærent: vel, quod eodem redit, *adspice dextram*, & *vide* ubi nunc sit, quam sit otiosa, & a me aliena, etenim *non est mihi* &c. Sic fere Ps. LXXIV: 11. *quare reduces manum & dextram tuam e medio in sinum tuum?* & Jes. LXIII: 15. *Respice e coelis & vide* — ... *ubi zelus tuus, & robur tuum?* &c. Depingit itaque his verbis statum suum præsentem miserum, de *dextræ Dei* absentia testantem; cum nec divino nec humano fruatur præsidio, sed solus, nudus & desertus sit, quo tempore ab hostibus potentioribus aperte ad mortem quærebatur. Verba dispesci possunt in duo membra, quorum *prius* habet, se nullum habere inter homines patronum, & *præsidio* apud Deum carere, *posterius*, neminem esse, qui sese ei adjungat comitem & socium, sibique curæ & cordi esse ejus statum demonstret. *Prius* duo continet, *non est mihi agnitor*, *periit refugium a me*, quorum *illud* ad homines, *hoc* ad Deum referri potest; *Agnitor*, מכיר, est, qui alicujus causam agit, & patrocinium suscipit, pro suo agnoscit, & tractat ipsum. Vid. Ps. CIII: 16. Ruth. II: 10, 19. Phrasis, *refugium periit a me*, denotat, ipsum illud, quo antea nitebatur, & tutus erat, nunc videri rescissum, & ablatum; *dextram* nimirum Dei, & ejus patrocinium, cujus modo meminerat. Conf. Ps. LIX: 17. *Posterius* ita habet, *non est quærens de anima mea*; non dicit, *quærens animam meam*, sed *de ea*, quo indicatur, ipsum ab omnibus esse desertum, nemini esse curæ cordique; neminem sese ei adjungere socium & comitem, conf. Jer. XXX: 17. & quod ad rem ipsam Ps. XXVII: 10. & XXXI: 12, 13. Addi potest, quod Hammondo quoque in mentem venit, neminem esse, qui patronum & vindicem sese præstet animæ suæ. Quo sensu sumitur Gen. IX: 5. & alibi.

§. XI. γ. *Tertia* ratio movens petita est a relatione ejus ad Deum, & communionis cum Deo exercitio, fiduciæ pleno, his verbis, vers. 6. *Inclamavi te, Jehova! dixi, tu perfugium meum es, portio mea in terra viventium.*

h. e.

h. e. familiare tecum, Jehova, exercui commercium, tanquam foederatus & amicus tuus, qui tibi professus sum fidem, & charitatem meam, qua declaravi, te esse perfugium meum, & portionem meam unicam in terra hac viventium, Deum itaque meum omnisufficientem, & patronum, præter quem nihil desidero in terra, & eo fundamento te cum fiducia inclamavi omni mea in angustia, ac exauditus sum. Hac ratione enim verba intelligenda sunt; plane quemadmodum Ps. xxviii: 8. cxl: 7, 8. ubi vid. dicta, huc adplicanda: quare nihil addo. Non itaque de præsenti sua precatione, sed præterita, seu ante exercita, loquitur, verbis quoque præt. temp. usus; & rationem moventem hic quærit in relatione sua ad Deum, tanquam foederatum, suaque communione cum Deo, antea exercita in precibus cum fiducia fusis, & earum exauditione. Ceterum, cum dicit, Deum esse *refugium, vel asylum suum, & portionem suam in terra viventium*, idem fere intelligit, quod Asaph Ps. lxxiii: 24, 25. ubi vid. dicta.


§. XII. 2. *Precationis* ipsius, quæ rationibus moventibus subjungitur, *duæ* partes sunt, quarum *altera* liberationis supplicationem urget a præsente periculo & miseria, vers. 7. *altera* vero novam continet instantiam, a consequente liberationis petitam, vers. 8. *a. Prior* pars ita sonat, vers. 7. *Adtende vociferationem meam, quia adtenuatus sum valde, eripe me persecutoribus meis, quia me firmiores sunt.* h. e. cum in statum tenuem, opibus, viribus & sociis, destitutum, sim redactus, & hostium, me longe fortiorum & potentiorum, persecutionem patiar, unicum est meum ad te perfugium; a quo supplex peto, ut ad hanc meam conditionem adtendas, plorabundis meis vocibus aures purgatas præbeas, & me eripias. Nihil hic difficile: quare uno alterove contentus ero observato, ad vocum emphasin cognoscendam, 1. Vox רנה vocem lamentantis hic denotat & plorantis, a רן proprie *tremulum & tinnulum* sonuit, ex sono ficta radice, uti sæpe notavi: unde cum

ad *lætitiæ*, tum *triſtitiæ* vocem transferri ſolet, in qua utraque eſt tremulum quid & tinnulum; ut facile patet. 2. Verbum דלל proprie eſt, *tendere*, *tendi*, inde cum tenſione *adtenuari*, gracilem fieri, & ſic *viribus* ac *opibus* deficere, etiam corpore & mente adtenuari. Indicat itaque ſimul, ſe eſſe omnibus rebus, & patronis, ac comitibus orbum. 3. Radix אמץ ſedem habet in *contentione nervi*, ſeu *tendinis* in femore *a*, adeoque firmum, robuſtum potentem denotat, & hoſtes dicit tales eſſe, cum ipſe ſit *adtenuatus*.

§. XIII. *β*. *Poſterior* pars ita habet, verſ. 8. *Educ*, vel *emicare fac*, *animam meam e clauſtro ad celebrandum nomen tuum*, *in me coronabunt juſti*, *quod*, vel *quum*, *me bonis cumulaveris*. h. e. e ſtatu contumelioſo & periculoſo, quo ad infame ſupplicium rapior, me ſalvum educ, & in liberum ac glorioſum vindica, ut, quod unice in votis *habeo*, mihi occaſio ſit te publice celebrandi, & juſti in me inveniant rationem triumphandi, quod me bonis quibusvis cumulaveris. Paucis & hic defungi potero obſervatis. 1. Vox מסגר adhiberi in ſpecie ſolet apud Arab. de *collari*, ſeu vinculo, ferreo, aut ligneo, collo feræ ſævientis injecto ad impetum ejus frangendum; ſic & Ez. XIX: 9. unde teritur *partim* in traditione alicujus, tali vinculo ligati, in poteſtatem alterius, *partim* in publicis proſtitutionibus, quibus aliquis, vel tanquam captivus, vel mortis reus, traducitur. Exprimit itaque hac voce eleganter & emphatice præſentem ſuum ſtatum periculoſum, quo inſtar feræ ſævientis collari q. erat fere conſtrictus, & contumelioſæ morti tradendus. Non itaque ad *ſpeluncam*, in qua erat, adludit, ut putatur, ſed ad feram, vel mortis reum, contumelioſe morte adficiendum. 2. Verbum הוציא non dicit ſimpliciter *educere*, liberare, ſed eductum in ſtatum ſplendidum & fortunatum adſerere. Adfert enim radix ſpeciatim exitum in libertatem & felicitatem; ut ſæpe notavi, quo

a Schultens ad Job. IV: 4.

quo etiam usus pertinet, quo *lætitiam* & *pompam* continet. Conf. dicta ad Ps. LXVI: 12. Hanc sensus amplitudinem esse adtendendam, seq. manifestum faciunt, ubi verbo גמל utitur, proprie *bonis cumulare*, & ita fovere. 3. Denique phrasis singularis & elegans, nec recte ab omnibus intellecta, notanda est, *in me coronabunt justi*, vel *justos;* quo utroque modo reddi possunt, sensu eodem redeunte: *coronabunt justi* est, se ipsi, & *coronabunt justos* est, inpersonaliter pro *coronabuntur justi*. Sensus est, eos *in Davide*, gloriose liberato ab omni malo, materiam & rationem habituros lætandi, gloriandi, & triumphandi, sibique in simili casu adflicto liberationem promittendi. Non dicit *me*, sed *in me coronabunt*, quod alio sensu commodius intelligi nequit, ac dixi. *Coronam* pro lætitia, gloriatione, & triumpho sumi, notius est, quam ut adstruere necesse sit. Quare plura non addo.





PSALM. CXLIII.

1. *Psalmus Davidis. Audi, Jehova, postulatoriam meam precationem, aurem praebe stridulis meis supplicationibus, pro veritate tua responde mihi, pro justitia tua.*
2. *Et ne intres cum servo tuo in judicium, quia nullus vivens justus erit coram te.*
3. *Quia persequitur hostis animam meam, contrivit in terram coagmentationem meam, & sedere me fecit in locis tenebricosis instar mortuorum seculi.*
4. *Et tristitia super me convolvetur spiritus meus, in medio mei obstupefiet quasi sideratum cor meum.*
5. *Recordor dierum ab antiquo, aestuo in omnia tua opera ardua, in opere manuum tuarum discurram.*
6. *Expando manus meas ad Te, anima mea sicut terra siticulosa Tibi. Sela!*
7. *Festina responde mihi, Jehova! consumtus est spiritus meus, ne occultes faciem tuam a me, & traducar in exemplum cum descendentibus in foveam.*
8. *Audire me fac mane benignitatem tuam, quia tibi confido, notam mihi fac viam, qua ambulabo, quia ad Te sustuli animam meam.*
9. *Eripe me hostibus meis, Jehova, ad Te protectionem meam,* vel *ad Te spectat protectio mea.*

10. *Doce*

10. *Doce me facere beneplacitum tuum, quia Tu Deus meus, Spiritus tuus bonus deducat me in terram complanationis.*

11. *Propter nomen tuum, Jehova, vivificabis me; pro justitia tua emicare ex angustia facies animam meam.*

12. *Et pro benignitate tua ad silentium rediges inimicos meos, & perdidisti omnes arctatores animæ meæ, quia ego servus tuus sum.*

PROLEGOMENA.

§. I.

ARgumentum Pf. eft, viri illuftris, in præclara ad Deum, qua *fervi* honorarii, relatione pofiti, præfentiæ & cultus Dei fummo adfecti defiderio, fimul fenfu peccatorum & juftitiæ Dei adfecti vivido, ab hoftibus injufte ad necem quæfiti, & in ignominiofam ac periculofam redacti conditionem, qua in tenebricofis, & a facie Dei remotis, locis inftar mortui verfabatur cum præfentiffimo mortis violentæ periculo, *oratio* ad Deum, qua primo fupplicationum fuarum exauditionem a Deo, tanquam verace & jufto, petit, fed ftrictæ juftitiæ judicium deprecatur, quo tempore ab hofte, feu hoftibus, ad mortem petebatur, & omni fua coagmentatione, feu gloria & felicitate, privatus, in locis remotis ac tenebricofis exulare inftar mortuorum coactus erat; fimul animum fuum, ne despondeat, erigere fefe teftatur recordatione temporum fuperiorum, etiam antiquiffimorum, & operum Dei, in illis editorum, meditatione; *deinde* defiderio fuo flagrantiffimo, quo in Deum, ejusque præfentiam ferebatur, fignificato, precum exauditionem, quam citiffimam, urget,

get, ſupplicatque, ne Deus faciem ſuam diutius a ſe occultet, ipſeque violenta ac ignominioſa morte e vivis auferatur; ſed ut in via ad ſtatum proſperum & tutum a Deo ducatur, ac hoſtium infeſtationi eripiatur quantocyus: quando, fiducia concepta, orat, ut aptus fiat Dei voluntatem facere, & certiſſimam ſuam ſpem teſtificatur, fore, ut a ſpiritu Dei in terra plana deducatur, reſtituaturque in integrum, ab omni anguſtia liberatus, hoſteſque e medio tollantur, ſicut Deus antea oſores & coarctatores animæ ſuæ deleverat.

§. II. Quod argumentum ut in vera ſua luce collocetur *α.* ad perſonam loquentis, & qualitates ejus morales, advertenda eſt mens. Occurrunt autem hic ſequentes ejus characteres. 1. *Primus* eſt, quod ſingularem habuerit ad Deum relationem, tanquam *ſervus* ejus honoratior, quem titulum ſibi bis dedit, verſ. 2 & 12. & inde repetit rationem moventem liberationis ſuæ; argumento, non vulgari, ſed eminentiore ſenſu fuiſſe *miniſtrum* Dei. 2. *Secundus* eſt, quod flagrante admodum deſiderio præſentiæ Dei, ut eum coram videat, & eo fruatur, fuerit adfectus, eoque nomine præſentem ſuum ſtatum, quo ea felicitate privatus erat, ferre non potuerit. Ita verſ. 6, 7, 8. 3. *Tertius* eſt, quod *ſtudio* voluntatem Dei faciendi, & ſpiritus ejus ductum ſequendi, fuerit inprimis latus, verſ. 10. 4. *Quartus* eſt, quod hominum quidem reſpectu, a quibus exagitabatur, *bonam*, ſed Dei, ſupremi judicis, *malam* habuerit conſcientiam; ita ut ad *juſtitiam* Dei provocare auſus fuerit contra hoſtes, uti facit, verſ. 1, 11. ſed coram Deo ſeſe reum profiteatur, & ejus ſtrictam juſtitiam in judicando deprecetur, verſ. 2.

§. III. *β.* Characteres, qui *ſtatum* ejus definiunt, alii ad *præteritum*, alii ad *præſentem* ſpectant. *a.* Ad *priorem* ſpectat, quod ſingularia fuerit favoris & potentiæ Dei ſpecimina expertus in ſui liberatione, ac perſecutorum ſuorum exterminatione, verſ. 5., & 12. in *ſecundo* membro, *perdidi-*

didisti omnes constrictores animæ meæ: uti verti debet, de quo postea Quo etiam facit, quod status ipsius præteritus describatur tanquam bene coagmentatus, & prosper, unde exciderat, & in quo denuo collocari cupiebat, vers. 3, 11. *b. Præsentis* vero ejus conditionis characteres præcipui sunt sequentes. 1. *Primus* est, quod ab hostibus fuerit omni sua fortuna *excussus*, *vita* seu *coagmentatione sua ad terram adtrita*, vers. 3. 2. *Secundus*, quod loco præsentiæ Dei, & communionis ejus exercitio, sit exclusus, ac in locis tenebrarum oberrare coactus, vers. 3. in ultimo membro; & ubi *desiderium* Dei, quo adfectus erat, expromit vers. 6, 7. nec non vers. 10. ubi petit *duci in terram complanatam.* 3. *Tertius* est, quod ad necem fuerit quæsitus, vers. 3. in primo membro. 4. *Quartus*, quod status sit ejus naturæ, ut animum in stuporem & desperationem conjicere possit, &, nisi singulari modo sese erigeret meditatione præcedentium Dei operum, id quoque faceret; vers. 4, 5. 5. *Quintus* est, statum esse adeo periculosum, ut, nisi *quantocyus* Deus succurrat, cum ipso actum sit. Quod precatio ejus clare indicat, vers. 7 & 8., ubi orat, ut Deus *cito* respondeat, & *mane audire faciat ipsum benignitatem suam.*

§. IV. γ. Denique, quod ad *causas* præsentis status adflicti adtinet, sive *propter* quas, sive *per quas*, notandum est. *a.* nullam habuisse hostes causam *justam* ipsum insectandi, sed Deo fuisse justam illud permittendi, in peccatis ejus sitam. Quod utrumque indicat vers. 1, 2. ubi partim orat, ut Deus in *justitia* respondeat, hostium scilicet respectu, partim deprecatur *judicium* Dei, coram quo omnino reum sese confitetur eo ipso. *b. Autores* suæ calamitatis simpliciter adpellat, quod notandum *hostem*, & *hostes*, modo in sing. vers. 3., modo in plur. vers. 9 & 12. sine ullo alio epitheto, aut *peccatorum*, aut *operariorum iniquitatis*, aut simili alio addito. Petit quoque simpliciter, ut Deus se eripiat eorum infestationi, & eos silente

 plaga

plaga reprimat, vel conficiat; ibid. verſ. 9 & 12. imo *in benignitate*; absque ut duri quid addat, aut publico judicio aut violenta cæde ipſos velit ſublatos. Quæ ſingularis moderatio reſpectu hoſtium omnem meretur animadverſionem.

§. V. Hos characteres, ex ipſo Pſ. argumento eductos, qui admiſerit, & cum hiſtoria Davidis, autoris Pſ., comparaverit, vix dubitaverim, quin mecum ſtatuat, Pſ. reſpicere ad ſtatum Davidis, coram Abſolomo, & non Saulo, quæ vulgata eſt opinio, fugientis. Quæ hypotheſis ex comparatione cum Pſ. XLII. ejusdem temporis egregie firmatur; ſimul aliquid roboris acquirit ex antiqua traditione, apud LXX Interpretes conſervata; quæ diſerte habet, Pſ. tunc eſſe factum, quum *ipſum perſequebatur Filius*, vel *Abſolom filius ejus*. Scholion, a Theodoreto vel alio adjectum, habet, eam inſcriptionem nec in Hebr. textu, nec aliis Gr. interpret. inveniri, eſſe tamen Pſ. congruam. In quo acquieſcimus: ſunt utique nonnulli characteres ſupra producti, qui in Sauli perſecutionem minus quadrant, uti facile patet. De *ſcopo* & *uſu* Pſ. cum nihil habeam, quod dictis ad Pſ. XLII, ſimilis argumenti, addam, ad *ſtructuram* & *analyſin* pergo. *Structura* nec *ſtylus* aliquid habet ſingularis: tota eſt Εὐκτικὴ *precatoria*, niſi quod in fin. aliquid de *prophetia* habeat: tota eſt ad Deum verſa oratio, & adfectus pii, ac flagrantis deſiderii plena; ſed plana & facilis, licet emphatica, nec luminibus orba. *Partes* Pſ. generales *duæ* ſunt, quæ utraque eandem precationem, in fiduciæ teſtificatione deſinentem, continet, ſed *prior* generalis eſt, & *poſterior* ſpecialior, utraque ſuis propriis rationibus moventibus munita. *Prior* ſe ad verſ. 5., *poſterior* ad fin. Pſ. porrigit. Cujus utriusque partes ſpeciales in ipſa explicatione, ad quam mox pergo, tradam. Cum enim nihil hic occurrat a Davide alienum, & Interpretes, ſi a paucis, qui pro arbitrio ad Eccleſiam vel Judaican piam in fine

œconom.

œconom. V., quum Mesſias manifeſtaretur, vel Chriſtianam, tempore mortis Chriſti, oculos flectunt, nec audiendi ſunt, diſceſſeris communiter in tempore Pſ. compoſiti ſubſiſtant: inveſtigatione hypotheſios, a temporis diverſa, de qua ſupra egi, opus non eſt.

EXPLICATIO.

§. VI. *Prior* precationis pars generalior α. proponitur verſ. 1, 2. β. urgetur a præſente ſtatu periculoſo & ignominioſo, verſ. 3. γ. terminatur in ſpe exauditionis, ex præcedentium temporum meditatione, verſ. 4, 5. α. *Propoſitio* duplex eſt, *altera* poſitiva, ut dicitur, *altera* negativa. α. *Prior* his verbis verſ. 1. *Audi Jehova poſtulatoriam meam precationem, aurem præbe ſtridulis meis ſupplicationibus, pro veritate tua reſponde mihi, pro juſtitia tua.* h. e. preces meas, quas & antea fudi & nunc fundo, quibus partim te *ut judicem* invoco, partim ut Deum tenerrimo adfectu præditum imploro, ut exaudias, idque re ipſa demonſtres, oro, nixus *veracitate* tua, in promiſſis gratiæ implendis, & *juſtitia* in innocente vindicando, & juſta cauſa defendenda, conſpicua. Ad quam paraphraſin admittendam duo tantum ſunt verbo obſervanda: *alterum* eſt, voces תפלה & תחנוני, quibus *preces* exprimuntur, *illam* ad Deum qua judicem juſtum, *hanc* qua patrem amantem tenerrime, & miſericordem, reſpicere; uti ipſæ voces, ſæpe expoſitæ, facile docent: *alterum* eſt, *veritatem* & *juſtitiam* Dei hic occurrere, tanquam fundamenta, quibus preces innituntur, & exauditionis ſuperſtructa eſt ſpes; quæ virtutes Dei reſpiciunt, *altera* ad *ſtridulas ſupplicationes*, quibus gratia Dei imploratur, *altera* ad *poſtulatoriam* precationem, qua juſtum Dei judicium petitur. *Veritas* enim Dei ad promiſſa gratiæ, ex amore Dei orta, *juſtitia* ad juſtæ cauſæ defenſionem ſpectat, adeoque

que verum suum usum hic retinet, & non pro *misericordia*, ut nonnullis placet, sumi debet. Quod ex dictis facile patet, & ex versu seq. confirmatur, tantum abest ut ei adversaretur; sic & ex vers. 11. de quo postea.

§. VII. β. *Negativa* precatio, quæ simul conspectum habet *negationis*, qua res tanquam absona rejicitur, ita habet vers. 2. *Et ne intres cum servo tuo in judicium, quia nullus vivens coram te erit justus.* h. e. Quod ad *justitiam* tuam provocavi, illud ad persecutores meos, meamque cum ipsis causam, tantum spectat, non ad tuum tribunal, & causam meam tecum: novi enim, me cum reliquis hominibus omnibus esse condemnandum, & exitio, quod deprecor, tradendum; sed novi etiam probe, te cum *servo* tuo, reo quidem, sed pœnitente & tuæ gratiæ fidente, non esse pro justitia tua, qua peccata sine gratia punis, acturum; absit! quia tunc totum mundum condemnare deberes, & nullus evaderet, cum omnes sint peccatores & rei. Quare cum fiducia precari ausim, ut facio, *ne mecum in judicium venias;* meum peccatum hac ratione ne vindices, ut me injustis persecutoribus tradas; fieri enim non potest, ut ita cum servo tuo agas; quia nullus tunc evaderet vivens; nemo enim justus pronunciari poterit; omnes sunt peccatores, & rei. Quod cum non facias, sed peccatoribus pœnitentibus, & gratiam tuam quærentibus debito modo, condones; certus quoque sum, me, quod deprecor, consecuturum, ne pro tua tractes justitia; adeoque mihi jus facias contra hostes meos injustos. *Prius* membrum, *& ne intres cum servo tuo in judicium*, licet speciem deprecationis præferat, cui & locus hic dari potest, proprie tamen *negationem* involvit, ut לא *non*, sed fortiorem, quæ simul prohibet, & rejicit tanquam rem alienam; quem usum particulæ אל *ne* sæpe alibi observavimus, novissime Ps. CXXXVIII: 8. Phrasis itaque *ne venias*, ut proprie sonat, dicit, *non venies*, absit, ut venias, fieri non potest ut venias; quare etiam illud de-

deprecor, *ne venias;* certus, te *non venturum.* Subjungit vero illud ad ſuperiorem precationem explicandam; & a difficultate liberandam; oraverat, ut Deus contra hoſtes ſe audiat pro *juſtitia ſua:* quod qua ratione intellectum velit, ut declararet, ſimul ſe ad juſtitiam Dei recte provocare, ut confirmaret, ſubjungit, *Deum ſecum non venturum in judicium.* Quibus verbis ſicut tacite confitetur, ſe coram Deo reum eſſe, & dignum, qui hoſtibus ad exitium traderetur, adeoque hac parte non ad *juſtitiam* Dei confugere; ita non tantum deprecatur *judicium*, nec hoc præcipue intendit, ſed ſe hac parte ſecurum eſſe declarat; adeo ut, *juſtitiam Dei* recte implorare ſe potuiſſe, adſeveret, acſi haberetur: *reſponde mihi pro juſtitia tua*, non qua peccata hominum in te commiſſa ſevere punis, ſed juſtam cauſam innocentis contra violentos oppreſſores vindicas; etenim quoad priorem eam juſtitiam, quæ me condemnaret, certus ſum, te *mecum non venturum in judicium;* quod etiam deprecor: fieri enim non poteſt, ut ita *cum ſervo tuo agas.* Ceterum phraſis, *venire*, proprie *intrare cum aliquo in judicium*, hic non eſt, ut Job. IX: 32. & XXII: 4. litem cum aliquo agere coram arbitris, ſed examen judiciale inſtituere, & judicium exercere. *Deus* enim hic occurrit non tanquam accuſator aut disceptator, ſed judex, ut ex ſeq. phraſi, *nullus coram te juſtus* erit, manifeſtum eſt. Facilior foret hanc in mentem phraſis, ſi pro תבוא legeretur תביא *adduces*, ut Job. XIV: 3. *adducere* enim in judicium eſt judicis, de reo acturi & ſententiam pronunciaturi; qua ratione vertit Syrus: litteræ vero ו & י facile permiſcentur: ſi vero receptior lectio ſervetur, quod forte tutius eſt, *venire cum aliquo in judicium* idem erit, ac *adducere;* & de *judice* capiendum, qui cum reo *intrat in domum judicii*, ut Chald. reddidit, ut de cauſa ejus judicet; vel *venire* ſumendum eſt pro cum *ſtudio adgredi*, uti aliquando uſurpatur, Pſ. LXXI: 16. Jer. L: 5. ubi vid. dicta: & ſenſus erit, *ne inſtituas judicium cum ſer-*

vo tuo; ne servum tuum secundum rigorem justitiæ, ut in *judicando* fieri solet, tractes. *Judicium* utique intelligitur *rigidum*, quo cuique redditur secundum opera, sine gratia, δικαιοκρισίας, Rom. II: 5. *judicium* proprie sic dictum, quo ad legem & facta unice adtenditur.

§. VIII. Rationem fiduciæ suæ, qua secundum rigorem justitiæ non esse secum agendum, peccata sua ita non esse a Deo vindicanda, exspectabat, tacite in persona sua & relatione ad Deum ponit, & aperte ex absurdo, inde alias secuturo, repetit, vel urget. *Prius* titulo *servi* Dei involutum est, non enim simpliciter dicit *mecum*, sed expresse & emphatice *cum servo tuo*. h. e. mecum a te electo, & in honorario hocce munere, quo vice tua fungor in medio populi tui, posito, & tantis favoris tui signis hucusque mactato, simul te submisse venerante & colente, & peccata confitente cum tristitia & poenitentia. *Talis* cum sim, fieri non potest, ut mecum pro rigore justitiæ agas, & a facie tua abjicias, hostibusque occidendum tradas. Urget hanc rem ulterius ex absurdo, inde alias orituro, his verbis expresso: *quia nullus vivens coram te justus erit*. Proprie habetur, *non erit justus omnis vivens*; sed stylo loquendi, in Script. satis frequente, *non omnis* est *nullus*; uti in vulgus notum est, a Gejero quoque hic exemplis probatum. *Justus coram te*, stylo forensi, ut hic occurrit, quia Deus ut judex hic consideratur, teste quoque phrasi *coram te*, non est simpliciter *justitia* inhærente præditus, sed talis a judice habitus & declaratus. De quo vid. Vitringa *a*. Sensus ergo est, neminem, nullo excepto, ex hominibus, qui epitheto *omnis viventis* hic veniunt, uti Gen. III: 20. & alibi, *nullum hominem*, uti in simili fere sententia dicitur, Ecclef. VII: 20. 1 Reg. VIII: 46. in judicio Dei pro *justo* esse habendum, & justificandum, si rigide secundum exactam justitiam habeatur; adeoque, quod ex contrario addendum est, *nullum* esse, qui non sit *condemnan-*

a Obf. f. l. IV. c. 10.

demnandus, & periturus, tanquam *peccator* & *reus*. Quemadmodum Rom. III. Ap. hinc concludit. Sed quorsum hæc verba tendunt? Particula כי *quia* præmissa indicat, conspectum *rationis* hæc verba habere, qua superius dictum confirmatur. Dixerat, *Deum secum servo ejus non in judicium venturum*; cui effato cum subjungat, *quia non erit ullus coram te justus*, oportet ad illud confirmandum spectent hæc verba, adeoque *rationem* contineant, quare fieri nequeat, ut Deus se servum ejus secundum rigorem justitiæ tractet. Quæ ratio ut adpareat, notandum est, phrasin, *non justum esse coram Deo*, involvere condemnationem & exitium, ut modo observavi, illudque consequens tanquam absurdum considerari, *omnes homines*, nemine excepto, condemnari, & exitio addici a Deo, & ex eo absurdo rationem esse petitam; hunc fere in modum. Fidenter strictum deprecor tuum judicium, mihi certo promittens, non pro rigore justitiæ mecum esse agendum, qui servus tuus sum; quia, si ita me tractares, illud inde sequeretur, omnes ad unum homines esse condemnandos, cum nemo coram te justus sit: quod quia absurdum est, virtutibus & revelationi consilii tui contrarium, concludere possum, te mecum pro stricto jure non esse acturum, qui *servus tuus sum*. Similis plane est illatio, seu argumentatio ex absurdo, Ps. cxxx: 3, 4. *si iniquitates retinueris, Jah! Domine quis consistet? quia tecum est condonatio ut timearis.* Ubi vid. dicta.

§. IX. ב. Ratio movens, qua propositionem positivam, seu proprie dictam precationem, vers. 1., urget, & Deum ad exaudiendum secundum veritatem & justitiam ejus excitat, desumta est ab injusta & violenta hostis infestatione, & inde orta præsente sua conditione adflicta, vers. 3. his verbis: *quia persequitur hostis animam meam, contrivit in terram coagmentationem meam, & sedere me fecit in tenebricosis locis, instar mortuorum seculi.* h e. Ratio, quare ad te confugiam, tuamque ad veritatem & justitiam

pro-

provocem, tuque ad me exaudiendum, meamque causam agendam, excitari debeas, est, quod injuste & acerbe vexer & exagiter ab hoste, qui vitalitatem, seu potestatem, gloriam & possessionem, meam contrivit ac prostituit, meque in squalore & moerore, omni luce & consolatione orbum, residere fecit, haud absimilem mortuis, nunquam revicturis, meam denique vitam auferre totis viribus conatur. Verba, quod ante omnia notandum est, non ad proxime præcedens, sed remotius, vel versum, non *secundum*, sed *primum*, referenda sunt: non enim rationem continent, quare Deus ipsum non sit in judicium tracturus, sed ipsum clamantem audire debeat, cum quod res ipsa id exigat, *posterioris* enim recte, sed non *prioris*, est ratio, tum quod aliam *prioris* dederit rationem, modo expositam; tum quod vers. 2. habeat conspectum parentheseos, ad superiorem petitionem explicandam, & a difficultate liberandam, insertæ; ut ex dictis patet. *Tria* vero memorat violentiæ & injustitiæ hostis signa & effecta, distincte consideranda. 1. *Primum* est, quod *animam suam insectetur*, seu vitæ suæ auferendæ presse immineat, sicut qui presse sequitur, & tergum premit, ad occidendum. Verbum enim רדף proprie est, *pressit*, ut quando tergum alicujus premimus. Id quod Absolomo imputavit ipse David, 2 Sam. XVI: 11. *ecce filius meus quærit animam meam*, & Achitophel quoque molitus est, quum parvam petiit hominum manum ad Davidem improviso opprimendum, 2 Sam. XVII: 1, 2. quem, vel utrumque, vel posteriorem maxime, intendit nomine *hostis* in sing. 2. *Secundum* est, quod vitalitas ejus, vel coagmentatio vitalis fuerit contrita ad terram, seu contumeliose prostrata; his verbis: *contrivit ad terram coagmentationem meam*. h. e. dignitatem, potestatem, & possessionem meam, vitæ meæ vim, robur & splendorem, prostituit, & prostravit. Quod factum est, quum sedes regni ejus est occupata, ac domus ejus violata, ipseque omni potestate & splendore orbatus, ac ejectus:

ejectus: præterea vitæ meæ ſtamina lentis & continuis ictibus tundit, & terit, donec in pulverem redigar, & peream; dum me moerore & anxietate contundit: quod Davidi contigiſſe, notum eſt. Utrumque cum phraſis admittat, & Davidi acciderit, hic recte conjungimus. Verbum דכא proprie eſt, *tundendo terere*, & *comminuere*, & de homine, lentis ictibus mortalitatis in pulverem recidente, uſurpatur Job. IV: 19. ubi vid. Schultens, etiam de *leone* prædam molaribus tundente, & oſſa comminuente Pſ. X: 10. ubi vid. Schroeder. *Tundere* vero ad *terram* eſt, tundendo in pulverem redigere; ſive proprie ad *mortem*, ſive metaph. ad ſtatum abjectum & humilem. Sed quid eſt חיה? non *vita* in genere, ſed ejus *coagmentatio*, ſeu firmitas & proſperitas: diſtinguitur enim ab *anima*, ſeu *vita*, modo memorata, ſicut & alibi, ut Prov. III: 22. Job. X: 1. & Pſ. LXVI: 9. ubi vid. dicta, proprieque ſignat *coagmentationem*, *compactionem in unum:* ut ibi obſervavi. Hoc itaque loco recte comprehendimus quicquid vitam reddit firmam, & vitalem, ſeu glorioſam, lætam & proſperam; quod omne erat ab hoſte *contritum in terram;* ita ut moerore ſimul & ignominia tunderetur ad mortem ipſam, inde ſecuturam.

§. X. 3. *Tertium* eſt, quod ſedere fuerit factus deſolatus, lugens & ſqualidus in ſtatu tenebricoſo, omni honore & conſolatione orbus inſtar mortuorum ſeculi, ſeu mortis damnatorum hominum infamium; his verbis: *ſedere me fecit in tenebris*, vel tenebricoſis locis, *inſtar mortuorum ſeculi*, vel *ſignationis*. Quorum ſenſum, modo expreſſum, ut in lucem proferam, notetur, *a. Sedere* hic eſſe deſolatum, ſqualidum & lugentem jacere: quemadmodum de *lugentibus* ſumitur, deſolatis & orbatis. Jeſ. XLVII: 1, 5. Jer. XLVIII: 18. & alibi. *b.* Additur in *tenebris*, vel *tenebricoſis* locis, ad augendam triſtem animi adfectionem, ſimul calamitatem ignominioſam & periculoſam; cum adluſione partim ad loca abdita & ſecreta, in

quæ lugentes & pudore confusi se condunt, partim ad *carceres*, in quos rei mortis conpinguntur. Prius Jes. l. c. maxime adtenditur, ubi vid. Vitringa: *posterius* inprimis Jes. XLII: 7. ne alia proferam; quod utrumque locum habere, sequentia demonstrant. Additur enim c. *instar mortuorum seculi*, vel *signationis*: utrumque enim admittit vox עוֹלָם, cujus radicis proprietas est, *signo impresso notavit*; unde inter alia & ad *seculum*, seu tempus occultæ, quasi signo impressæ, durationis, & ad infamem conditionem, notis publicis inustam & signatam, transfertur a. Unde haud unus sensus, loco congruus, exsculpi potest. 1. *Primus* est, quo *mortui seculi* sunt qui e vivis ablati sunt, vel in genere tanquam *mundani*, extra communionem Ecclesiæ, vel in specie tanquam infames, & infami supplicio adfecti. *Mortui seculi* & *mortui* Dei ac populi ejus, quorum mentio est Jes. XXVI: 19., opponi possunt, adeo ut illi sint, qui ut infideles & gentiles defuncti sunt; uti *via seculi* pro mundana sumitur Job. XXII: 15. Sunt etiam *mortui signationis* qui cum infamia sunt e medio sublati. 2. *Secundus* est, quo *mortui seculi* sunt, qui in perpetuum tales sunt, nunquam *vivificandi*; conf. Dan. XII: 2. & ibi dicta. 3. *Tertius* est, quo *mortui* sunt mortis rei & damnati, & jam qua *mortui* habiti, mortis infami supplicio mox adficiendi; quare *mortui signationis* adpellantur. Quos sensus si conjungamus, dicit David, se partim esse tanquam mortuum, nunquam restituendum in integrum, quatenus *civiliter* & *religiose* talis erat, & mansurus videbatur, partim teneri constrictum, tanquam morti, & quidem infami, obnoxium, instar *incarcerati*, & *damnati*.

§. XI. ‛1. *Terminatur* precatio in animi, a desperatione proximi, erectione ac confirmatione, per operum Dei antiquorum meditationem, in signum fiduciæ de precatione exaudienda conceptæ, vers. 4, 5. & *tristitia convolvetur super*

a Schultens Defect. §. 163.

super me spiritus meus, in medio mei obstupefiet quasi sideratum cor meum, recordor dierum ab antiquo, æstuo in omnia opera tua ardua, in opere manuum tuarum discurram. h. e. cum nimia tristitia obruor, & in mentis attonitæ horrorem defigor, ut a desperatione parum absim; erigo me & consolor, fiduciamque recipio, recordatione, & studiosa ac continuata meditatione moliminum tuorum, & operum sapientiæ & potentiæ tuæ præcedentium temporum, a prima antiquitate usque. Indicat quidem, se prope abesse a desperabunda tristitia, sed se cavere, ne in eam incidat, meditatione operum Dei, quæ animum recreat, & spe liberationis replet. Phrasis, *& convolvet se spiritus meus ---- recordor dierum* &c. idem dicit acsi haberetur, cum se *convolvit ---- tunc recordor ----*; plane quemadmodum Ps. XLII: 7. *Deus mi, super me animus se demerget, propterea recordabor te* &c: ubi vid. dicta. De verbis, & phrasibus cum alibi egerim, ad Ps. LXXVII: 12, 13. & CXLII: 4. nihil, quod hic observem, habeo, præter emphasin phraseos, quæ nobis antea non occurrit, *in medio mei obstupefiet cor meum*; quæ ingentem animi consternationem, qua totus cohorrescit & sideratus jacet, vastatus quasi & desolatus, denotat, a propria *siderandi*, tanquam urente & pestifero adflatu, potestate *a*. Ceterum, quod non erat omittendum, phrasis, *dierum ab antiquo*, hic latius est sumenda pro diebus præteritis, initio facto ab ipsa antiquitate, seu origine reip. Israeliticæ, a Deo vindicatæ ex servitute Aegyptiaca, quo vox מקדם ab *antiquo* ducit in Script. Comprehendere ergo opera Dei quoque licet, quibus David antea fuit liberatus, & evectus in statum sublimem & prosperum. Quæ huc etiam recte quadrant.

§. XII. *Altera*, & posterior, precationis pars eodem fere modo decurrit, ita ut א. preces, variis articulis propositas, comprehendat, vers. 6-9. ב. in fiduciæ testificatione, seu petitione, cum majore fiducia facta, desinat, vers.

a Schultens clav. p. 302.

verſ. 10-12. *Prior* pars petitiones magis ſpeciales, ſuis ſingulas rationibus moventibus munitas, variis articulis factas, repræſentat. α. *Primus* articulus, paulo generalior, ita habet, verſ. 6. *Expando manus meas ad te, anima mea ſicut terra ſiticuloſa tibi. Selah!* h. e. ſummo & intolerando tui coram videndi, & tua præſentia fruendi, deſiderio latus, ut terræ aridæ & ſiticuloſæ præ defectu aquæ plane ſimilis ſim, te, tuamque opem, anxie, humiliter & inſtanter, imploro. Indicat, ſe a præſentia Dei eſſe remotum, verſarique in loco & ſtatu haud abſimili *terræ aridæ*, ubi ſigna præſentiæ & favoris Dei deficiunt, ſummo vero ſe ejus præſentiæ flagrare deſiderio, ita ut ferre amplius nequeat, & propterea omni careat conſolatione; denique, cum opis propriæ ſit inops, ad Deum confugere, & ejus auxilium ardenter & devote petere: quod *expandere manus*, ut notum, denotat. Conf. Gejerus. De phraſi, *anima mea eſt inſtar terræ ſiticuloſæ*, & adplicatione ejus ad præſentem Davidis ſtatum in exilio Abſolomico, dixi ad Pſ. LXIII: 2. & XLII: 2, 3. quare hic nihil addo.

§. XIII. β. *Secundus* articulus precationis, paulo ſpecialior, ita ſonat, verſ. 7. *Feſtina, reſponde mihi, Jehova! conſumtus eſt ſpiritus meus; ne occultes faciem tuam a me, & traducar in exemplum cum deſcendentibus in foveam.* h. e. vis mea vitalis præ deſiderio tui, & triſtitia ac pudore, fere abſumta eſt, & mox evaneſcet; votis itaque meis quam citiſſime adnue, & mihi ſuccurre; favorem & auxilium tuum mihi non ſubducas amplius: fiet enim alioquin, ut infami morte, inſtar eorum, qui capitali adficiuntur ſupplicio, intercam. Orat 1. ut Deus ſuum favorem ipſi diutius non ſubtrahat, ipſumque aditu ad ſe non excludat, quod eſt *occultare faciem*, proprie velo interpoſito; de quo dixi ad Pſ. XIII: 2. XXVII: 5, 9 & alibi; præterea, ut *reſpondeat*, ſcilicet votis & deſideriis, opem ferendo &c. quod non eſt difficile. 2. ut Deus illud *quantocyus* faciat, non differat amplius; quod eſt *feſtina*, *reſponde;* uti notum.

tum. Alibi in Pſ. ejusdem temporis eſt, *feſtina ad auxilium meum* Pſ. xl: 14., ut & Pſ. lxix: 18. *& ne occultes faciem tuam a ſervo tuo, quia arctum mihi, feſtina reſponde mihi*, plane ut hic: ubi vid. dicta. 3. Denique urget preces duplice ratione, *altera* ab animi ſui ſtatu, *altera* a periculo infamis mortis deſumta. *Prior* his verbis continetur, *conſumtus eſt ſpiritus meus*, ſcilicet *vitalis*; uti ſumitur vox רוח Prov. xv: 13. ubi vid. Schultens, ſive *deſiderio*, ſive *moerore* & anxietate: cujus utriusque hic locus eſſe poteſt, & verbum כלה utrumque admittit. Ita cum עין *oculo* & נפש *anima* flagrans & conſumens deſiderium ſignat, Pſ. cxxxiv: 3. cxix: 82. & alibi. Ceterum, *conſumtus eſt*, proprie *tabe*, quod deſiderio & triſtitiæ recte convenit, ſecundum vim verbi, hic idem eſſe, ac fere eſt, prope abeſt, quin ſit, mox erit, facile intelligitur. *Poſterior* ratio his verbis effertur: *& in exemplum traducar cum deſcendentibus in foveam*, h. e. fiet enim, ſi faciem diutius occultes, ut infami morte occumbam: hanc enim vim hic habet vocula connectens ו *&*, nec opus eſt, ut ſuppleatur אל *ne*, Vid. Pſ. xxviii: 1. Phraſis eſt ſelecta, quæ infamem mortem, exemplari poena inflictam, deſignat. Conf. dicta ad Pſ. xxviii. 1.

§. XIV. *γ. Tertius* articulus, qui ſpecialior adhuc eſt, & de incremento fiduciæ teſtatur, his comprehenſus eſt verbis, verſ. 8. *Audire me fac mane benignitatem tuam, quia tibi confido, notam mihi fac viam, qua ambulabo, quia ad te ſuſtuli animam meam.* h. e. fac, ut, nocte calamitatis, in qua verſor, brevi finita, proximo mane audiam vocem tuam, qua præcipis benignitatem mihi faciendam; quia in te fiduciam meam colloco; quo fini oro, ut me inſtruas, qua ratione me gerere debeam, ut, quod mihi unice in votis eſt, te coram fruar. Duæ ſunt precationis partes: *altera* eſt, qua, ut gratiæ & benignitatis Dei vocem brevi, calamitate finita, audiat, ſupplicat, addita ratione movente a fiducia ſua in Deum; *altera*, qua in via ad

Dei communionem dirigi petit, ratione a desiderio suo erga eam desumta. *Prior* his verbis continetur; *audire me fac mane benignitatem tuam, quia tibi confido;* quæ parum habent obscuri. Tantum notetur, 1. *audire benignitatem Dei* esse, vocem Dei benevolam, & gratiæ ac favoris plenam, seu benignitatis ejus signa & effecta coram experiri; quemadmodum qui aliquem præsentem audit benevole loquentem & benignitatem *præcipientem;* quæ phrasis est Ps. XLII: 9. Petit itaque, ut in pristinum statum restitutus, & loco præsentiæ Dei redditus, eum, ut olim, audiat benevole loquentem, seu favorem ejus experiatur. 2. *Mane* esse partim *brevi*, seu cito, ut modo petierat, vers. 7., uti sumitur Ps. XXX: 6. partim tempore felicitatis, opposite ad præsentem calamitatis noctem. Conf. Ps. XLII: 9. & ibi dicta. *Posterior* pars ita sonat: *notam mihi fac viam istam, qua ambulabo, quia ad te adtollo animam meam* h. e. instrue me, qua ratione me habere & gerere debeam, ut benignitatem tuam audiam, & te fruar coram, quo mea feruntur desideria. Nihil hic observandum habeo, nisi, quod minus perceptum est, *viam* hic esse elliptice pro *viam ad te*, ut *audiam benignitatem tuam:* quod ex præced. & seq. manifestum est. Cum enim petiisset *audire vocem Dei*, & mox subjungat, se *ad Deum tollere animam*, clare indicat, se viam cupere cognoscere, qua *ad Deum*, ut vocem ejus audiat coram, pervenire possit. Debuisset, si plena foret oratio, dixisse, אלך אליך *ambulabo ad te;* sed cum mox אליך *ad te* subjungeret, ne bis occurreret ea vox, quod sermonem minus elegantem faceret, maxime cum verbum earundem litterarum אלך præcessisset, omisit, ex seq. facile supplendam. De phrasi, *adtollere animam* pro vehementer desiderare & adpetere, nihil necesse habeo monere: cum res nota sit, vel alibi exposita, ut ad Ps. XXIV: 4. LXXXVI: 4. & alibi.

§. XV. *Quartus* articulus precationis, itidem specialioris respectu hostium, ita habet, vers. 9. *Eripe me hostibus*

bus meis, *Jehova*, *ad te protectionem meam*, vel *ad te* ſpectat *protectio mea*. Utroque enim modo duæ ultimæ voces, אליך כסיתי, capi poſſunt; *altero*, quo cum præced. conſtruuntur, ut ſenſus ſit, in verſione expreſſus; *extrahe me ab hoſtibus meis ad te protectionem meam*. h. e. libera me potenter a poteſtate hoſtium, & tibi vindica, ſeu *ad te*, tuamque præſentiam, adduc, ut tua fruar protectione, ſeu tua veſte aut *alis* tuis obtegar; ut Pſ. XXVIII: 5. Sic Deut XXIII. 16. *ne tradas ſervum Domino ſuo*, qui ינצל אליך מעם אדניו *se eripuerit ad te a Domino ſuo*, tanquam protectorem ſuum. Commendat, præter facilitatem conſtructionis, quæ nulla tunc indiget ellipſi, quod modo etiam dixerat, *monſtra mihi viam*, *quia ad te tollo animam meam*; quando recte ſequitur, *eripe me ad te*, *protectorem meum*: *altero*, quo voces per ſe ſtant, & rationem moventem continent ereptionis, acſi haberetur, *quia ad te protectio mea*, ſcilicet, ſpectat, pertinet; tuum eſt me protegere; *vi veritatis & juſtitiæ tuæ*, ut verſ. 1. dixerat. Quacunque ratione ſumatur, alterutra enim debet, niſi quis velit ambiguitatem ſponte eſſe captatam, ut utrique locus ſit, illud mihi certum eſt, כסיתי eſſe formam ſubſt. ex Pih., ſicut כסות & כסית ex Kal. Radix כסה proprie eſt *involvit*, unde ad veſtem, totum corpus involventem, adplicatur, & ſic in genere *operire*, *occultare*. Deus vero adpellatur *tegumentum* alicujus, quatenus tanquam patronus ipſum ora veſtis ſuæ quaſi tegit, & obvelat. Quemadmodum חסה vicina radix proprie uſurpatur de tali protectione, qualis a patrono præſtatur clientibus, imagine formata ab *ora*, vel *lacinia* veſtimenti, quæ חסה adpellatur apud Arab. & exſtat quoque Pſ. LVII: 2. ubi vid. dicta. Reliqua ſunt facilia.

§. XVI. ג. Finitur hæc quoque pars precatoria in fiduciæ teſtificatione, ſeu precatione, quæ conſpectum ſimul præfert prædictionis eventus, quare verbis fut. temp. ſit, verſ. 10-12. Quæ pericopa continet ſuperioris explica-

plicationem & confirmationem; adeoque ejus repetitionem majore cum fiducia, & clarioribus verbis factam; ex qua hypothesi non erit intellectu difficilis. Duæ ejus sunt partes, quarum *prior*, ad vers. 8. *posterior*, ad vers. 9. respicit. *Prior* vers. 10. ita habet, *Doce me facere beneplacitum tuum, quia tu Deus meus; spiritus tuus bonus deducat me in terram complanationis.* h. e. intellectum meum cognitione ejus, quod tibi gratum est & acceptum, imbue, & voluntatem meam flecte, ut illud velim, totamque mentem compone, ut illud actu præstem, & nunc in calamitate, & postea in prosperitate mea: quod lubenter & fidenter peto, quia tibi obstrictus sum, & tu mihi es Deus meus foederatus: addo, & mihi promitto, ut spiritu tuo bono, qui illuminat, sanctificat & lætificat, me deducas in statum, sive externum, sive internum, tutum, prosperum & stabilem, quo te tuaque benignitate coram fruar. *Prius* membrum, *doce me facere beneplacitum tuum, quia tu Deus meus* es, respicit ad superiores preces, *notam mihi fac viam, quam ambulabo, quia ad te sustuli animam meam*, & eas explicat phrasibus propriis & nudis. Supplicat itaque divinam instructionem, ea cum efficacia factam, ut *beneplacitum Dei*, seu id quod Deo gratum est, in quo sibi complacet, velit & efficiat, scilicet & *nunc*, & in posterum semper; rationem moventem addit a relatione sua ad Deum, qua se Deo, tanquam *servum*, obstrinxerat, ad omnem obedientiam, & Deus quoque se illi ad omnem favorem præstandum, tanquam *Deum* suum. Quæ ulteriore non indigent explanatione. *Posterius* vero membrum, *spiritus tuus bonus deducet me in terram complanationis*, respicit ad preces, *audire me fac beneficentiam tuam*, quas explicat, & implendas esse docet, quare verbo fut. temp. proponitur. Sensus est, se petere, simul futurum esse confidere, ut *spiritus Dei*, omnis gratiæ & felicitatis fons, se erigat, consoletur, & in omni casu dirigat, donec perveneri in statum tutum & prosperum, quo Deo, ejus-

ejusque beneficentia, coram fruatur in terra viventium; seu præsentiæ Dei. Petit deductionem *spiritus boni*, opposite ad *malum*, quo Saulus aliquando actus est, tristitiæ & desperationis plenum, qui in omne nefas ducit, adeoque deductionem piam, consolatoriam, & salutarem; quæ exit in *terram complanationis*, locum & statum planum, æquabilem, tutum & prosperum, opposite ad præsentes turbas, & multiplicia pericula & incommoda. Conf. Ps. XXVI: 12. *pes meus stat in complanatione*, & XXVII: 10. *Doce me, Jehova, viam tuam, & duc me in viam complanationis*; & ibi dicta.


§. XVII. *Posterior* pericopæ pars, ad vers. 9. respiciens, *duo* comprehendit, liberationem ab omni angustia, cum plenissima rerum instauratione, & hostium repressionem. *Prius* his verbis proponitur, vers. 11. *Propter nomen tuum, Jehova, vivificabis me, pro justitia tua emicare facies ex angustia animam meam, & pro benignitate tua.* Nihil hic est, quod moram injicit; tantum observetur, *a.* verbo *vivificare* comprehendi plenam restitutionem in integrum, opposite ad statum præsentem, quo *compactio* ejus erat *contrita ad terram*, & ipse *in tenebricosis locis sedebat instar mortuorum seculi*, vers. 3. Quo sensu verbum illud & alibi venit; vid. ad Dan. XII: 2. *b.* Emphasi pollere verbum תוציא *emicare fac*, ut proprie sonat; non enim *liberationem* tantum denotat, sed & statum felicem ac gloriosum involvit: ut proxime habuimus Ps. CXLII: 8. *c.* Phrasin, *propter nomen tuum*, duplicem complecti rationem moventem, *alteram* a virtutibus Dei, *justitiæ* & *gratiæ*, quæ mox expresse memorantur, quæ id exigebant, desumtam, *alteram* a scopo & consequente liberationis, in eo sito, quod & ab aliis, & inprimis ab ipso in integrum restituto, nomen Dei celebraretur. Conf. Ps. CXLII: 8. & ibi dicta. *d.* Denique, vocem & pro *benignitate tua*, sese ad præced. æque ac seq. porrigere, adeoque & huic versui esse adnectendam: non enim a justitia tantum, sed

& *gratia* Dei rationem petit, ut verf. 1. *pro veritate tua responde mihi, pro justitia tua*: ita hic, *pro justitia tua emicare me fac ex angustia*, *& pro gratia tua*.

§. XVIII. *Posterius*, ad hostium repressionem spectans, ita habet, verf. 12. *Et pro benignitate tua ad silentium rediges inimicos meos, & perdidisti omnes arctatores animæ meæ, quia ego servus tuus sum.* h. e. ficut antea omnes eos, qui animam meam ad angustias redegerunt, & ad necem perfecuti sunt, mala morte perdidisti, ita & nunc confido, te p o justitia, sed benignitate temperata, hostes meos ad silentium esse redacturum, five eos silente plaga e medio auferendo, five compescendo, & mihi subjiciendo; quod utrumque, alterum fecisti, alterum facies, *quia servus tuus sum.* Duo conjungit *judicia* Dei, alterum præteritum, alterum proxime futurum in hostes; & *præteriti* meminit ad instans illustrandum ac spem confirmandam. Ad *præteritum* pertinent verba, *& perdidisti omnes arctatores animæ meæ*, pro *ficut perdidisti*, scilicet Saulum & impios ejus focios, aliosque hostes extraneos. Particula ו in והאברת *& perdidisti* non est *conversiva* præt. in fut., sed *connectens*, & hic per *ficut*, ut sæpe alias, recte vertitur, Præt. itaque tempus hic servandum est, & ad præteritum casum referendum; ut exposui: quod facilius est, & loco congruum: non enim hoc tempore voluit omnes *perditos*, sed *repressos*, quocunque modo, pro justitia Dei, bonitate temperata. Quo pertinet *primum* membrum, *pro benignitate tua ad silentium rediges inimicos meos;* h. e. ficut me pro justitia & benignitate vindicabis & restitues, ita easdem virtutes in hostibus meis in ordinem redigendis demonstrabis. Pertinet enim vox *in benignitate tua*, ut modo observavi, ad præced. & feq.; fed non fola, verum etiam in *justitia tua;* quæ duæ virtutes non funt divellendæ. Sensus itaque est, Deum erga hostes usurum esse *justitia & bonitate*, & fecundum utramque virtutem cum iis acturum, quod verbo תצמית, in rem aptissimo, exprimit. Proprie nihil aliud dicit,

dicit, ac *in silentium redegit*, compescuit, sedavit, unde transiit ad *perditionem* ictu silente, sine strepitu adacto, etiam moerore, & desperatione. Ps. LXXXVIII: 17. a. Generali hoc verbo usus est, ut diversos modos, quo hostes compescerentur, indicaret. Alii enim se prae desperatione suffocarunt, ut Achitophel, alii ictu lethali sine strepitu confecti sunt, ut Absolom, alii in sylva perierunt, alii gladio penetrante, &, ut notum, alii sunt sedati & subjecti.

a Schultens ad Ps. LXIX: 4.





PSALM. CXLIV.

1. *Davidis. Benedictus Jehova, rupes mea, qui manus meas erudivit ad prælium, digitos meos ad bellum.*
2. *Benignitas mea exuberans, & munitio mea; exaltatio mea & evasio mea mihi; clypeus meus, & in quo refugium habui, qui substravit populos sub me.*
3. *Jehova! quid est Adam*, seu *homo, quod cognosceres eum? filius Enoschi*, seu *lethaliter ægri, quod æstimares eum?*
4. *Homo vapori similis* est, *dies ejus* sunt *instar umbræ transeuntis.*
5. *Jehova! inclina coelos tuos, & descendas, tange montes & fument.*
6. *Fulgura fulgur, & exundare eos facias, mitte tela tua, eosque colliquescere facias.*
7. *Mitte manum tuam ex alto, effringe me, & eripe me ex aquis spissis, & manu peregrinorum.*
8. *Quorum os loquitur falsa, & dextra est dextra mendacii.*
9. *Deus! canticum novum Tibi canam, nablio decachordo Tibi psallam.*
10. *Qui dat salutem regibus, qui vindicat Davidem servum suum a gladio, a malo.*

11. *Vin-*

11. *Vindica me & eripe me e manu peregrinorum, quorum os loquitur falsum, & dextra* eſt *dextra mendacii.*

12. *Quod,* vel *profecto, filii noſtri ſunt, ſicut plantæ alte infixæ, bene compacti in adolescentia ſua, filiæ noſtræ, ſicut anguli, expolitæ ad ſpeciem palatii.*

13. *Promtuaria noſtra ſpiſſe referta, expromentia alimenta, unum poſt alterum. Pecudes noſtræ minutæ multiplicatæ ad chiliadas, ad myriadas in vicis noſtris.*

14. *Jumenta noſtra onerata: nulla fiſſio lacerans, nullaque egreſſio, & nulla vociferatio quiritans in plateis noſtris.*

15. *Beatum populum, cui ſic eſt! beatum populum, cujus Jehova Deus eſt!*

PROLEGOMENA.

§. I.

Argumentum Pſ. eſt viri illuſtris, ſervi Dei honorarii, bellis feliciter & dextre geſtis ope Dei, & vicinis populis hoſtilibus ſubactis, præclari, & ſub tutela Dei huc usque ſecure degentis, ſed nunc novo, & graviſſimo bello, cum hoſtibus peregrinis, foedifragis ac perjuris, impliciti, oratio, qua, præmiſſa laudatione Dei ſuper conceſſis ſingularibus illis beneficiis, & prærogativis modo memoratis, eo majoribus, quod in ſe vilem & inbecillum fuerint collata, ſupplicat, ut Deus, ſicut antea, denuo ſuo judicio de coelo interveniat, & ſe hoc periculo eximat, a peregrinis illis hoſtibus perfidis liberet; addita fiduciæ pleniſſima promiſſione de Deo, læto & ſingulari cantico, laudando ſuper conceſſa liberatione, & ſecuta pace, ac proſperitate regni, quam ſibi ſuo tempore eſſe dandam

augurabatur. Incipit cum celebratione Dei, & gratiarum actione pro beneficiis & prærogativis, quibus mactatus erat, quas recenset summatim, & exaggerat ex suæ indignitatis consideratione. Pergit dein ad supplices preces pro liberatione ab hostibus peregrinis & perfidis, qui ipsum videbantur obruturi. Desinit denique in fiduciæ plenissima declaratione de Deo novo cantico celebrando post concessam liberationem, pro statu felici, pacato & omnibus bonis abundante, quo fruiturum se esse prævidebat.

§. II. Quod argumentum ut in luce collocetur, status Davidis, qui hic loquitur, ut ex inscriptione & vers. 10. patet, *præteritus* & *præsens* in primis, adtendendus est, & utriusque *characteres* recte percipiendi sunt. *α. Prioris* sunt, quod in bello fuerit exercitatus, felix semper & victoriosus, præterea in sublimi collocatus, & in regno confirmatus, denique populos hostiles sub jugum miserit: vers. 1, 2. *β. Posterioris* sunt, quod novo bello, eoque periculoso & gravi, fuerit in præsentia implicitus cum populis peregrinis, secum conspirantibus in Davidem, instar *aquarum multarum*, antea amicis, & foederatis, nunc vero foedifragis & hostilibus, vers. 7, 8, & 11. ut suo loco videbimus. Addi potest γ. respectu status futuri, eam fovisse spem virum pium, fore, ut, hoc bello feliciter finito, regno gavisurus sit prospero, & hostium respectu *tuto* ac pacato vers. 12.

§. III. Nullum *tempus* est, ex historia Davidis notum, in quod hi characteres rectius, ut videtur, conveniunt, præter illud, quo, regno firmato, & populis hostilibus omnibus quaquaversum subactis, novo bello petitus est ab *Ammonitis*, antea foederatis & amicis, in societatem belli tractis *Syris*, antea domitis a Davide. Quæ historia narratur 2 Sam. x. In quod tempus cuncta tam apte conspirant, ut mirum accidat, Interpretibus illud in mentem non venisse. Vulgatior est sententia, Ps. esse compositum adversus reges Gentium, qui undique Davidem bello petebant,

bant, cum rex non tantum esset, sed Israelitas, & Philistæos jam sub potestate haberet. Quod enim alii, ut Gr. & Syr. de prælio cum Goliatho, alii cum domo Sauli cogitant, illud ab omni verisimili abhorret; cum *characteres* modo positi directe adversentur. Sed vulgatæ opinioni maxime obstat 1. quod *populos* jam habuerit bello subjectos, non Philistæos tantum una alterave vice devicisset, sed & eos & alios sub jugum missos vers. 2. 2. quod novi hostes describantur *foedifragi* & *perjuri*, vers. 8, 11. quod in Ammonitas & socios tantum quadrat. 2 Sam. x. Accedit 3. illis devictis nihil amplius turbarum externarum esse ab alieno hoste externo metuendum, ut innuitur vers. 10, 12—. Incidit mihi, fateor, & placuit, tempus persecutionis Absolomicæ huic Ps. potuisse occasionem dare; quod Calovium & Calmetum tenuisse, postea observavi; adeo ut *Absolom* & socii fuerint adpellati *filii peregrini*, non quod mater ejus fuerit *peregrina* 2 Sam. III: 3. ut Calovius exponit, quod nimis leve est, nec epitheto satisfacit, sed quod *peregrinum* habuerint erga Davidem animum; filii degeneres, qui perfidi & perduelles erant, ut mox additur. Sed postposui eam opinionem, inprimis, quod titulus *filiorum peregrinitatis* non nisi Gentilibus detur in Script. Accedit, Ps. XVIII: 45, 46. eo sensu venire. Phrases vero istius Ps. & nostri in multis adeo conveniunt, ut ex se mutuo illustrandæ sint; nec tempore multum distent; tantum noster videtur illo posterior; cum Ps. XVIII. sit factus paulo ante bellum Ammoniticum, quum amici essent Davidis, saltem sese quietos tenerent in *claustris suis*, quorum mentio est vers. 46. Factum enim esse illum Ps. ante lapsum Davidis, qui durante bello Ammonitico contigit, ad eum Ps. demonstravi. Nulla autem ibi occurrit mentio hostilium populorum nondum subactorum. Nostro itaque Ps. videntur colores ex Ps. XVIII. mutuati, tanquam priore. Nec tamen hanc opinionem de tempore Absolomico, re denuo accuratius considerata, sepositi-

ſepoſitam, ſed lectoris judicio relictam velim, cum quod vanitatis hominis expreſſa commemoratio verſ. 3. apte in Davidem, e firmo & felici ſuo ſtatu deturbatum per factionem Abſolomi quadret, tum quod poetica adparitionis Dei judicis pictura, ſicut tempore Sauli, Pſ. XVIII. ita & Abſolomi, majorem habere videatur emphaſin, tum denique cum felicitatis deſcriptione arctius cohæreat liberatio Davidis & reſtitutio, quippe quæ eam brevi poſt ſecuta eſt.

§. IV. *Scopus* Pſ., ex quo de *uſu* ejus facile conſtat, eſt, 1. monumentum erigere adfectionum ſuarum piarum, gratitudinis, qua conceſſa beneficia Deo, ejusque indebitæ gratiæ, adtribuit, confugii ad Deum in precibus, quibus liberationem ab hoſtibus a Deo ſupplex petiit & exſpectavit, non ſuis viribus fidens, denique fiduciæ in Deum, qua liberationem exſpectavit, & proſperam populi conditionem ſibi promiſit, tanquam materiam cantici in laudes Dei tum canendi. 2. *formulam* precum ſibi & aliis præſcribere, qua uterentur tempore invaſionis hoſtium, & graviſſimorum periculorum, inde oriundorum. Quæ ſunt facilia. Reliqui uſus practici ab unoquoque hinc facile eruuntur. Vid. ad Pſ. XVIII. *Structura* Pſ. moras non injicit. Oratio eſt partim *laudatoria*, partim *precatoria*, partim *votiva*, & *gratulatoria* ſuper liberatione & felicitate populi cantico celebranda. In *duabus* prioribus ſermo ſemper ad Deum dirigitur, in *tertia* de Deo ſermo fit, quia ſumma cantici triumphalis & gratulatorii traditur in laudes Dei. *Stylus* eſt planus, ſed in judicii Dei deſcriptione tantum figuratus & ſublimis; totus adfectuoſus valde. *Partes* generales, ut ex dictis facile liquet, *tres* ſunt. *Prima* eſt *laudatoria* pro conceſſis beneficiis, verſ. 1—4. *Secunda* eſt *precatoria* pro liberatione ab hoſtibus, verſ. 5—8. *Tertia* eſt *gratulatoria* ſuper liberatione inpetrata, & felicitate populi, in laudes Dei carmine celebranda, ex voto & exſpectatione orta, verſ. 9--15.

EXPLICA-

EXPLICATIO.

§. V. Cum omnia in Davidem & tempus compositi Ps. recte conveniant, Interpretes quoque communiter in eo acquiescant, a paucis si discesseris, qui ad Messiam adplicant, vel regni Dei sub Messia manifestationem vers. 3. ad fin. peti existimant, qui audiendi non sunt, cum nullo fundamento nitantur; ad *explicationem* mox pergo. *Prima* in Ps. parte, quæ est δοξαστική, א. Deum celebrat tanquam autorem fortitudinis & peritiæ suæ bellicæ, quam præstiterat, *securitatis* & felicitatis, qua gaudebat, & *subjectionis* populorum a se sub jugum missorum, vers. 1, 2. ב. beneficium illud extollit, & gratiæ Dei acceptum refert, ex consideratione vilitatis hominis, vers. 3, 4.

§. VI. א. *Prior* pericopa his verbis profertur, vers. 1, 2. *Benedictus Jehova, rupes mea, qui manus meas erudivit ad prælium, digitos meos ad bellum. Benignitas mea exuberans & munitio mea, exaltatio mea, & evasio mea mihi, clypeus meus & in quo refugium habui, qui substravit populos sub me.* Præmittit precationi, mox secuturæ, laudatoriam gratiarum actionem pro beneficiis in se collatis, ut Deum ad preces exaudiendas eo magis moveret, ex consideratione partim conservationis, liberationis, & exaltationis suæ a Deo, quippe qui opus manuum suarum non solet missum facere, partim gratitudinis suæ, qua dignus censeri posset, qui ulterioribus beneficiis similibus cumuletur. Complectitur autem omnia beneficia Dei, quibus hucusque gavisus erat, epithetis Dei adcumulatis, & phrasibus variis, sive eandem rem varie exprimentibus, sive etiam res diversas designantibus; uti in stylo adfectuoso fieri adsolet. Potest autem pericopa in *duo* distingui membra, quorum *prius* continet propositionem, *posterius* ejus deductionem & amplificationem. *Prius* vers. 1. his verbis: *rupes mea, qui manus meas erudiit ad praelium,*

digitos meos ad bellum. h. e. qui me protexit, firmavit & exaltavit, meque docuit & fecit, bella, quibus ſtatum meum firmavi & exaltavi, dextre, virtuoſe, & proſpere gerere. Cum *Deum* adpellat *rupem ſuam*, indicat, ſe 1. ſub Dei tutela fuiſſe tutum ſemper & ſalvum, uti tempore perſecutionis Sauli, & deinceps; ſicut qui in *rupe* conſiſtit, 2. ſe fuiſſe in ſtatu & regno ſuo *firmatum*, & 3. in *ſublimi* collocatum, ope & gratia Dei. Conf. Pſ. XL: 3. & ibi dicta. Sed, quia per bella varia fuit exercitus, & ad eum ſtatum firmum ac ſublimem adductus, addit in ſpecie, ſe a Deo fuiſſe edoctum & ductum, ut fortiter & dextre in iis fuerit verſatus, ac proſpere ea geſſerit, & victorioſe. Etſi enim proſper ſucceſſus non expreſſe memoretur, tacite tamen comprehenſus eſt; & in deductione expreſſa ejus fit mentio. Senſus vero eſt, ſe Dei inſpiratione & ductu fuiſſe in bello & prælio intrepidum, fortem, ſimul peritum ac prudentem; *alterum* enim per *manus*, *alterum* per *digitos* indicatur, ut recte Coccejus, qui hic videatur. Conf. de re ipſa Pſ. XVIII: 32— & ibi dicta.

§. VII. Poſterius his verbis conſignatum eſt, verſ. 2. *Benignitas mea exuberans & munitio mea, exaltatio mea, & evaſio mea mihi, clypeus meus, & in quo refugium habui, qui conculcavit populos ſub me.* Quod modo ſummatim *rupis* emblemate complexus erat, illud variis congeſtis epithetis figuratis deducit & exaggerat; & quod, de fortitudine ac peritia ſua in bellando loquens, tacite inſinuaverat, illud nunc apertius profert, proſperum belli ſucceſſum in populis domandis memorans. Epitheta Dei per *tria* paria, ſecum per *&* connexa, recenſentur, diſtincte conſideranda. *Primum* par eſt, *benignitas mea exuberans & munitio mea.* h. e. *benedictus* Deus, qui me in firmo collocavit ſtatu, & ſede munita, ſimul beneficentiam ſuam mihi magnam, copioſam & perennem, præſtitit, qualem etiam ipſum agnovi, & pie colui. Reſpicere in ſpecie videtur ad tempus, quo in arce Tſionis fixas accepit ſedes, &

pro-

promiſſum de regno perenni in ſemine ſuo conſecutus eſt. In voce enim מצודה reſpicere videtur ad arcem Tſionis, hoc epitheto inſigniri ſolitam, 2 Sam. v: 7. & alibi, & indicare, ſe in Deo habere & agnoſcere eam *munitionem*. In epitheto vero חסד ſpeciatim adtendere videtur promiſſum gratiæ de regno perpetuo, & Meſſia. Quod eo titulo κατ' ἐξοχὴν venit Jeſ. LV: 3. Quod Coccejum quoque non præteriit. Ex quo ſimul patet, quam apte conjunxerit hæc duo, cum arx Tſion fuerit regni iſtius ſedes, & in illa *arce* jam collocatus promiſſum nactus ſit. Sed omittendum non eſt, eum titulo חסדי ſimul indicatum voluiſſe pium ſuum erga Deum adfectum, quo Deum etiam ipſe pro munitione & benefactore ſuo agnovit, & ardente ſtudio complexus eſt: ita ut Deus quoque hac parte fuerit ejus חסד *ſtudium;* & חסדי *ſtudium meum* ſit, & quod in me exuberat, & in quo ego exubero. Conf. Pſ. XVIII: 2. *diligam te Jehova, fortitudo mea.* &c. ubi vid. dicta: unde ſe ipſe adpellat חסיד ib. verſ. 26. Quod eo rectius includitur, quia in ſeq. ſemper conjunxit & Dei adfectum erga ſe, & ſuum erga Deum, ut mox patebit.

§. VIII. *Secundum* par, *exaltatio mea*, ſeu *locus meus editus*, *& evaſio mea mihi*, ſignificat, eum omnibus periculis, etiam contra opinionem, fuiſſe ereptum, maxime tempore perſecutionis Sauli, ſed & in ſtatu ſublimi ac glorioſo collocatum, ita ut nomen acceperit celebre, uti eſt 2 Sam. VII: 9. VIII: 13. idque omne ope & favore Dei, quem pro ſuo liberatore & exaltatore etiam habuit ſemper, agnovitque. Conf. ad Pſ. XVIII: 3. & hic tantum obſervetur, non ſine emphaſi addi לי *mihi;* quippe quo indicat, ſe non tantum Dei favore in ſe eripiendo ac exaltando gaviſum eſſe, quod epitheta, *exaltatio*, *evaſio mea.*, ſatis indicarunt, ſed & ſe Deo eripiendum ac ſublimandum commiſiſſe, & ab ipſo ſolo exſpectaſſe, eumque qua talem agnoſcere ac celebrare. *Tertium* par, *clypeus meus & in quo receptum habui*, ad bella reſpicit, ab ipſo, ut modo di-

 xerat,

xerat, animose & dextre gesta, dicitque, eum Deo protectore fuisse usum, & ipsi etiam fidisse. *Prius* per epitheton *clypei* expingitur, ut facile cernitur, & *posterius* per voces, *& in ipso refugium quaesivi*, seu *patrocinium* instar clientis in patrono, cujus vestimenti oram adprehendit. Quam emphasin verbi חסה sæpe observavi. Denique subjungit *consequens* eorum omnium, seu prosperum bellorum successum, quum dicit, *qui conculcavit sub me populos*: sic enim verti debet עמי pro עמים, & non *populum meum*, cum quod in loco parallelo Ps. XVIII: 48. ita habeatur, tum quod verbum רדד *violentam* subjectionem, & subjugationem, quæ populorum libertatem destruit, comprehendat. Radix enim רדד, cui רדה respondet, proprie dicit, *calcare*, gravi pede premere, unde ad *dominationem* graviorem transiit *a*. Vocem עמי pro עמים recte sumi notum, & ab aliis jam observatum est *b*. Sic & Mich. VI: 16. Quo etiam facit, quod י heemanticum, ut vocatur, in fine efficiat notionem collectivam, ut גובי Am. VII: 1. *locustarum* major multitudo, & חלוני Jer. XXII: 14. *fenestrarum multitudo.* Respicitur itaque ad populos vicinos, quaquaversum devictos, & sub jugum missos, 2 Sam. VIII.

§. IX. ב. Beneficia recensita exaggerat, tanquam ex pura gratia collata in creaturam vilem, & nihili a Deo æstimandam, simul se in Deo, & non se ipso, robur secum posuisse, ac ponere, justificat ex consideratione *vanitatis* & inbecillitatis hominis, vers. 3, 4. *Prius* his verbis, vers. 3. *Jehova! quid est Adam, quod cognosceres eum? filius Enoschi, quod aestimares eum?* h. e. nec quivis homo, sive Israelita sive gentilis, nec lineæ sanctæ propago, aliquid habet, cujus tu rationem habeas, & propter quod ei benefaceres; pura puta itaque & admiranda tua *bonitas* est, qua me tantis cumulasti beneficiis. Conf. ad Ps. VIII: 5. ubi forma orationis & res ipsa est exposita. *Tendit* autem

a Vid. ad Ps. LXVIII: 28. & Schroeder ad Jes. III. c. 21.
b Hottinger. Smegm. p. 114.

autem hæc exclamatio admirabunda hoc loco ad beneficium Dei amplificandum, & verum fontem, ſolam Dei gratiam, pandendum; ut facile adparet. In verbis, & ſtructura orationis, parum eſt, quod noſtræ curæ relictum eſt. *Cognoſcere* eſſe pro *agnoſcere*, curare, favoris ſigna dare, & *reputare*, חשב, eſſe pro *aeſtimare*, alicujus pretii cenſere, voculam ו & eſſe pro *quod*, vel *quia*; ſatis tritum eſt. Tantum obſervo, voces אדם & בן אנוש ita poſſe diſtingui, ut *prior* ſit generalior, gentiles quoque comprehendens, qui אדם etiam adpellantur, *poſterior* ad ſanctam lineam reſtringatur, Sethi poſteros, cujus filius adpellatur eſt אנוש homo lethaliter *aeger* & inbecillus, Gen. IV. fin.

§. X. Confeſſioni & exaggerationi gratiæ Dei in conceſſis beneficiis adjungit ſuæ vanitatis & inbecillitatis confeſſionem, ut declararet ſe jure merito non in ſe, ſed Deo poſuiſſe fiduciam ſuam. Quo mihi ſequentia videntur verba ſpectare, verſ. 4. *Homo vapori ſimilis* eſt, *dies ejus* ſunt *inſtar umbrae transeuntis*. h. e. Sicut homo nihil habet, quare ejus rationem haberes in benefaciendo, ſed pura puta gratia ſit, ex qua bona & dona tua fluunt, quod gratus & lubens agnoſco & celebro: ita ſimul confiteor, homini nihil eſſe virium, quibus ſe tueri, & firmiter durare poſſit, ſed illud unice tibi acceptum eſſe ferendum, & in te quærendum, ſicut feci & facio etiamnum, non mihi, ſed tibi unice nixus. Interpretes exiſtimant, hic reſponderi ad præcedentem exclamationem interrogatoriam, & rationem dari, quare nihil habeat, quo a Deo agnoſcatur, petitam a vanitate & imbecillitate hominis, qua cito perit: ſed, ſi id intendiſſet, aliam etiam protuliſſet rationem ab indignitate & corruptione, non a momentanea tantum hominis duratione, & inbecillitate; quæ Deum movere potius deberet ad homini ſuccurrendum, quare rectius eo, quo dixi, referuntur; ut confeſſionem infirmitatis contineant, qua juſtificat fiduciam ſuam, non in ſe & viribus, ſed Deo poſitam: uti in paraphraſi expreſſi. Quæ confeſ-

sio sicut superioribus, ut vidimus, recte subjungitur, ita sequentibus apte præmittitur, cum mox oret, ut Deus sibi succurrat, quippe infirmo, & facile ruituro alias. Verba ipsa nihil habent difficilis. Duo comprehendunt enunciata, in rem facientia, *alterum* est, hominem esse *vapori* similem, quod proprie dicit הבל, vel *halitum* oris, aut *inflationem* turgidam, cui nihil inest solidi, sed qui facile evanescit: quo indicatum voluit, sibi nihil esse virium, quibus consistere possit, maxime contra *impetum* vehementem & hostilem: *alterum* est, *dies suos esse instar umbræ transeuntis*, h. e. facile & per se sat cito finiri, adeoque violenter & intra tempus statutum non esse abrumpendos, & auferendos, præterea, facile id fieri posse, nisi Deus succurrat. Conf. Ps. LXXXIX: 48. & ibi dicta.

§. XI. *Secunda* Ps. pars, quæ preces pro liberatione ejus ab hostibus, horumque prostratione, comprehendit, poetico & sublimi stylo his verbis rem depingit, vers. 5-8. *Jehova inclina coelos tuos, & descendas, tange montes & fument: fulgura fulgur, & exundare eos facias, mitte tela tua, eosque colliquescere facias; mitte manum tuam ex alto, effringe me & eripe me aquis spissis, e manu peregrinorum, quorum os loquitur falsa, & dextra est dextra mendacii.* Quæ poetica est pictura judicii Divini, severi & tremendi publice habiti, ejusque consequentis terribilis in hostes, & salutaris in Davidem, quo, hostibus prostratis, ipse est in plenissimam libertatem & prosperitatem adsertus; adeoque huc simpliciter redit, Davidem orare, ut ab hostibus vindicetur cum clara potentiæ, & justitiæ Divinæ, demonstratione. Imago est ex Ps. XVIII. petita, & in compendium missa, & ibi a nobis illustrata: quare hic uno alterove defungi potero observato. 1. Primum est, radicem פצה non esse cum פרה, ut fecit Capellus *a*, permiscendam, sed notare proprie *patefacere cum diffractione*, seu effringere patefaciendo; unde inter alia transiit ad liberationem a malo,

a Not. Crit. ad Ps.

malo, cui quis obnoxius erat, ſeu effractionem manu potentis vindicis, adſertionemque ex vinculis, & anguſtiis a. Cum autem hic conjungatur cum verbo *eripere ex aquis multis & ſpiſſis;* effringere & eripere erit, aquas cum fragore rumpendo & diffindendo extrahere ac liberare. 2. *Secundum* eſt, *aquas*, quibus ſe cinctum eſſe indicat, depingere hoſtiles exercitus, undiquaque a tergo & fronte obſidentes, & ſubmerſuros Davidem; quemadmodum exercitui ejus ab Ammonitis & Syris contigit, 2 Sam. x: 9. quare mox, explicationis ergo, additur, *a filiis peregrinitatis*, ſeu *peregrinis*, extraneis & gentilibus: quibus titulus נכר dari ſolet in Script. S. Quod idem qua ratione in Abſolomi quadret infeſtationes, ſupra expoſui, & mox repetam. *Aquas* expingere in genere calamitates periculoſas, in ſpecie populos hoſtiles, notius eſt, quam ut demonſtrare neceſſe ſit. 3. *Tertium* eſt, verba verſ. 8. *quorum os locutum eſt falſa, & manus dextra eſt manus mendacii*, eo tendere, ut characteriſticas peregrinorum hoſtium qualitates ducant, quibus acceptum erat referendum, quod Davidem invaſerint, quæque merebantur divinam vindictam; adeoque ut de peregrinis illis cogitaremus, qui falſitate & infidelitate in pactis juratis obſervandis bellum hoc concitaverant. Quo manifeſte ducimur ad Ammonitas, Davidis ſocios & foederatos, qui de ſcopo ejus in mittendis legatis falſum tulerunt judicium, & foedus cum Davide, juramento pactum, fregerunt: uti narratur 1 Sam. x. quod hic dicitur *falſum ore loqui*, & *dextram* facere *mendacem*. Dextra enim hic ad *juramentum* referenda eſt, uti a nonnullis recte eſt obſervatum, a Cl. Schultens b ex Arab. etiam illuſtratum. Alii de *robore* hoſtium fallace interpretantur, quod huc minus quadrat, cum hic occurrant, tanquam potentes, contra quos opus habeat Dei auxilio & robore. Plura non opus eſt addere. Cete-

a Schultens clav. p. 771. b Ad h. l.

Ceterum illud ipsum in Absolomum ejusque socios apte convenire, facile patet.

§. XII. *Tertia* pars continet solemnem declarationem læti & novi cantici canendi, quum Deus liberationem concesserit, & preces exaudiverit, cujus argumentum erit felicitas & prosperitas populi; quam declarationem fecit ad testificandam cum spem suam, qua læta illa tempora exspectabat, ut & gratitudinem, Deo pro concessis beneficiis præstandam. Cujus pericopæ, vers. 9-15., sequentes partes sunt. א. *Prima* exhibet propositum & spem Deum *novo* cantico solenniter celebrandi, vers. 9. *Deus! canticum novum tibi canam, nablio decachordo psallam tibi.* h. e. ea me tenet spes, fore, ut novum & lætum tibi carmen & voce & instrumentis musicis tibi accinendi potestas & occasio detur; eo quoque sum animo, ut illud, in gratitudinis testificationem, facturus sim. Nihil hic occurrit, quod addam dictis ad Ps. XXXIII: 4. ubi eadem fere verba reperiuntur, & de eodem tempore agitur prosperitatis, cui *novum* carmen conveniebat. Agitur ibi de statu populi sub Salomone, quem & hic præcipue in oculis habuit, ut seq. docebunt.

§. XIII. ב. *Secunda* pars *tempus* definit, quo locum haberet canticum illud novum, quum Deus sese Davidi præstiterit servatorem ab hoc bello, & alio quocunque malo secuturo, adeoque precibus, quas repetit, adnuerit, vers. 10, 11. *qui dat salutem regibus, qui vindicat Davidem servum suum a gladio, a malo. Vindica me & eripe me e manu peregrinorum, quorum os loquitur falsum, & dextra est dextra mendacii.* Quæ verba partim elogium Dei liberatoris & servatoris regum, & in specie Davidis, continent, partim preces pro liberatione. α. Prius vers. 10. *qui dat*, vel *danti*, *salutem regibus* &c. Cohærent verba cum præcedentibus, quibus dixerat, se Deo esse novum carmen dicturum, & exponunt, qualem se Deus præstiterit, cui carmen accineretur, adeoque quo tempore illud fieret, quum

quum nimirum Deus celebrari poſſit, tanquam liberator & ereptor Davidis a gladio & malo, ſeu conquaſſatione alia qualicunque. Duo de Deo prædicat, alterum *generàle*, alterum *ſpeciale*, ad ſe pertinens; utrumque in perſona tertia; qua & de Deo, & de ſe loquitur, gratiæ & emphaſios ergo: niſi quis cum Syr. & Vulg. Lat., quod non diſplicet Musculo, velit legere עבדך *ſervum tuum*, ut in ſecunda perſona decurrat ſermo. *Prius* habet, liberationem, qua vel ipſi reges gaudent, eſſe Deo acceptam ferendam, & non potentiæ, aut ſapientiæ propriæ. Senſus vero eſt, liberationem regibus, qui liberantur, a Deo concedi, ita ut *dare liberationem regibus*, conciſa oratione ſit, regibus, qui liberantur, Deum dare liberationem. Quod plenius deducitur Pſ. xxxiii: 16, 17. ubi vid. dicta. *Poſterius*, quod eſt reſtrictius & ad Davidem relatum, habet, *qui effringit Davidem ſervum ſuum a gladio*, *malo*, ſeu a malo aut conquaſſatione; ſcilicet ſicut antea, ita & nunc ac in poſterum. Enunciatum enim eſt generale, & late ſumendum pro liberatione a bello & alio malo qualicunque, quo & ante fuit preſſus, & premebatur in præſentia, & in poſterum premeretur. Dubium eſt, num רעה cum חרב conſtrui debeat, an per ſe ſumi. utrumque poteſt: ſi *prius*, *gladius* erit *conquaſſator*, & *confractor*, ſicut Jer. xxiii: 10. *concusſio conquaſſata*, & xvi: 16. *gladius* יונה *enervator*; ſi vero *poſterius*, repeti debet ex præced. vocula מ *a conquasſatione*. Perinde eſt, quocunque modo accipiatur, modo not., vocem רעה denotare *conquaſſationem*, *confractionem*, qua quis opibus, potentia, vita privatur, & confringitur. Quæ vera eſt radicis רוע & רעע poteſtas, unde ad malum conquaſſans, & morale, & phyſicum, transfertur *a*.

§. XIV. *Poſterius*, quo preces, pro liberatione modo fuſas verſ. 7, 8., repetit, verſ. 11. *effringe me*, *eripe me a manu peregrinorum*, *quorum os loquitur falſum*, *dextra eſt dextra mendacii*;

a Schroeder ad Pſ. x.

mendacii; quid ſibi velit, & quo tendat, difficultate non caret, cum hic verſetur in Deo propter conceſſam liberationem a gladio quaſſatore laudando, ſeu præſupponat, Deum ſeſe talem exhibuiſſe, cui canticum novum accineret. Alterutrum videtur ſtatuendum, *vel*, eum preces repetiiſſe eo ſcopo, ut indicaret, Deum ſe ſecundum preces ſuas liberaſſe, ſeu eas eſſe exauditas, & impletas, *vel*, denuo in eas erupiſſe, & ſermonem, precibus inſertis per parentheſin, abrupiſſe; ut ſignificaret, quantopere deſideret, ut Deo, tanquam liberatori, carmen novum dicere queat. *Prius* ſi admittatur, ſermo erit ellipticus, hac vel ſimili ratione ſupplendus: *carmen novum tibi* dicam, qui me eripuiſti, & quum illud feciſti, ſecundum quod modo precatus ſum, *eripe me* &c. vel qui me *eripuit*, dicentem, *eripe me* &c. verbo אמר ſubintellecto, ut ſæpe alias. *Poſterius* ſi placeat, verſus erit pro parenthetico habendus, & *eo ſcopo* inſertus, ut flagrans liberationis, ſuo tempore celebrandæ novo cantico, deſiderium exprimeret, acſi dixiſſet: novo te carmine laudabo, Deus! qui me eripuiſti; fac illud, ut id tibi accinere poſſim, *eripe me*, uti modo oravi, quod repeto. Sed poteſt & alia dari ratio repetitarum precum, & per parentheſin inſertarum, ſi de Ammonitis ſermo cenſeatur inſtitui, inde petita, quod per ſpiritum inſcius licet pro liberatione a nova conquaſſatione per alios filios peregrinationis, figurate ſic dictos, falſa locutos & fœdifragos, ac perfidos, efficienda, fuerit precatus; ſive ad precationem renovandam compulſus a ſpiritu propter novam aliquam conquaſſationem ab aliis, ſed ſimilis indolis, hoſtibus poſtea orituram, antequam carmen illud novum Deo accini potuerit; a ſpiritu prævıſam, ipſi precanti adhuc occultam; ſive ipſe ſimpliciter preces repetere in animo habuerit, ſive hypothetice de futuro locutus fuerit, *ſi tale, vel ſimile quid, in poſterum* contingat: ſecundum quam hypotheſin verba pertinebunt ad conquaſſantem calamitatem ſub Abſolomo, & *filii peregrinitatis*

tatis ſenſu figurato erunt perverſæ & peregrinæ indolis homines inſtar peregrinorum in Davidem irruentes, quorum character eſt, *mendacia* in dedecus & perniciem Davidis *loqui*, ut fecit Abſolom 2 Sam. xv. & Simei c. xix. aliique, & perfide agere, fœdus & ſocietatem cum Davide rumpendo; quod ab illis factum conſtat. Hypotheſi vero de Abſolomi conſpiratione, in hoc Pſ. delineata, admiſſa, adplicari hæc verba poterunt ad illam Selæ, poſt Davidis reſtitutionem 2 Sam. xx.

§. XV. 1. *Tertia* pars profert ipſum cantici novi argumentum, in ſumma omnium bonorum copia, omnigena proſperitate, & pace ac tranquillitate, ſitum: quod *α*. graphice depingitur verſ. 12--14. *β*. beatitatis prædicatione extollitur ac concluditur, verſ. 15. *α*. *Prius* his verbis fit verſ. 12, 13, 14. *Quod*, vel *profecto*, *filii noſtri* ſunt, *ſicut plantæ alte infixæ*, *bene compacti in adoleſcentia ſua*, *filiæ noſtræ*, *ſicut anguli*, *expolitæ ad ſpeciem palatii*: *promptuaria noſtra ſpiſſe referta*, *expromentia alimenta unum poſt alterum*: *pecudes noſtræ minutæ multiplicatæ ad chiliadas*, *ad myriades in vicis noſtris*. *Jumenta noſtra onerata*: *nulla fiſſio lacerans*, *nullaque egreſſio*, & *nulla vociferatio quiritans in plateis noſtris*. h. e. Novi & læti carminis, quod tibi accinam ſolenniter & publice, hæ erunt præcipuæ partes, hoc argumentum; quod ſumma & omnigena fruamur, ego & populus, proſperitate & tranquillitate; ita ut inter alia, ne omnia recenſeam, liberis gaudeamus pulchris, & robuſtis, adeoque domus & familiæ noſtræ ſint numeroſæ, & florentes ac bene ſtabilitæ; cellæ noſtræ promptuariæ omne genus bonis abundanter inſtructæ, ad vivendum non tantum, ſed læte ac jucunde vivendum; greges noſtri quoque mirabiliter multiplicati, & boves firmi ac continuo laborantes, & opera portantes; nulla denique in terras noſtras erruptio confringens, nulla ad hoſtes reprimendos egreſſio militaris, nulla vociferatio oppreſſorum, qui opem implorant, omnia tranquilla, pacifica

fica & ſecura. Turbavit maxime Interpretes vocula אשר, qua pericopa cum ſuperioribus connexa eſt, & verus ejus conſpectus. Sunt, qui pro verbis *peregrinorum* habent, felicitatem ſuam temporalem jactantium; qui vertunt, *filii noſtri*, & peregrinos introduci cenſent loquentes; quorum jactationes poeta retunderet verſ. 15. in membro poſteriore. Sed 1. poeta tunc *prima* perſona non fuiſſet uſus, ſed, ut modo אשר פיהם *quorum os*, dixiſſet, אשר בניהם, ſicut LXX & Syr., huic hypotheſi litantes, inſtituerunt: mutatio enim perſonæ ſermonem prorſus implicat, & minus intelligibilem facit. 2. Nimis abrupte, & ſine ratione, jactantia hominum mundanorum tanta orationis copia deſcriberetur. 3. Nihil hic occurrit, quod in populum Judæum, externis illis promiſſis gaudentem, non apte quadret; nihil, quod ſocietatibus non ſit deſiderabile, & ad eas felices reddendas non faciat. 4. Denique membra verſ. 15. manifeſte cohærent, nec ita divelli poſſunt, ut prius pro jactantia populorum, poſterius pro ejus correctione & refutatione a poeta facta, haberi poſſit. De quo mox. Offendit Interpretes, & a vero abduxit, quod nexum & verum conſpectum pericopæ non perſpexerint; qui ex noſtra analyſi, modo data, facilis eſt. Cohæret enim cum verſ. 9., & materiam ſeu partes cantici novi comprehendit; ut ex dictis patet, ſive אשר vertatur *quod* vel *quia*, ut ſit, *canam tibi — — — quod filii noſtri ſint:* ſive cenſeatur cum emphaſi, aut poteſtate adſeverandi, abundare; ſitque pro *utique*, *profecto*, quemadmodum alibi *a* Ex quo etiam eluceſcit, minus recte pro voto aut precatione haberi, ut paſſim accipitur, ſed pro *felicitatis* præſentis deſcriptione eſſe habendam, adeoque ſupplendam, non per *ſint*, ſed *ſunt*, cum cantici læti materiam conſtituat.

§. XVI. *His*

a De Dieu ad 2 Sam. III: 8. Neh. IV: 12. & comm. noſter ad Jer. XXXII: 35. XLVIII. 9.

§. XVI. His praemissis, consideremus & illustremus partes pericopæ, quæ sequentes sunt *a*. *Prima* pertinet ad domus seu familiæ prosperitatem, in liberis utriusque sexus pulchritudine, & firmitate sitam, vers. 12. *Filii nostri sicut plantæ, compacti in juventute sua; filiæ nostræ sicut anguli expositæ ad speciem palatii.* h. e. Filii filiæque nostræ insigni pollent gratia, pulchritudine, & vigore ac firmitate, in juventute seu primo ætatis flore, adeo ut domus propagandæ ac firmandæ in longum præclaram faciant spem: quæ domuum & familiarum est felicitas, in fœdere Dei quoque promissa. Conf. Ps. CXXVIII: 3. ne alia memorem, satis nota. *Filii* dicuntur *bene compacti in juventute* sua, & comparantur cum *plantis* alte radicatis, proceris & venustis. Vox enim מגדלים non cum *plantis*, sed *filiis* construenda est, secus ac vulgo putatur; quod verbum גדל, vera sua emphasi sumtum, quoque requirit, cum in *plantas* minus recte quadret, aptissime in *juvenes*. Ex indole enim radicis, quæ proprie dicit *implicari multis filis, & densius intorqueri*, non tam spectatur *altitudo staturae* in genere, quam *compactio*, & interior nervorum firmitas, cum robore & vigore conjuncta, uti Jes. I: 2. XXIII: 4. Jer. L: 41. Ez. XXXI: 4. *a*. *Duo* itaque de filiis prædicantur, alterum, eos esse nervosos, firmos, & robustos; quod est מגדלים; & non, ut nonnullis visum, *bene* & *pie* educatos; quod hic non adtenditur, licet præsupponi debeat; *alterum*, eos esse *plantis* similes, quatenus sunt alte infixi & radicati, pulchri & proceri, qui gratiam præbent, & spem præclaram. Conf. ad Ps. CXXVIII. ubi *plantae olearum* adpellantur. De *filiabus* habetur, eas esse *instar angulornm expolitas forma palatii* h. e. proceras, omnium partium symmetria concinnas, pulchras, & domos ornare ac firmare aptas. Cum *palatio* comparantur stylo orientis ob *proceritatem; expolitae* adpellantur ob partium omnium concinnitatem; radix חטב dicit *dolatum*, pulchre tornatum ac expoli-

a Vid. etiam Schultens Defect. §. 202.

politum. Denique similitudo *angulorum penuariorum*, cum ad firmam constitutionem, tum laterum domus compactionem nos ducit; quae per *filias* fit, quatenus familiae statuminandae aptae sunt per curam *penuariam*. Conf. Prov. XXXI. quo ipsa vox זוית, ut mox dicam, tendit: quippe quae *penuria* in *angulis* reposita denotat. Quod si displiceat, nihil rectius suppetit, quam ut כזית *instar oleae* legatur, quacum filii comparantur Ps. CXXXVIII. Quod Calmeto etiam in mentem venit.

§. XVII. *b. Secunda* pars exhibet copiam omnium bonorum ad vitam, eamque commodam & hilarem; vers. 13. *Promptuaria nostra spisse referta, expromentia ex alimento ad alimentum*, vel alimenta unum post aliud, sine penuria aut exhaustione. Nihil hic difficile, aut notandum. Radix זו originem habet in *contractione* & *compressione in unum;* unde *penuaria* adpellantur מזוים, ubi res magna copia coacervantur; *pakhuisen*. Radix vero זן Arab. est *ornare*, polire, instruere; unde & ad *alimenta*, & ad *armamenta* transitus fit facilis, sicut Lat. *ornare* exercitum, classem, dicunt pro *armare*, & focum, domum, pro omni copia instruere, unde זונה quae *cauponariam* artem exercet. Phrasis ex *alimento* ad *alimentum* pro inexhausta copia satis trita est.

§. XVIII. *c. Tertia* pars pertinet ad minutarum pecudum summam foecunditatem ac copiam, *boum* vero & armentorum robur, & continuum usum in arando ac onera ferendo: vers. 13, 14. *minutae nostrae pecudes multiplicatae ad chiliades & myriades in vicis nostris; boves nostri onerati.* Quae satis plana sunt, vel expedita ab Interpretibus; tantum quid ambigui est in verbo מסבלים de *bobus* usurpato, quo & *gravidae* vaccae in utero gestantes, & *pingues*, & *robusti* ac *onera* portantes, boves intelligi possunt. *Primum* eligit & illustrat Bochartus *a*, sed *secundum*, vel *tertium*, communiter placet; nobis videtur ambiguum studio captatum, ut

a H. p. I. l. II. c. 30.


ut omnia comprehendantur. *Boves* itaque *onerati* sunt, qui fœcundi, simul pingues & arvina graves, denique in oneribus portandis adsidui sunt, in signum continuæ agriculturæ, & frugum abundantiæ. Conf. Prov. XIV: 4. *Quum nulli sunt boves, area pura est, & spissa copia proventuum in robore tauri.*

§. XIX. *Quarta* pars ob oculos sistit tranquillitatem & securitatem publicam, *nulla fissio lacerans; nullaque egressio militaris, & nulla vociferatio quiritans in plateis nostris.* h. e. nulla est *irruptio* hostilis in terras nostras, quæ scindit & lacerat, nulla opus est *egressione* militari ad hostes arcendos, aut bellum gerendum, nulla nequidem *quiritatio* oppressorum, opem aliorum implorantium; sed quies, pax, & securitas ubique regnat. Vox פרץ proprietatem habet in *fissione lacerante*, ita ut vel incisura fiat, vel apertura & foramen; speciatim usurpatur in obicibus perfractis, unde ad aquas, quæ alveos omnes perrumpunt, transfertur *a*: ex quo patet, recte hic cogitari de irruptionibus hostilibus, & vastationibus inde ortis. *Secunda* vox יוצאת absolute posita recte refertur ad *egressionem militarem*; uti 2 Sam. XI: 1. *tempus* צאת *egressus regum*, scilicet ad bellum, nec non Jud. IX. 2 Sam. II: 13. Ps. LX: 12. verbum יצא. Sensus itaque est, locum nequidem habere expeditiones militares, sed omnia esse pacifica, nec *bellum* geri a populo. *Tertia* radix צוח proprie dicit *rumpere*, inde *rumpere vocem*, ac clamare, ut qui opem implorat: significatur itaque, nullam oppressionem, qualemcunque etiam, reperiri, sed summam obtinere tranquillitatem, & securitatem, ac libertatem. Quæ cum satis limpida sint, nollem turbata a Bocharto *a*, qui voces פרץ & יוצאת refert ad vaccas gravidas, non *abortientes*, aut *ejicientes* semen. Quod nec in voces, sic absolute positas, quadrat, nec cum seq. *vociferatione* cohæret. Sensus, quem dedi, est facilis, & in rem aptissimus: quare aliorum interpretationibus non immoror.


§. XX.

a Schultens clav. p. 282. & Lette ad Jud. v.

§. XX. β. Subjungitur beatitudinis populi, his bonis gaudentis, celebratio, simul fons monstratur hujus felicitatis, vers. 15. *Beatum populum, cui sic est! beatum populum, cujus Jehova Deus est.* h. e. Felix profecto est, & summopere felix, societas, cui hæc contingunt; felix itaque est, & majore adhuc gradu, qui Jehovam habet pro Deo suo fœderato. *Posterius* membrum non ad *prius* corrigendum aut refutandum subjungitur, sed partim confirmandum & illustrandum, partim amplificandum; adeoque ad inculcandum, 1. felicitatem hanc populo illi evenire, qui Jehovam habet Deum suum, adeoque Jehovam esse ejus promocondum & autorem. 2. majorem esse populi felicitatem, quum Jehova fruitur tanquam Deo. Conf. Ps. XXXI: 1: 12. & ibi dicta. Ceterum not., hanc descriptionem vera sua emphasi in tempora Salomonis convenire; quorum primordia fuerunt sub Davide post omnes calamitates, sub finem vitæ superatas; in quod tempus Salomonis etiam quadrat Ps. XXXIII. ubi vid. dicta.



PSALM.



PSALM. CXLV.

1. *Corusca laudatio Davidis. Extollam Te, Deus mi! regem istum, & benedicam nomini tuo in seculum & aeternum.*
2. *Quotidie benedicam tibi, & celebrabo cum vibratione nomen tuum in seculum & aeternum.*
3. *Magnus est Jehova & coruscus valde, nec est magnitudinis ejus pervestigatio.*
4. *Aetas ad aetatem concelebrabit opera tua, & fortitudines tuas ante oculos ponent.*
5. *Venerandam gloriam Majestatis tuae praegravantis, & verba mirabilium tuorum spatiabor.*
6. *Et vim decusque verendorum tuorum dicent*, vel *canent*, *& potentias tuas enarrabo.*
7. *Commemorationem multiplicis tuae bonitatis & justitiae tua scaturire facient*, *resonabunt*, vel *resonantes.*
8. *Tenerrimo adfectu & commiseratione praeditus est Jehova, longanimis, & magnus beneficentia.*
9. *Bonus est Jehova universitati, & commiserationes ejus super omnibus operibus ejus.*
10. *Celebrabunt te, Jehova! omnia opera tua, & pii tui benedicent tibi.*
11. *Gloriam regni tui dicent, & fortitudinem tuam different.*
12. *Ad notificandum filiis hominum potentias ejus, & gloriam verendae Majestatis regni istius.*

13. *Regnum tuum est regnum omnium seculorum, & dominium tuum in ommem generationem & generationem.*
(14. *Fidelis est Jehova in verbis suis, & beneficus in omnibus operibus suis.*)
14. *Fulcit Jehova omnes lapsantes, & omnes curvatos erigit.*
15. *Oculi omnium ad te prospectant, &*, vel *utique, tu das ipsis cibum ipsorum tempore isto*, vel *cuique suo.*
16. *Aperis manum tuam, & satias omne vivum acquiescentia.*
17. *Justus est Jehova in omnibus viis suis, & beneficus in omnibus operibus suis.*
18. *Prope adest Jehova omnibus eum invocantibus, omnibus, qui eum in veritate invocant.*
19. *Beneplacitum timentium sui faciet, & quiritationem eorum audiet, & servabit eos.*
20. *Custodit Jehova omnes amantes ejus, &*, vel *sed, omnes improbos delebit.*
21. *Coruscam Jehovae laudam edisseret os meum, & benedicet omnis caro nomini sanctitatis ejus in seculum & aeternum.*

PROLEGOMENA

§. I.

Argumentum Ps. totum est generis *laudatorii*, quare inscriptio ejus est תהלה, proprie *laudatio* & celebratio cum *vibratione* tam corporis, quam vocis; proprietatem enim habet הלל in *vibratione*, seu splendore ex alto radiante.

te. Continet autem elogium magnitudinis, potentiæ, justitiæ & bonitatis Dei, per opera in Ecclesia & toto mundo demonstratarum; & declarationem celebrationis Dei super his omnibus, quam ipse poeta, omnesque pii facere per omnia tempora, in specie nunc, debeant, etiam facturi sint, ut omnibus hominibus ea innotescant, & omnes ad Deum glorificandum excitentur. Cum poeta in genere animum suum de Deo laudando & benedicendo in perpetuum testificatus esset, magnitudinis & potentiæ ejus elogium facit, dicitque, eo respectu Deum a se & aliis esse celebrandum; quando ad justitiam & bonitatem pergit, cujus utriusque virtutis respectu idem a se & piis esse faciendum declarat, ut omnibus hominibus earum effecta innotescant, quorum plura recenset specimina & effecta, in Ecclesia & mundo conspicua. Definit denique non solum in repetita declaratione celebrationis Dei a se instituendæ, sed eam ad omnem carnem extendit, a qua Deus sit glorificandus in æternum.

§. II. Ad cujus argumenti verum conspectum illud tantum notandum occurrit, statum Davidis & populi præsupponi lætum, pacificum & prosperum, quo, omnibus malis superatis, singularia & multiplicia earum Dei virtutum signa & effecta consecuti erant, nihilque agendum esset, quam Deum magnificare, & super omnibus istis signis celebrare: quod ipsum etiam passim futurum esse a rege & populo Dei, significatur. Ex quo haud obscure elucescit, nullum aptius *tempus* sese in vita Davidis, cui Ps. convenit, offerre, eo, quo sub finem regni Salomo inauguratus est, & felicia ejus tempora inciperent; quando haud dissimilis argumenti orationem habuit in populi comitiis 1 Chron. XXIX. Nec improbabile est, Davidem hoc canticum instar adpendicis superiori adnexuisse, quo tempore prosperum illud tempus adluxerat, cujus lineas superiore Ps. duxerat, adeoque pro *carmine novo*, cujus spem fecerat, voluisse haberi. Quare ei immediate subjunctum

junctum est & quidem titulo singulari, quo nullum aliud ejus canticum insignitum, *laudatio Davidis*. Confirmat hanc hypothesin Ps. XXXIII. præcedenti quaque ea ratione subnexus, & ad felicitatem regni Salomonis respiciens.

§. III. *Scopus* Ps. est, unde de *usu* ejus facile constat, Deum super præclaris potentiæ, justitiæ & gratiæ, signis, in medio populi inprimis conspicuis, celebrare, cum gratiarum actione, ut fecit 1 Chron. XXIX, & populum ad idem faciendum nunc & in posterum excitare; formula ipsis in manus tradita, qua Deum publice & solenniter laudare possint. *Structura* Ps., praeterquam quod alternatim nunc ad Deum sermo vertatur, nunc de Deo fiat, illud habet singulare, quod singuli versus secundum litteras alphabeti incipiant & decurrant; quales *alphabetici* adpellari solent; vel memoriæ vel elegantiæ causa ita ordinati. Tantum in texu Hebr. Masor. deficit versus cum littera נ *nun*: sed quem feliciter suppleverunt LXX Interpretes, post vers. 13. de quo postea suo loco. *Stylus* est planus & facilis ad omnium captum, uti in doxologiis decet. *Partes* Ps., ut facile adparet, *tres* sunt. I. *Prima* continet introductionem, seu propositum Dei laudandi in genere, vers. 1, 2. II. *Secunda* ipsam laudationem א. respectu majestatis & potentiæ, vers. 3–6. ב. Justitiæ & bonitatis, vers. 7–10. III. *Tertia* conclusionem, qua propositum repetit, & idem officium ad omnem carnem extendit, vers. 21.

ANACRISIS.

§. IV. Investigatione hypothesios explicandi Ps. non fuisset opus, cum nihil occurrat, quod tempore Salomonis de Deo, & in ejus laudes, prædicari nequeat, quo Ps. dixi pertinere, nisi essent, qui ad Christum, regem exaltatum, ejusque laudationem, directe adplicarent. Non-

Nonnulla hic proferri, fateor, quæ majore emphasi in regno Messiæ locum habent, quæ in ipsa tractatione sub manus venient, adeoque non intercedo, quominus statuatur, Davidem a Spiritu ita fuisse directum, ut virtutum Divinarum demonstrationem tam fortiter & universaliter exprimeret, ut de regno Messiæ, antitypico Salomonis, ansa quoque cogitandi daretur; quemadmodum & alibi fit: attamen primo & directe ad Davidis ultima & Salomonis tempora respici censuerim, quia nulli proprii & distinctivi regni Messiæ characteres hic sese produnt, nonnulla etiam occurrunt, quæ in regnum Dei universale rectius quam Messiæ quadrant, ut vers. 10, 14-16. Recte itaque fecerit Interpres, si Deum, supremum regem, qui majestatem, justitiam & bonitatem, suam in universo, & populo suo tempore Salomonis, simul Messiæ, illustribus signis & effectis demonstravit, in oculis habuerit, & magnificentius dicta ad Messiæ tempora, in primis ultima, regno Salomonis respondentia, retulerit. Quam regulam observabimus.

EXPLICATIO.

§. V. *Prima* pars, qua officium & propositum de Deo, rege suo, celebrando in perpetuum exprimit in genere, ita habet, vers. 1, 2. *Extollam te, Deus mi! regem istum, & benedicam nomini tuo in seculum & æternum. Quotidie benedicam tibi, et celebrabo cum vibratione nomen tuum in seculum et æternum.* h. e, Te, o Deus, qui meus es, & cujus ego sum, summis laudibus extollam, lætus & cum gratiarum actione celebrabo, ac toto corpore & animo vibrato, seu intensissime, laudabo tanquam supremum regem universi & populi tui, qui sese gloriosum præstitit & celeberrimum. *Deum* adpellat, quem celebrare vult, & *suum* dicit, quia eo tanquam tali fruebatur, & ei ob-

ſtrictus erat ad omnem amorem ac cultum. Declarat, ſe ipſum *extollere*, ei *benedicere*, & eum vibrantiſſime *laudare* velle; beneficia ipſius grato animo prædicando, quod eſt *benedicere*, ipſiusque perfectiones & virtutes magnifice extollendo ſupra omnia, & geſtu voceque magno cum ſtudio laudando; nec illud raro, ſed omni & toto die, nec ad tempus, ſed perpetuo, imo in omnem æternitatem; quamdiu fuerit, & verba ac cantica ſua ſuperfuerint; quæ in perpetuum durarent, & durant. Sed *qualem* vult celebrare Deum? tanquam regem ſupremum & magnificum, cujus *nomen* eſt celeberrimum. Eo enim ſcopo Deum adpellat *regem*, & quidem *iſtum* cum ה emphatico, המלך, eique *nomen* adtribuit, ut materiam laudationis fore indicaret *regiam* Dei majeſtatem, & illuſtriſſimam perfectionum ac virtutum ejus *manifeſtationem*; quæ *nominis* voce inſignitur. *Rex* adpellatur Deus, & quidem κατ' ἐξοχὴν ſumma emphaſi, quatenus ſupremus eſt, & ſumma præditus Majeſtate, rector, arbiter, & judex univerſi, & in ſpecie populi ſui, nunc Iſraelis, non obſtante forma regiminis regia, deinceps etiam Eccleſiæ ex Judæis & gentibus in Meſſia. Quæ tanquam nota tantum adtingo. *Nomen* Dei hic dicit ejus celeberrimam manifeſtationem & gloriam; uti ſæpe alias: cui præterea adtribuit *perpetuam* & *aeternam* durationem: voces enim illæ, in *ſeculum* & *aeternum*, æque cum *nomine* conſtrui poſſunt, ac cum verbis *benedictionis et laudationis*, quemadmodum habuimus Pſ. CXXXV: 13. *Jehova, nomen tuum in aeternum.* Ceterum, cum ſe id facturum dicit, ſicut animum & propoſitum ſuum exponit, ita ſimul ſe in exemplum proponit, & illud omnibus incumbere, etiam a piis per omnia tempora in perpetuum agendum eſſe, indicat: cujus expreſſe meminit, verſ. 10 & 21.

§. VI. *Secunda* pars comprehendit ſpecialiorem laudationis Dei commemorationem, reſpectu potiſſimum *potentiſſimæ* Dei majeſtatis, juſtitiæ ac gratiæ, earumque effectorum,

rum, verf. 3--20. *Prior* pars, ad *potentiam* Dei fpectans, verf. 3--6. continet *α. materiam* laudationis, verf. 3, 4. *β.* laudationem ipfam, a fe & aliis faciendam, verf. 5, 6. *α. Materia* his verbis proponitur, verf. 3, 4. *Magnus eft Jehova, & corufcus valde, nec eft magnitudinis ejus pervestigatio; ætas ad ætatem concelebrabit opera tua, & fortitudines tuas ante oculos ponent.* h. e. Summa & infinita fulget Jehova potentia, quæ & omnem fuperat captum, nec exhauriri poteft, fed fefe per omnes generationes reddit confpicuam in operibus, de ea teftantibus; præbetque continuo & in perpetuum materiam Deum publico plaufu concelebrandi. Sermo elegantiæ caufa nunc de Deo inftituitur, nunc ad eum vertitur. Continent vero verba *a.* propofitionem, *b.* ejus amplificationem. *a. Propofitio* fit his verbis: *magnus Jehova & corufcus valde.* h. e. fumma fulget Jehova potentia, quæ fefe fplendidiffime exferit, & Jehovam reddit quoque celebratiffimum. Refpicitur in primis ad *potentiam* & *fortitudinem* Dei Israelis, ejusque corufcam demonftrationem. *Jehova* adpellatur, ut Deus Israelis defignaretur, cujus hoc proprium eft, & memoriale nomen; uti notum. Datur ei epitheton *magni*, ad potentiffimam ejus majeftatem exprimendam. Quæ ficut vocis & verbi גדל infita vis eft, uti alibi fæpe notatum, noviffime quoque ad Pf. CXLIV: 12., ex feq. clare elucefcit, ut mox patebit. Additur, *corufcus valde*, ad illuftriffimam potentiæ demonftrationem denotandam. Radix enim הלל primigeniam poteftatem habet in *fplendore ex alto radiante*, unde inter alia tranfiit ad infigniter eminentem potentiæ gradum. *Corufcus* ex alto radiante luce fplendidus adpellatur Deus *magnus*, quatenus illuftri modo fefe potentem præftitit, & confpicuum potentia præbuit, eoque nomine etiam laudatus fit ac *celebratus*; quod ufus verbi etiam admittit. Emphafin addit vocula *valde*, & quidem fubjuncta, non præmiffa, ad fummum gradum corufcationis indicandum.

§. VII. *b. Pro-*

§. VII. *b. Propositionis* deductio & amplificatio *duo* continet 1. potentiæ inperscrutabilitatem. 2. demonstrationis ejus illustris extensionem per omnia secula. 1. *Prius* his verbis: *& magnitudinis ejus non est investigatio.* h. e. tanta est, tam magna & ampla, potentia Dei, ut omnem captum superet, & finem non habeat, aut terminum, seu *infinita* est. Radix חקר subtilissimam adfert perscrutationem, a *limando*, tenuissime elimando ad summam exilitatem *b*. Sic Job. xi: 7. *an vestigationem Numinis reperies?* 2. *Posterius* ita effertur, vers. 4. *ætas ad ætatem concelebrabit opera tua, & fortitudines tuas ob oculos ponent.* h. e. summæ tuæ fortitudinis signa & effecta per omnes ætates coram omnium oculis erunt exposita, & concelebrationis publicæ præbebunt materiam. *Opera & fortitudines* sunt quæ de summa potentia testantur, ejusque signa sunt & effecta. Plur. enim summum gradum, ut sæpe alias, exprimit, in voce *fortitudines.* Phrasis, *ætas ad ætatem*, denotat earum ætatum continuam successionem, adeoque unam post aliam: & non, ut putatur, *ætas ætati laudabit;* acsi una generatio alteri notificaret; quod phrasis non patitur; quippe quæ dicit, *ætatem ad aetatem*, continuam ejus successionem; alias מדור לדור ab *aetate ad aetatem*, etiam דור simpliciter Ps. xxii: 31. Recte LXX γενεα καὶ γενεα *generatio & generatio.* Sed quid est, quod *ætas ad aetatem* dicatur *celebratura & ob oculos positura?* utitur poeta verbo primum sing., dein plur., quia & de unaquaque ætate & de omnibus simul sumtis loquitur. Existimaverim, directe intendi illustrem potentiæ Dei manifestationem per omnes ætates simpliciter, adeo ut *concelebrare* idem sit ac materiam & rationem id faciendi suppeditare, dum ob oculos publice per omnes ætates ponentur illustria potentiæ effecta: quod proprie dicit הגיד. Vox enim נגד proprie denotat *anterioritatem rei exstantis*, & ob oculos positæ, inde הגיד fecit, ut aliquid ante oculos clare & evidenter adpa-

a Schroeder. ad Ps. x: 3. *b* Schultens ad Prov.

adpareat. Quod *aetas* facit, cum ejusmodi effecta in ea eduntur, & conspicua fiunt; quo ipso potentiam Dei *concelebrat*, quatenus ejus signa pandit, materiam celebrandi præbet, & omnes ad id faciendum excitat, sicut Ps. XIX: 2. *coeli enarrant gloriam Dei, & opus manuum* ejus מגיד *publice ob oculos ponit expansum.* Pertinet itaque ad superiorem titulum Dei, quo *coruscus valde* adpellatus est. Hac ratione potius capio verba, quod in seq. demum de actuali laudatione Dei agatur: nec tamen excludo, per omnes ætates fore *laudatores* & *praedicatores* potentiæ Dei, & *operum* ejus: sed directe hic non intendi autumem.

§. VIII. β. Laudatio ipsa a se, & aliis ad suum etiam exemplum & ductum, instituenda, his verbis exponitur, vers. 5, 6. *Venerandam gloriam majestatis tuae praegravantis, & verba mirabilium tuorum spatiabor: & vim decusque verendorum tuorum dicent, & potentias tuas enarrabo.* h. e. cogitationibus & meditationibus meis in venerandam & gloriosam tuam majestatem potentissimam, ejusque mirabilia signa & effecta loquentia, excurram; eo cum successu & effectu, ut potentias tuas, calculo inito, verbis proferam, aliique meo exemplo & ductu eas carmine celebrent. Duo itaque hic testificatur, accuratam meditationem & promulgationem, a se & aliis faciendam, potentissimæ & tremendæ Dei majestatis, ejusque signorum & effectorum clarorum & sonororum. *Prius* vers. 5., *posterius* vers. 6. Hac enim ratione versus recte distinguuntur. In *priore* memorat potentissimam Dei majestatem & effecta sonora, tanquam materiam *meditationis exspatiantis*; quæ vis est verbi ש ח & שיח, ut sæpe observavi, novissime ad Ps. CXLII: 3. Majestatem vero Dei potentissimam declarant voces, quas verti, *venerandam gloriam Majestatis tuae praegravantis*. Vox הדר, proprie κῦδος *tumor fervescens*, denotat majestatem *venerandam* simul, simul *formidolosam*, ut verbo notavit Cl. Schultens [a], כבוד proprie est *gravitas* ponde-

[a] Ad Prov. XIV: 28.

ponderosa, inde gloria, & copia præponderans; הוד denique proprie est gravitas & pondus *incurvans*, hinc majestas prægravans & adorationem poscens, simul claritas & lux inaccessa, oculos præstringens. Quæ tria epitheta adcumulantur ad summam, potentissimam, verendam & adorandam majestatem fortiter exprimendam. Addit ejus signa & effecta sonora, his verbis, & *verba mirabilium tuorum*, seu operum magnorum, arduorum & stupendorum. h. e. mirabilia tua opera, quæ sonoram habent vocem, & in omnium aures penetrant. Eam enim significationem existimem habere phrasin; qua *verba mirabilium* sunt mirabilia loquentia, se palam in omnium sensus ingerentia: ut Ps. XIX: 4, 5. quo sensu Ps. CV: 27. *verba signorum* occurrunt, pro signis sonoris. Vox itaque דברי non est pleonastica, aut opera signat, uti putatur, sed operum mirabilium qualitatem exprimit, qua *loquuntur*, seu se manifestant, & sonora sunt, adeoque emphasin addit egregiam. In *posteriore* vero parte memorat meditationis effectum in se & aliis, in eo situm, quod ipse sit potentias Dei magnificas enarraturus, & alii verenda Dei opera carminibus celebraturi, vers. 6. *& vim decusque verendorum tuorum dicent, & magnitudines tuos enarrabo.* h. e. potentias tuas magnificas, earumque effecta, seu opera tremenda ac mirabilia, ipse enarrabo, ordine recensens; & alii ad meum exemplum & ductum cantabunt. Hac enim ratione membra versus digerenda & sibi aptanda censuerim, acsi haberetur: *vim verendorum tuorum*, operum *potentias tuas*, *ipse enarrabo*, *& alii cantabunt;* adeoque secundum meam recensionem & narrationem carmine celebrabunt: uti tempore Hizkiæ legimus factum 2 Chron. XXIX, & reditus ab exilio Ezr. III., deinceps semper etiam per Ecclesias Christianas huc usque. Declarat itaque, se materiam copiosam gloriam & opera Dei cantu celebrandi præbiturum. Verbum אמר vero hic est non *praedicare* tantum, sed in specie quoque *canere*, ut alibi sæpe. *Vis verendorum* Dei significat

cat opera Dei verenda, *vi* penetrantissima & invicta pollentia, ac gloriosa: quam emphasin adfert עז, proprie *robur* invictum, inde honor, decus, & gloria illibata.

§. IX. *Posterior* pars laudationis, ad justitiam, & bonitatem ac gratiam, præcipue pertinens, vers. 7--20. per duos articulos decurrit, quorum *prior* est generalior, *posterior* vero specialior & fusior: *prior* vers. 7--9. *posterior*, vers. 10--20. In *priore* α. laudatio exhibetur, vers. 7. β. ejus argumentum, vers. 8, 9. *a. Laudatio* his verbis proponitur, vers. 7. *commemorationem multiplicis tuæ bonitatis scaturire facient, & justitiam tuam resonabunt*, h. e. *bonitatem* tuam copiose demonstratam, & *justitiam* tuam, *illam* in benefaciendo, *hanc* in puniendo impios & vindicando innocentes, commemorabunt quicunque læti & hilares versibus & rythmis. Voces elegantiæ causa divisæ secum hac ratione sunt ordinandæ: *commemorationem multiplicis tuæ bonitatis & justitiæ tuae scaturire facient, resonabunt*, seu resonantes. Objectum & materiam constituunt *multiplex bonitas* Dei & *justitia;* quæ virtutes satis notæ sunt; & hic vero suo sensu sumendæ, ut modo dixi, nec uberiore expositione indigent. Ipsa vero laudatio exprimitur voce *commemorationis*, & verbis *scaturire facere ac resonare:* vox זכר notat hic, uti alibi, *commemorationem*, qua quid animo non tantum recolligitur, sed & lingua celebratur, sic verbum זכר usurpatur Jer. 11: 2. ubi vid. dicta. Verbum vero נבע proprie est *scaturire* cum crepatione, e sono, quem imitatur bullitus crepans, fictum *a*, adplicatur autem eleganter apud Arab. ad poetas, vel versus & rythmos nobiliore quadam vena sese commendantes *b*. Alterum vero verbum רנן quoque e sono fictum est, & *stridulum* ac *tinnulum* sonare denotat, unde inter alia transfertur ad *laetitiam* & jubilationem, in qua vocis modulatio tinnula & tremula inesse solet. Sensus itaque est, commemorationem eam esse

 lætis

a Schultens ad Prov. *b* Id. præf. ad rudim. Erpenii.

lætis resonantiis, & modulatione rythmica instituendam a quibuscunque sine discrimine: quo tendit impersonalis locutio, *scaturire facient*, *resonabunt*. Quod facillimum est.

§. X. β. Argumentum & materia laudationis his verbis effertur, verſ. 8, 9. *Tenerrimo adfectu & commiseratione praeditus est Jehova, longanimis & magnus beneficentia. Bonus est Jehova universitati, & commiserationes ejus super omnibus operibus ejus.* h. e. lætæ & modulatæ commemorationis, cujus memini, hoc erit summarium argumentum; quo dicent, *tenerrimo adfectu praeditus est* Jehova; &c. Utitur poeta sermone de Deo, quia summam cantici in laudes Dei accinendi memorat. Quæ satis apta est mutatæ formæ orationis a secunda persona in tertiam ratio. Duo autem de *bonitate* Dei prædicantur, alterum, eam esse summam & qualemcunque, alterum *universalem*. *Prius* his verbis, *tenerrimo adfectu & commiseratione praeditus est Jehova, longanimis & magnus beneficentia.* Quorum duo sunt membra, *prius* ad tenerrimum adfectum in genere pertinens, *posterius* ad duo ejus specialia signa, *alterum* in ferendis peccatoribus, seu justitia temperanda & differenda, *alterum* in benefaciendo uberrime & indesinenter. Quæ clariora & faciliora sunt, quam ut moras injiciant: de vi & usu vocum sæpe alias dictum est. *Posterius*, quo universalitas bonitatis Dei exprimitur, ita sonat, verſ. 9. *Bonus Jehova universitati*, seu omnibus, *& misericordiae ejus super omnibus operibus ejus.* h. e. Deus benevolus est & misericors, seseque talem præstat erga omnes, quos creavit. Duo versus membra sunt, quorum posterius est prioris explicatio, adeoque hunc fundunt sensum, Deum ex tenerrimo adfectu bene velle, & facere omnibus creaturis suis, bonitatis capacibus. Deo, epitheto *boni* insignito, tribuitur mox *misericordiae*, ut, eum ex tenerrimo adfectu multiplici esse benevolum & beneficum, cogitaremus: *bonus* cum esset *omnibus* adpellatus, & mox *misericordiae*

cordiae ejus ſuper omnibus operibus ejus eſſe dicantur, eum ita eſſe adfectum erga omnes *creaturas* ſuas, & quia opera manuum Dei ſunt, ſignificatur: nec aliam hic quærimus emphaſin. *Opera* Dei hic occurrere tanquam *objecta* miſericordiæ, ſatis conſtat, & ipſa conſtructio docet, ut Iſ. CIII: 13. ne alia citem loca.

§. XI. *Poſterior* pars laudationis fuſior & prolixior eodem modo decurrit. *α*. enim ipſa laudatio proponitur, verſ. 10–13. *β*. ejus argumentum, verſ. 14-20. *α*. In propoſitione *a*. occurrit generalis declaratio laudationis Jehovæ ab operibus ejus deſumendæ, & a piis Dei inſtituendæ, adeoque *unde* peteretur celebratio, & a *quibus* fieret, verſ. 10. *Celebrabunt te, Jehova, omnia opera tua, & pii tui benedicent tibi.* h. e. omnia tua opera, quæ in natura & gratia efficis, materiam te laudandi præbebunt, & omnes, tibi conſecrati, tuique amantes, illud cum gratiarum actione præſtabunt, ſeu actu facient. Duo ſunt verſus membra, quorum *prius* ad argumentum laudationis, & *poſterius* ad perſonas, Deum inde laudaturas, pertinere, exiſtimo: ut ſenſus ſit; pios cum gratiarum actione Deum Iſraelis eſſe laudaturos ſuper operibus ejus, ratione & materia inde ſumta. *Opera Jehovae* generalius hic ſumuntur, quam verſ. præcedente; & omnia effecta perfectionum & virtutum Dei comprehendunt, non *homines* tantum, ſed & quævis alia opera Dei; quæ Deum *laudatura* dicuntur quatenus occaſionem, rationem & materiam, id faciendi præbent uberrimam; ut verſ. 4. habuimus. Ipſam autem *laudationem* actu facerent *pii ejus;* uti ſubjungitur, *benedicent tibi pii tui;* h. e. laudabunt te cum gratiarum actione, ratione & materia ab operibus tuis petita, tui & gloriæ tuæ ſtudioſi, qualeſcunque ſint & ubicunque. Nulla enim eſt ratio reſtringendi. De verbo *benedicere*, & epitheto *piorum*, nihil obſervo, cum nihil difficilis, aut, quod alibi non obſervatum eſt, habeant.

§. XII. *b*. Subjungitur *argumenti* & *modi* laudationis

ſpecialior definitio, verſ. 11. *gloriam regni tui dicent, & fortitudinem tuam different.* h. e. laudatio piorum in ſpecie verſabitur in gloria regni tui, et fortitudine tua enarranda, eaque ratione inſtituetur, ut partim *cantu* celebraturi ſint, *partim* longiore ſermonis ductu id facturi. *Gloria regni Dei* eſt glorioſa gubernatio Dei in natura et gratia, quæ de eximiis & præponderantibus ejus perfectionibus teſtatur; *potentia* Dei eſt, quæ in ea eluceſcit, & per quam efficitur; adeo ut gubernatio glorioſa, ſimul efficaciſſima ſit, cui nihil reſiſtit. Hanc glorioſam & potentiſſimam gubernationem *dicerent* & *differerent*, partim breviore, partim longiore ſermone, ſive *cantu*, ſive quovis alio ſermone longius ſtructo & deducto: quæ vis eſt verbi דבר.

§. XIII. *c.* Sequitur ſcopus & effectus hujus laudationis, verſ. 12. *ad notificandum filiis hominum potentias ejus, & gloriam verendae majeſtatis regni iſtius.* h. e. opera Dei materiam præbendo, & pii ſermonibus & verbis prædicando, ac celebrando, eo collineant, ut quibusvis hominibus per orbem terrarum innoteſcat ſumma regni Jehovæ vis potentiſſima, & glorioſa ac verenda Majeſtas. Quod vera ſua emphaſi ſub Euangelio fit; uti notum: quo verba ultimo pertinent. Notetur tantum, ad deſultoriam perſonæ mutationem vitandam, relativum *ejus*, in voce *potentias ejus*, recte referri ad *regnum* Dei modo memoratum, ut vis invicta & penetrantiſſima regni Dei indicetur, ſicut alibi *regnum Dei* dicitur *vim facere* Matt. XI. Confirmat membrum ſequens, ubi majeſtas glorioſa *regno* adtribuitur; adeoque ibi exprimitur, quod in priore membro per *relativum* ejus indicatur. Relativum vero in מלכותו non eſt proprie relativum, ſed paragogicum cum emphaſi abundans, ut ſit *regni iſtius*, quem uſum ו haud infrequenter habet.

§. XIV. *d.* Potentiæ invictæ & penetranti, majeſtatique glorioſæ regni Dei addit poeta, in oratione ad Deum pergens, ejus *aeternam durationem*, tanquam materiam quoque

que celebrationis piorum ad notificandum hominibus, verſ. 13. *Regnum tuum eſt regnum omnium ſeculorum, & dominium tuum in omnem generationem & generationem.* Quæ verba eo, quo dixi, tendunt, & regni ac dominii Dei perpetuam durationem a mundo condito ad finem comprehendunt; uti facile cernitur. Nihil in phraſibus eſt obſcuri. Convenit autem hoc attributum regno & *naturæ*, ut dicitur, & *gratiæ*, hujus inprimis ſub Meſſia; uti notum eſt. Quare plura non addo.

§. XV. β. Argumentum laudationis, prolixius propoſitum, in duas pericopas diſtingui poteſt, quæ utraque præmiſſam habet virtutum divinarum declarationem, & effecta earum per partes recenſet; ſed *prior* eſt generalior, *poſterior* ſpecialior ad pios ſpectans, quibus Deus benefacit, cum impiorum deſtructione. *a.* Prior, verſ. 14-16. comprehenſa, 1. præmiſſam habet fidelitatis & bonitatis Dei confeſſionem, verſ. 14. his verbis: *Fidelis eſt Jehova in verbis ſuis, & beneficus in omnibus operibus ſuis.* Quæ verba, in textu Hebr. Maſor. deſiderata, ex verſionibus antiquis Gr. & Syr., Mollero quoque adſtipulante, & ante eum Musculo, reſtituenda ſunt. 1. Quia in Pſ. alphabetico littera נ *nun* alias deficeret; quod ſine exemplo foret. Solent quidem & alii ſimiles pſalmi proferri, ubi una alterave littera deeſt, ſed ſine fundamento; cum & ibi reſtitui poſſint & debeant; ut ſuis locis obſervavimus. Verba itaque Hebræa, ſecundum verſiones citatas, ſunt hanc in rem facilia, & apta, נאמן יהוה בדבריו וחסיד בכל מעשיו: *fidelis*, vel verax, *Jehova in verbis ſuis, & beneficus in omnibus operibus ſuis.* 2. Quia probabile eſt, poetam, qui in duas pericopas recenſionem partium laudationis diſtinxit, huic priori pericopæ, æque ac poſteriori, præmiſiſſe ejusmodi confeſſionem virtutum Dei: exſtat ante poſteriorem pericopam, verſ. 17. 3. Ratio reddi nequit, quare hæc verba inſeruiſſent LXX., ſi in codicibus non inveniſſent. Quod enim adfertur, eos ex verſ. 17. repetiiſſe ad Pſ. alphabe-

phabeticum faciendum, precarium eſt, cum Pſ. xxv. id non fecerint: nec eadem ſunt verba, nam pro *viis* verſ. 17. hic habent *verbis*. 4. Simile quid hic recte admitti confirmat aliquatenus, quod Pſ. CXLVI. 7-- ubi ſimilis eſt recenſio, præmittatur, *Deum fidelitatem ſervare in æternum.* Quid vero defectus præbuerit occaſionem, difficulter panditur. Oculus forte librarii feſtinantis a verſ. 13. ſeſe vertit ad verſ. 14. voce סומך minus accurate ſcripta, & cum נאמן confuſa. Unde multi librariorum errores ſunt nati, uti conſtat. Quicquid ſit, verſus huc recte quadrat, quo confeſſio *veracitatis* & benignitatis Dei præmittitur ſpeciminibus mox proferendis, quæ de utraque *virtute* teſtantur; modo *veracitas* & *conſtantia* in dictis & promiſſis late ſumatur, & ad *creaturas* in genere referatur, quibus Deus *benedixit* in initio, & deinceps poſt *diluvium*, foedere cum omni carne erecto, quo promiſit longanimitatem & beneficentiam Gen. IX. ad quod promiſſum, tanquam firmiſſimum, etiam provocatur Jeſ. LV: 9., & hic reſpici videtur, cum mox generalis providentiæ ſpecimina proferantur.

§. XVI. 2. Duplicis ſunt generis ſpecimina, quæ in medium, ex. gr., producuntur, quorum *alterum* ad malorum & morborum reparationem, *alterum* ad cibationem creaturarum ſpectat. *Prius* his verbis comprehenſum eſt, verſ. 14. *Fulcit Jehova omnes lapſantes, & omnes curvatos erigit.* h. e. Quicunque malis aut periculis, in quæ inciderunt, cujuscunque ſint generis, eripiuntur, illi veracitati & beneficentiæ Dei illud acceptum ferre debent; Deus eſt verax & bonus, qui miſeris & adflictis omnibus ſuccurrit, & medetur, quotquot ab illis liberantur. Senſus enim non eſt, omnes juvari & ſanari, ſed omnes a Deo accipere opem & liberationem, qui malis ſuis & periculis expediuntur. Quod ab aliis jam eſt obſervatum, & res ipſa requirit *a*. Membra verſus elegantiæ cauſa diviſa ita con-

a Vid. Hackſpan. de *locutionibus ſacris* disp. II.

concinnanda sunt, acsi haberetur, *labentes & curvatos Jehova fulcit & erigit. Labentes* sunt qui in quævis mala incidunt, ut Prov. XXIV: 16. *justus cadit septies & surgit*, & alibi sæpe: *curvati* sunt, qui quavis alia molestia, ægritudine, dolore, aliove incommodo corporis pressi & constricti sunt, ut se erigere nequeant: quare Ps. CXLVI: 8. cum coecis conjunguntur, & de *animi* adflictione, qua *caput instar junci curvatur*, adhibetur Jes. LVIII. Utrisque Deus opem fert cum *fulciendo* ne pereant, tum *erigendo* & liberando, quod est זקף, proprie *elevare*, ut videtur, unde ad *crucifixionem* refertur apud Syr. & Chald.

§. XVII. *Posterius* ad alimentationem, eamque liberalem, pertinens, ita habet, vers. 15, 16. *Oculi omnium ad te prospectant; et*, vel *utique*, *tu das ipsis cibum ipsorum tempore isto*, vel cuique suo: *aperis manum tuam*, *et satias omne vivum acquiescentia.* h. e. omnium creaturarum desideria, quibus media ad subsistendum & laute vivendum adpetunt, ad te debent tendere, & tacite quoque tendunt, tuque is es liberalis promocondus, qui omnibus cibum & potum suppeditas tempore opportuno, nec tantum hoc, sed larga & liberali manu suppeditas ad plenissimam satietatem & acquiescentiam. Quod Act. XIV: 17. egregie adpellatur, *corda replere alimento et hilaritate.* Verba continent *antecedens*, *et consequens; illud* est, quod *omnium oculi ad Deum* versi sint, sustentationem *quærentes*, sive per desideria, sive suspiria, aut indirecta aut directa, ad Deum. Vid. Ps. CIV: 27. Verbum שבר apud Arabes teritur in *explorando* vulnere, & per speculum vulnerarium tentando, cujus sit profunditatis, vel periculi: unde met. ad studium, indagationemque transfertur rerum, in quibus salus nostra vertitur: uti Lat. *percontari*, cum studio & adplicatione inquirere, a *conto* vel *pertica*, qua profundum exploratur *a*. Sensus ergo est, creaturas omnes oculis suis apud Deum investigare, & rogare alimenta: quod

a Vid. Schultens ad Har. conf. 1. p. 10.

omnes *facere* debeant, si ratione gauderent, & Deum rite cognoscerent, quo fut. temp. in verbo ישברו tendit, omnes partim inscientes faciunt per desideria & adpetitus, partim scienter & devote. *Consequens* est, quod Deus omnibus necessaria non tantum prospiciat, sed & jucunda, & ad plenam satisfactionem; quod simul *rationis* moventis conspectum habet, qua omnes excitari debeant ad Deum rogandum. *Duo* autem de Deo prædicantur; *alterum*, quod *alimenta tempore opportuno* suppeditet, *alterum* quod liberaliter & largiter id faciat, ad satietatem & plenam acquiescentiam usque. *Prius* vers. 15. *tu das ipsis cibum ipsorum* בעתו *tempore isto*, vel *cuique suo*, quod etiam Ps. CIV: 27. occurrit, nihil habet difficilis, modo notetur ו in בעתו esse, vel paragogicum, cum emphasi abundans, ut vers. 12. in מלכותו, adeoque esse, *in tempore isto* opportuno, vel, si relativum sit, idem esse, ac in *tempore cuique suo*, ut *ejus* sit pro cujusque eorum: quod satis usitatum est. *Posterius*, vers. 16. *aperis manum tuam*, *et satias omne vivum acquiescentia*, faciles quoque præbet intellectus: modo observetur, 1. liberalissimam tradi sustentationem; adeoque plus dicere, quam præcedens, eaque ratione recte subjungi. Quo phrases, *aperire manum*, *et satiare*, nos manifeste ducunt; & unde ultima vox רצון exponenda est: quod 2. notandum; cum Interpretes minus recte instituant, qui de *favore* & *benevolentia* Dei interpretantur; cum ad omne vivum pertineat, & *acquiescentiam* denotet; non enim habetur רצונך, aut ברצון, sed absolute רצון, adeoque cum משביע construi debeat, ut sit, *satiare acquiescentia*. h. e bono & ubertate ad plenam acquiescentiam: quemadmodum Ps. CIV: 28. *saturare* טוב *bono & ubertate*. Radix רצה etiam est, *contentum esse*, *acquiescere* a. Proprietatem habet in *adhærendo*, unde est *gratum habere*, *acceptare*, *acquiescere*; adeoque רצון recte est jucunditas, & acquies-

a Schultens ad Job. xx: 10.

quiescentia: & *saturari* ea est laute, & hilariter sustentari ac ali: quod Act. XIV. dicitur, *repleri cibo* & *hilaritate*. Ceterum subita mutatio personæ tertiæ, qua in hac pericopa, ubi argumentum laudationis Dei ab aliis faciendæ tradit, ut etiam vers. 8 & 9 habuimus, utitur, in *secundam*, qua sermo ad Deum vertitur, inde repeti potest, vel quod poeta suis verbis in laudem Dei illud exprimere voluerit, vel ut, *laudatores* Dei super his bonis illud quoque in sermone ad Deum cum gratiarum actione facturos esse, indicaret.

§. XVIII. *Posterior* pericopa, ad argumentum laudationis pertinens, vers. 17.-20., eodem ordine decurrens, 1. præmissam habet confessionem perfectionum & virtutum Dei in operibus conspicuarum, vers. 17. *Justus est Jehova in omnibus viis suis, et beneficus in omnibus operibus suis.* h. e. Justitiam, qua cuique suum tribuit, sibi & creaturis jus facit, adeoque punit & remuneratur, bonitatemque indebitam & ubere vena fluentem erga creaturas suas, utramque illam virtutem, in ordine & serie actionum & operationum providentiæ copulat & demonstrat, ita ut in puniendo recordetur bonitatis, & in benefaciendo salvam præstet justitiam, neutra virtus lædatur, sed utraque illustretur. Hunc existimaverim generalem esse & amplissimum verborum sensum: ad quem percipiendum sola verborum consideratione opus est. *Viæ Dei* & *opera* sibi respondent, & nihil aliud dicunt, ac providentiæ actiones cohærentes, & ad scopum, destinatum a Deo, tendentes; quare *viae* Dei adpellantur. *Justitia* & *studium* benefaciendi copulantur, ad indicandum, Deum utriusque virtutis in tota providentia rationem habere; & secundum eas, secum copulatas, omnia dirigere & gubernare: ita ut neutra lædatur, sed utraque semper illustretur. Quæ amplissimam præbent meditandi materiam, & regulam exhibent, secundum quam de operibus providen-


tiæ judicandum est, ne Deo quid indigni adtribuatur. Quæ latius non exsequor.


§. XIX. 2. Inter specimina utriusque virtutis providentiæ Dei *α.* memoratur *bonitas* Dei, salva justitia, erga pios, Deum sincere & pie invocantes, quorum desideria a Deo, justo & bono, inplentur, vers. 18, 19. *Prope adest Jehova omnibus eum invocantibus*, *omnibus*, inquam, *in veritate invocantibus*, *beneplacitum timentium sui faciet*, *et quiritationem eorum audiet*, *et servabit eos.* Quæ satis plana sunt, ac exposita; nec nostra indigent opera. Tantum notetur, in posteriore membro, vers. 18. *invocantes* Dei, quibus prope adest, explicari, & ad sincere ac serio invocantes restringi; ne existimaretur, qualecunque invocantes a Deo exaudiri; ut Ps. LXXIII: 1. *Bonus est Israeli puris corde*, & alibi: præterea, vers. 19. exponi, qua ratione Deus iis sit *propinquus*; desideria ipsorum explendo, & quiritationes exaudiendo, ac eos servando: addit adhuc epitheton *timentium* Dei ad *invocantes* illos ulterius describendos. *β. Alterum* specimen continet oppositam piorum & impiorum sortem, quæ utramque virtutem illustrat, vers. 20. *Custodit Jehova omnes amantes ejus*, *et*, vel *sed*, *omnes improbos delebit.* h. e. sicut amantes suos conservat Jehova, ne pereant, ita improbos & impoenitentes e medio tollit, tolletve suo tempore. Quæ etiam satis clara sunt: modo notetur, Deum utrumque facere suo tempore; quod non definitur, sed Dei sapientiæ relinquitur.

§. XX. In *tertia* Ps. parte, per modum conclusionis, propositum de Deo laudando repetit, simul extendit ad omnes homines in perpetuum, vers. 21. *Coruscam Jehovae laudem edisseret os meum*, *et benedicet omnis caro nomini sanctitatis ejus in seculum et aeternum.* h. e. Ego itaque, ut concludam, cantu & sermonibus intensissime celebrabo Jehovam, & omnes homines id cum gratia-

rum

rum actione facere debent; facientque aliquando suo tempore; scilicet cum nomen Dei unum fuerit per orbem, & tota terra ejus gloriæ plena. Quæ spes fuit sanctorum per omnia tempora, ex parte sub N. T. expleta, sed majore emphasi adhuc implenda.





PSALM. CXLVI.

1. *Laudate Jah, lauda anima mea Jehovam!*
2. *Laudabo Jehovam in vita mea; psallam Deo meo, dum ero.*
3. *Ne fidite principibus, filio hominis, penes quem nulla est liberatio.*
4. *Egredietur spiritus ejus, redibit ad humum suam, ipso illo die peribunt nitores ejus splendidi.*
5. *Beatum! cujus patronus est Deus Jacobi; cujusque exspectatio est super Jehova, Deo suo.*
6. *Qui coelum fecit & terram, mare & omnia, quae in iis sunt. Qui servat fidem in aeternum.*
7. *Qui jus facit oppressis, qui victum dat famelicis, qui solvit vinctos, Jehova* est.
8. *Jehova coecorum aperit oculos; Jehova erigit curvatos: Jehova diligit justos.*
9. *Jehova servat peregrinos: pupillum & viduam omni adparatu instruit: &*, vel *sed*, *viam inproborum subvertet.*
10. *Regnabit Jehova in aeternum, Deus tuus, o Tsion! in generationem & generationem.*

PROLEGOMENA.

§. I.

ARgumentum Ps. est adhortatio Tsionitarum, ab illustri & pio viro instituta, ad Deum, supremum suum Regem, suo exemplo, ponendum unicum laudationis & fiduciæ objectum, & non principes, quibus Deus tanquam instrumentis usus erat, rationibus moventibus petitis ab *horum* inbecillitate & vanitate, *illius* vero summa potentia, veracitate, bonitate & justitia, per illustria facinora nunc demonstratis, & deinceps demonstrandis in perpetuum, quorum multa recensentur. Cum excitasset omnes Tsionitas ad Deum celebrandum tanquam autorem bonorum, & objectum fiduciæ, suumque propositum id faciendi testificatus esset, dehortatur eos a fiducia in principibus ponenda, iisque laudandis tanquam talibus; argumento ducto a vanitate eorum: dein adhortatur ad Deum laudandum, & ei fidendum, beatos prædicando, qui id fecerint; & rationes moventes profert varias, a potentia, veracitate, bonitate & justitia Dei petitas, quippe quarum virtutum præclara Deus dederat specimina in mundo creando, fide servanda, oppressis, miseris & afflictis, liberandis, ac peccatoribus delendis, daretque in posterum, cum regnum Dei, nunc erectum, duraturum sit in perpetuum.

§. II. Quod argumentum ut in vero suo collocetur conspectu, *tria*, vel *quatuor*, funt probe advertenda. *α. Primum* est, sermonem dirigi ad Tsionitas seu Judæos, qui populum Dei constituebant, & Tsionem pro metropoli habebant: ut ex vers. 10. manifestum est, & vers. 5. etiam innuitur. *β. Secundum* est, populum Israelis hoc tempore nullum habuisse *regem* præter Deum; sed *principes*

pes tantum & judices. Cujus indicium in eo est, quod a fiducia in principibus ponenda tantum fiat dehortatio, nulla *regum* facta mentione, & Deus verf. 10. præsupponatur regnum capessivisse; cum *regnaturus* dicatur in perpetuum. γ. *Tertium* est, tales hoc tempore in medio populi fuisse principes, qui fiduciam ejus ad se trahere posse videbantur, adeo ut necesse habuerint Tsionitæ admoneri, ne id faciant, verf. 3, 4. Habet enim dehortatio, tam expresse & serio facta, illud pro hypothesi. Conf. quoque Ps. CXVIII: 8, 9. qui Ps. haud absimilis est argumenti. Principes itaque fuerunt, qui præclara in commoda populi egerant. δ. *Quartum* est, statum populi, ad quem sermo dirigitur, fuisse hoc tempore singularibus earum virtutum Dei, a quibus rationes moventes ad Deo fidendum, & laudes accinendas, desumuntur, speciminibus & effectis illustrem & fortunatum, adeo ut summam Dei potentiam, fidelitatem in promissis implendis, bonitatem in oppressis, vinctis, & adflictis liberandis, & justitiam in delendis impiis, fuerit expertus. Hanc enim hypothesin habet adhortatio ad Deum laudandum, & titulus Ps. *Halleluja:* habent etiam specimina operum Dei hic recensita, instar rationum moventium, ad Tsionitas excitandos, ut Deum laudent, & ei soli fidant. De quo postea suo loco.

§. III. Ex quibus criteriis judicium haud difficulter fertur de *tempore* & *occasione* Ps. Conveniunt enim cuncta exacte & unice in tempora Maccabaica, seu Simonis Ethnarchæ in specie, quum populus Judæus a Deo per principes Maccabæos in liberum & fortunatum statum e præcedente gravissima calamitate & adflictione adsertus est, & Deus regnum in medio ejus erexit, quod in Messia consummatum duraret in perpetuum. Quæ hypothesis haud parum confirmatur ex Ps. XCII: & seq., in specie CXVIII. ad eadem tempora spectantibus: uti in superioribus vidimus. LXX & Syr. ad tempus Josuæ & Zerubbabelis retulerunt, & Haggæo ac Zachariæ prophetis adtribuerunt

Psal-

Psalmum; quod Tillio quoque placet. Sed, præterquam, quod inscriptio Græca sit dubia & incerta, quam antiquissimi ignorarunt, ut observavit Cl. Wesseling *a*, criteria omnia, modo producta, in illud tempus non ita quadrant; utique non *quartum:* ut facile patet.

§. IV. *Scopus* Ps. est, unde de *usu* facile constat, populum liberatum excitare ad Deo, vero liberatori, grates agendas, & laudes accinendas, præterea *viam* monstrare ad felicitatem durabilem reddendam, in pia in Deum fiducia, ac studio Deo placendi, sitam: denique *spem* populi corroborare de regno Jehovæ, nunc erecto, duraturo in perpetuum. Quæ ex ipso Ps. facile elucescunt. Quod vero ad *structuram* ejus adtinet, conspectum habet concionis publicæ, ad populum a viro principe habitæ: sermo enim dehortatorius & adhortatorius ad Tsionitas dirigitur, & concionator suum exemplum ipsis proponit imitandum, vers. 2. argumento, ipsum fuisse publicam & insignem personam; cujus exemplum magna vi movendi pollebat. Quare de ipso *Simone*, pontifice & ethnarcha, recte cogitamus: quem etiam Ps. cxviii. sisti loquentem, observavimus ad eum Ps. Cui apte convenit dehortatio a fiducia in *principibus;* quorum ipse primus erat. *Stylus* planus est & facilis. *Partes* Ps. sunt sequentes. I. *Prima* est adhortatio ad Deum laudandum, ad populum & se directa, vers. 1. II. *Secunda*, propositi sui de hoc faciendo testificatio in exemplum, a populo imitandum, vers. 2. III. *Tertia* est dehortatio a fiducia in principibus, ut Deo soli ea laus vindicetur, firmata ex principum vanitate, vers. 3, 4. IV. *Quarta* varias rationes moventes exhibet ad Deo soli fidendum, postea suo loco recensendas, vers. 5--9. V. *Quinta* continet consolatoriam prædictionem de regni Dei inter Tsionitas perpetua duratione, vers. 10.

a Ad Simson Chron. A. M. 3485.

EXPLICATIO.

§. V. Cum nihil hic reperiatur a tempore, quo Pſ. dixi compoſitum, alienum, cuncta etiam in illud apte conſpirent; inveſtigatione hypotheſios eum exponendi opus non eſt. Regni Meſſiæ, de quo nonnulli cogitant, nullum adeſt criterium; niſi in verſu ult., quem & nos ad illud ultimo referimus; ut ſuo loco patebit. Reliqua rectius conveniunt in populum Dei ſub V. T., niſi ſpiritualiter explicentur, cujus nullum exſtat indicium. Pergimus itaque ad explicationem. *Prima* pars *adhortatoria* ad Deum laudandum, ad alios & ſe directa a concionatore, ita habet, verſ. 1. *Laudate Jah, lauda anima mea Jehovam.* h. e. Vos, auditores! excitaturus variis rationibus ad Deum, eumque ſolum, celebrandum, me vobis mox in principio adjungo, argumentum & ſcopum orationis meæ ſummatim proponens, ad vos & me dico, *laudate Jah, lauda anima mea Jehovam;* hoc veſtrum, hoc meum eſt officium, quod Deo debemus, & quo nunc læti defungi poſſumus, qui tot tantasque habemus id faciendi rationes, mox proferendas. Nihil hic ſeſe offert, quod nos moretur. *Halleluia* licet pro ſola inſcriptione Pſ. ſubinde habeatur, hic tamen partem Pſ. ſimul conſtituit, cum exhortatio ad auditores dirigatur, ſicut etiam ad ſe ipſum; quam poeta mox profitetur a ſe faciendam per omnem vitam, & dein omni populo per varias rationes commendat. Fieri forte potuit, vocem *Halleluia*, titulum cantici facientem, fuiſſe per ſequentem abſorptam, ita ut bis occurrerit, uti in ſeq. Pſalmis.

§. VI. *Secunda* pars propoſiti poetæ teſtificationem, aliis in exemplum, continet, verſ. 2. *laudabo Jehovam in vita mea, pſallam Deo meo, dum ero.* h. e. Quod vobis & mihi injunxi, illud ipſe per omnem vitam præſtabo, vobisque exemplum præibo. Declarat itaque, ſe Deo laudes cantaturum,

turum, non nunc tantum, ſed per totam vitam; eo ſcopo, ut alios ſuo exemplo ad id faciendum excitet. Ex quo ſicut poetæ ſtudium in Deum eluceſcit, ita perſonæ quoque dignitas colligitur, cum in exemplum ponatur populo imitandum. Quod vero *priore* membro *per vitam ſuam* ſe facturum declarat, illud in *poſteriore* extendit ad finem ejus usque: quæ ſignificatio ſatis nota eſt voculæ בְּעוֹדִי. Ex quo præterea pateſcit, eum non de hoc cantico eſſe locutum, ſed in genere Deum per omne vitæ tempus eſſe laudaturum.

§. VII. *Tertia* pars, quæ dehortationem comprehendit a fiducia in principibus ponenda, ratione a vanitate eorum petita firmatam, his verbis effertur, verſ. 3, 4. *Ne fidite principibus, filio hominis, penes quem nulla eſt liberatio: egredietur ſpiritus ejus, redibit ad humum ſuam, ipſo illo die peribunt nitores ejus ſplendidi.* h. e. Cum vos ad Deum laudandum excito, illum ſolum intendo a vobis habendum eſſe laudis, ſimul fiduciæ, objectum; ſepoſitis etiam optimis & magnificis principibus, quibus Deus utitur ad vos beandos; adeoque ne eo abripiamini, quod facile poſſet fieri, ut principibus, quod Deo competit, tribuatis, expreſſe vos moneo, ne iis fidatis, eosque, qua autores felicitatis, laudetis; ſunt enim & ipſi, unusquisque eorum *filius hominis*, cujus nulla vis eſt liberandi, quique ſtatim ac halitus vitalis exſpiraverit, ipſeque ad terram, unde ſumtus eſt, redierit, quod ipſi certo continget, & omni momento poteſt, omni ſuo *nitore*, fortuna ſplendida, & magnificis moliminibus, excidit, quæ cum ipſo evaneſcunt. Continent verba dehortationem, & ejus rationes moventes a vanitate principum deſumtas. Dehortatio his fit verbis: *ne fidite principibus.* h. e. viros primarios, quam bonos etiam & munificos, quibus multum debetis & a quibus multum vobis promittere poſſe videmini, abſit ut tanquam liberatores & benefactores laudetis, iisque innitamini tanquam talibus. Verba habent conſpectum vehementiſ-

fimæ dehortationis, qua quid tanquam abfurdum rejicitur: quam emphafin habet particula אל: qua quid prohibetur fortiter, & cum averfatione, ut idem fit, *abfit*, ut hoc faciatis. Præfupponitur, tale quid facile obrepere poffe; adeoque *principes* intelligi populi bene de illo meritos, quibus Deus, tanquam inftrumentis felicitatis populi, ufus erat; quare נדיבים adpellantur. Quæ radix proprie eft *uvefcere*, præ *uviditate* fponte & largiter *fluere*, unde ad munificentiam & liberalitatem, nec non fpontaneum & liberaliorem impetum, & fic *principatum* transfertur, in fpecie de copiis auxiliaribus, fpontaneam & promtiffimam militiam præftantibus, ufurpatur, uti vidimus ad Pf. XLVII: 10. LXXXIII: 12. & CX: 3. CXVIII: 8, 9. Quæ omnia hic conjungi poffunt. Digito itaque monftrantur *Maccabæi*, ut & Pf. CXVIII., fimulque indicatur, alios rectores populum hoc tempore non habere, non *reges*, fed *principes* tantum; fed præclaros, bonos, & ftrenuos. Cum autem modo præcepiffet *laudationem Jehovæ*, & nunc interdicat *fiduciam in principibus ponere*; utrumque & modo & nunc diverfis adhibitis verbis intendit, adeo ut verbo *laudare* Deum etiam *fiducia* in Deo in pofterum, & verbo *fidere* principibus quoque *laudatio* eorum comprehendatur; & fenfus fit 1 *laudate Jah & fidite ei*, ne *fidite principibus*, & *laudate eos*. Vult itaque, Deum folum, & non principes haberi pro objecto laudationis & fiduciæ; Deo foli effe falutem impetratam adtribuendam, non principibus, ab eo folo, & non his, exfpectandam in pofterum.

§. VIII. Rationes dehortantes defumtæ funt a *vanitate* principum, qua ad falvandum inepti funt. Quam *ineptitudinem* 1. epitheto *filii hominis* in genere infinuat poeta; cum adjungit, *in filio hominis*; ut indicaret, principes nihil effe quam *homines* reliquos omnes. Non enim alii a principibus, iis minores, & vulgares homines defignantur, quod nonnulli volunt, qui vertunt, *ne fidite principibus aut plebeio homini*, fed ipfi principes hoc epitheto infignium

ſigniuntur, ad eorum vilitatem & inbecillitatem inculcandam; ut alii rectius ceperunt: quo tenor ſermonis, & ſcopus nos clare ducit. Epitheton enim *filii hominis* ſine copula immediate ſubnectitur principibus; & in ſeq. omnia in ſing. proferuntur, ac cum *filio hominis* tantum conſtruuntur. Scopo quoque convenientius eſt, principes ipſos eo nomine adpellari, cum inde vanitas eorum eluceſcat: ſunt quippe & manent *homines*, adeoque inbecilles & infirmi. 2. Ipſis verbis mox adfirmat, cum addit, *penes quem nulla eſt ſalus*, proprie, *cui eſt vanitas ſalutis*, ſeu liberationis ex anguſtia in ſtatum amplum & pacatum, ac fortunatum: vox אין proprie *vacuitatem* & *inanitatem* dicit, & תשועה eductionem ex loco anguſto in ſpatioſum & liberum. Senſus itaque eſt, *hominem*, quemadmodum principes ſunt, nullas habere vires inſitas & proprias liberandi, & proſperitatem adferendi, ſed ſi id faciat, purum putum eſſe inſtrumentum, quo Deus utitur, cuique vires & facultates ſuppeditat, & cujus molimina ipſe ſuccedere facit.

§. IX. 3. Illuſtrat & confirmat ex mortalitate hominis, qua omni momento mori poteſt, certo moriturus eſt, quando omnis nitor, quam multiplex, omnia molimina ejus evaneſcunt, verſ. 4. *egredietur ſpiritus ejus, redibit ad terram ſuam, ipſo die illo perierunt nitores ejus.* h. e. ſpiritu vitali egreſſo redibit ad terram homo, unde ſumtus eſt, &, ſtatim ac hoc contigerit, actum eſt de omni ſplendore, & ſplendida ejus cogitatione; ſalutem itaque ſicut nec adferre poteſt viribus ſuis, aut ſpem facere firmam, nec tueri poteſt, aut durabilem reddere. Deſcriptionem mortalitatis hominis continet *prius* membrum, & *poſterius* ejus conſequens reſpectu ſplendidæ fortunæ & propoſiti. *Prius*, *egredietur ſpiritus ejus, & ipſe redibit ad terram ſuam*, & adfirmative capiendum eſt, & hypothetice; quo adſeveratur, eum eſſe moriturum, ſimul ponitur, tanquam antecedens; quare in fut. occurrit, acſi

haberetur, *morietur* certo certius, &, hoc si contigerit, evanescent nitores ejus. *Mortis* descriptio nihil habet difficilis, modo notetur *redire ad terram suam*, non cum *spiritu*, sed *homine* construi, ut ex masc. gen. verbo יָשֻׁב quoque patet. Reddi ergo debet *spiritus ejus exibit*, & *ipse*, sc. cujus spiritus exiit, *redibit ad terram suam*. Perinde autem est, sive anima rationalis, sive vis vitalis & halitus intelligatur; cui utrique hic locus dari potest. *In terram suam redire* dicitur, quia ex ea sumtus erat; adeoque propria ejus sedes est, *ex pulvere enim sumtus in eum redit homo*. Gen. III. Consequens est, quod pereant *nitores ejus*; in præt. expressum, ut indicetur, eo ipso momento, quo mortuus fuerit, *evanuisse nitores ejus*. h. e. splendidas ejus cum molitiones, seu cogitationes & volitiones, tum fortunas ejus. Radix עשת proprie est *nitere*, serenum esse, unde vox עשת *nitor*, qualis est eboris Cant. v: 14., unde figurate pro *serena* & splendida fortuna; etiam apud Chald. cogitationibus splendidis; in specie benignis & propitiis molitionibus: *nitere* enim erga aliquem est *benignum* esse, sumta notione a coelo *sereno* & nitente. Jon. 1: 6. Cui & hic locus dari potest, cum agatur de *principibus benignis* & *munificis*

§. X. *Quarta* pars, quæ rationes moventes ad Deo fidendum exhibet, *α*. propositionem continet, vers. 5. *β*. ejus deductionem & confirmationem, vers. 6-9. *α*. Propositio est, qua beatus declaratur, qui Deum habet pro patrono, & fiduciæ objecto, vers. 5. *Beatum! cujus patronus est Deus Jacobi; cujusque exspectatio est super Jehova Deo suo*. h. e. ut ad Deum laudandum pro beneficiis acceptis, & ei in posterum fidendum, excitemini, & ab hominibus abstrahamini, advertite, vere beatum & felicem esse eum, cujus adjutor Deus fortis est, Deus ille Jacobi, quique exspectationem suam super Jehova, Deo suo, fundatam habet. *Prius* membrum agit de prærogativa beati, *posterius* de morali ejus qualitate. *Prærogativa* in eo ponitur,

nitur, quod Deum Jacobi habeat pro *patrono suo*: illud enim est בעזרו proprie in *patrocinio* suo, quod idem est, stylo orientali, ac *patrocinium*, & ita patronus: ב enim abundat cum emphasi, ut sæpe observavimus: vid. ad Ps. LIV: 6. *Patrocinium est patronus*, abstr. pro concreto: alias עזר dicitur, quo absolute indicatur *vindex promtissimus*: conf. ad Ps. XXXV: 2. Emphasi quoque non caret titulus *Dei Jacobi*; respicitur enim ad *Goelem*, qui *ipsum ab omni malo liberavit*, Gen. XLVIII: 16. *Posterius* membrum qualitatem moralem viri beati exponit, in eo sitam, quod *Jehovam* pro Deo suo habeat, & objecto spei ac exspectationis: *super Jehova* exspectatio esse dicitur, quatenus *in ipso recumbit*. Quæ notio voculæ על satis nota est.

§. X. β. In propositionis deductione & confirmatione recenset orator varias rationes, quibus probat, beatum illum esse, qui Jehovam habet patronum, & excitat omnes pios ad Deo fidendum, vers. 6-9. *a. Prima* ratio desumta est ab universali Dei dominio & infinita potentia, vers. 6. *qui fecit coelum & terram, mare & omnia, quæ in iis sunt.* h. e. Cum Deus sit creator coeli, terræ, maris & omnium contentorum, facile adparet, beatum esse, qui eo utitur patrono, & recte facere, qui ei fidit, quia omnium dominus est, qua creator, qui omnia habet potestati subjecta, simul potentissimus, qui tanta dedit potentiæ specimina, denique *benevolus* erga omnes, sine discrimine, cum sint *creaturæ* ejus, & omnia tam abundanter in usum hominum instruxerit, qui ergo iis benevult, &c. Nihil hic notandum superest. *b. Secunda* ratio petitur a fidelitate Dei in promissis implendis, ibid. his verbis: *qui servat fidem in æternum.* Præsupponitur, ipsum sese per promissa obstrinxisse hominibus, & adfirmatur, ipsum in iis implendis esse fidelem in perpetuum, sine ulla mutabilitate aut inconstantia, sed semper *eundem*, & *poenitere nescium.* Dedit Deus hanc fidem hominibus in genere, tempore creationis, & lapsus, nec non renovationis mundi post diluvium,

luvium, Abrahamo & ejus ſemini in ſpecie: uti notum eſt. Quæ omnia hic conjungere licet; cum generalis ſit phraſis, & Deo creatori mox ſubjungatur.

§. XI. *c. Tertia* ratio derivatur a variis ſpeciminibus potentiæ, bonitatis & veracitatis Dei in mundi gubernatione, in ſpecie populi Judæi, conſpicuis; quæ recenſentur, verſ. 7-9. 1. *Primum* eſt, quo vim paſſos tuetur & vindicat, tanquam ſupremus judex, verſ. 7. *qui jus facit oppreſſis.* h. e. qui vim & violentiam patiuntur, in libertate, mercede, bonis, aut alio modo violenter oppreſſi, Deum judicem & vindicem conſequuntur; qui eos liberat, & oppreſſores punit. 2. *Secundum* eſt, quo omnibus alimenta ſuppeditat, qui pauperes ſunt & famelici, ibid: *qui dat victum famelicis.* h. e. pauperibus, & quibus neceſſaria ad vitam ſuſtentandam deficiunt, proſpicit, & alimenta ſuppeditat, quocunque etiam modo id faciat, ſubinde miraculoſo. Conf. 1 Sam. II: 5. Pſ. CVII: 5, 9. 3. *Tertium* eſt, quo vinctos liberat ibid. *qui ſolvit vinctos, Jehova eſt.* h. e. Jehova eſt, qui vel bello captos, vel alia ratione violenter in carcerem detruſos, in libertatem adſerit. Uſurpatur enim אסר peculiari uſu quoque de bello captis: *a* 4. *Quartum* eſt, quod coecis viſum reddat, verſ. 8. *Jehova aperit oculos cæcorum*, proprie oculos depreſſos & merſos, & cortice obductos, erumpere, & ita videre facit. Radix עור proprie eſt, in *cavitatem* altius *depreſſus* fuit, ſubſedit oculus, inde *cæcus* eſt, cui viſus veluti merſus, & cortice obductus, ſubſedit; unde etiam eſt מערה *ſpelunca*, & feſtuca, palea Dan. II. *b*. Verbum vero פקח proprie uſurpatur de *flore*, qui incipit erumpere e cortice & calyce, quo involutus erat. Ex quo elegantia phraſios eluceſcit. Poteſt autem & proprie, & figurate capi de ineluctabili calamitate, quæ homini eripit omnem elabendi viam, & reddit plane adtonitum, & emotæ mentis. Conf.

a Schultens ad Job. III: 8. *b* Id. ad Dan. II. & Har. p. 134.


Conf. Jes. L: 10. LVIII: 10. 5. *Quintum*, *Jehova erigit curvatos*, supra ad Ps. CXLV: 14. explicitum est. 6. *Sextum* habet, *Jehova diligit justos*, h. e. veri justi & æqui studiosos, seu pietatis & virtutis ex vero *fidei* & *amoris* Dei principio sectatores, omnis generis *amore* complectitur, iis benefaciendo, & in iis sibi complacendo; nec temporalibus & corporalibus tantum, sed & spiritualibus ac æternis bonis mactando. 7. *Septimum est*, vers. 9. *Jehova conservat peregrinos*, scilicet, in aliena terra, & inter ignotos, degentes, omnique patrocinio destitutos, sed *justos*, & ipsi fidentes. Pergit enim nunc in providentia Dei erga *justos*, ut ex præcedente specimine liquet, & clausula versus manifestum est. Confer etiam Ps. CXLV: 20. 8. *Octavum est*, *pupillum & viduam omni adparatu instruet & ornabit*, scilicet justitiæ amantes; de verbo עוד proprie *numeravit*, inde instruxit omni adparatu, dixi ad Ps. XX: 9. 9. *Nonum* & ultimum est, *&*, vel *sed*, *viam improborum subvertet*. h. e. instituta & molimina eorum destruet, & ipsos cum iis. Est enim phrasis dives, quæ & moliminum & ipsorum impiorum denotat subversionem. Vid. ad Ps. I: 6.

§. XII. Ad quæ providentiæ specimina, 1. in genere notandum est, *alia* esse generalia, *alia* specialia: quorum *illa* in genere ad homines, *hæc* in specie ad *justos* & *injustos* spectant; *priora* vers. 7. & 8. recensentur, posteriora vers. 8. fin. & 9., ut ex dictis liquet: plane ut Ps. CXLV. 14—20 habuimus. 2. In specie observari velim, specimina illa, licet per omnia tempora sint edita, & eo scopo etiam hic recenseantur, uti Ps. CXLV; hic tamen præcipue consideranda esse, tanquam quæ partim hoc tempore singulari ratione erant in medio populi Judæi conspicua, partim majore adhuc emphasi progressu temporis demonstrarentur; adeo ut materiam & rationem Deum laudandi & ei fidendi præbeant populo Dei hujus temporis aptissimam & uberrimam; quippe ea signa & effecta, uti olim, ita nunc experto, & postea magis ex-

pertùrò sub Messia. Quo oculo si considerentur hæc specimina, ratio adparet, quare hic locum habeant, ubi populus Tsioneus excitatur ad Deum laudandum, & ei fidendum, nec non quare subjungatur, *Jehovam Deum Tsionis regnare*, & quidem in perpetuum; cujus regni itaque signa sunt & effecta in medio populi Judæi; sicut nunc erectum erat, & postea majore emphasi sub Messia locum haberet. Ex qua hypothesi specimina illa referre quoque licet ad Messiam, ejusque regnum, eaque partim litteraliter, partim figurate & mystice, exponere. Imo ipse Messias inter homines versatus ea maximam partem præstitit, etiam litteraliter, ut *familicos* cibare, *oculos cæcorum* aperire, & *curvatos* erigere; uti ex Euangelio constat: quod ne negligeremus, poeta videtur expressam fecisse mentionem miraculosæ *apertionis oculorum*, cujus nullum aliud in Script. exstat indicium. Sed in *regno Messiæ* cuncta illa summa emphasi, & sensu spirituali, conspicua sunt. Vid. Jes. XXXV & LXI. & ibi Cl. Comment. ne alia loca proferam. Denique non abhorret, communis gubernationis mundi, & specialis Ecclesiæ, cum Judaicæ, tum Christianæ, specimina secum permisceri, & junctim proferri; cujus egregium exstat exemplum in Ps. CVII. secundum nostram hypothesin, & explicationem. Ceterum, qua ratione illa specimina sint ad Ecclesiam Maccabaicam & Christianam adplicanda, cujusque meditationi relinquo; cum res non sit difficilis.

§ XIII. *Quinta* & ultima Ps. pars, quæ, per modum conclusionis, consolatoriam prædictionem regni Dei, duraturi in æternum, continet, ita sonat vers. 10 *Regnabit Jehova in æternum, Deus tuus, o Tsion, in generationem & generationem.* Quæ pro hypothesi habent, Deum regnare in Tsione, & eo tendunt, ut populus Dei certior fiat de regni ejus perpetuitate, non tam opposite ad regna mundi instabilia, & interire solita, quam ad spem piorum firmandam de regno Dei in Messia consummando, & in

in æternum duraturo, nec non ſpeciminibus, modo memoratis, in poſterum quoque, imo illuſtriore modo, repræſentandis, ut eo magis excitentur pii ad Deum laudandum, & ei fidendum. Quæ uberiore explicatione non indigent. De regno Dei in Eccleſia Maccabaica, ejusque perfectione & perpetuitate in Meſſia, prolixe diſſerui ad *Danielem*.





PSALM. CXLVII.

1. *Halleluia! Laudate Jah, quia bonus est, canite Deo nostro, quia amoenus est; decora est laudatio.*
2. *Aedificat Hierosolymam Jehova, disjectos Israelis colligit.*
3. *Qui resarcit fractos corde, & obligat dolores ipsorum.*
4. *Definit numerum stellarum, omnes nominibus suis adpellat.*
5. *Magnus est Dominus noster, & spissus robore, intelligentiæ ejus non est calculatio.*
6. *Instruit & ornat mansuetos & humiles Jehova, humiliat, & deprimit, inprobos ad terram.*
7. *Respondete*, vel *alternis canite, Jehovæ cum celebratione, cantate Deo nostro cithara.*
8. *Qui obtegit coelum nubibus, subsidere facit pluviam in terram, germinare facit montes herbam virentem.*
9. *Dat jumento victum suum, pullis corvi, cum crocitaverint.*
10. *Nec robore equi delectatur, nec in cruribus viri acquiescit.*
11. *Complacet sibi Jehova in timentibus sui, patienter exspectantibus benignitatem ejus.*
12. *Celebra Jehovam Hierosolyma, lauda cum vibratione Deum tuum Tsion!*

13. Qui

13. *Qui firmavit vectes portarum tuarum, benedixit filiis tuis in medio tui.*
14. *Qui posuit firmiter ipsam pacem limites tuos, adipe tritici satiabit te.*
15. *Qui dictum suum mittit in terram, quam citissime currit verbum ejus*, vel *cujus verbum citissime currit.*
16. *Qui dat nivem sicut lanam, pruinam instar cineris spargit.*
17. *Mittit glaciem suam ligamina, coram frigore ejus quis consistet?*
18. *Verbum suum mittit, & liquefacit ea, perflare facit ventum suum, fluunt aquae.*
19. *Ante oculos clare posuit verbum*, vel *verba sua, Jacobo, statuta & jura sua Israeli.*
20. *Non sic fecit omni*, vel *ulli, genti, &*, vel *etiam, jura, quae non noverunt.*

PROLEGOMENA.

ARgumentum Ps. est adhortatio Judæorum, qui Hierosolymam pro metropoli habebant in terra Cananæa, in specie incolarum Hierosolymæ, ad Jehovam lætis carminibus publice celebrandum super bonitate & potentia ejus, demonstrata in bonis larga manu collatis in populum & Hierosolymam, quibus populus erat multiplicatus, exules & dispersi recolliguntur, præterea ditatus & omni adparatu instructus, terra ejus fructibus abundabat, denique Hierosolyma firmiter munita, & pacifica ac secura, insuper omne genus bonis copiose mactata, in specie veræ religionis exercitio seu revelatione Dei, seu verbo & lege ejus singulari privilegio supra omnes

 terræ

terræ populos gavisa. Poeta, præmissa generali adhortatione ad Deum laudandum, *quia bonus est & amœnus*, excitat mox Judæos ad id faciendum ex consideratione multiplicationis Hierosolymæ, exulum congregationis, consolationis lugentium, mansuetorum ditationis, impiorum destructionis, & terræ fertilitatis, Deique complacentia in timentibus ejus; quando, ad ipsam Hierosolymam sermone flexo, eam ad Deum suum celebrandum excitat, propter confirmatum, tranquillum, prosperumque statum ejus, in specie privilegium verbi Dei, & veræ religionis exercitium, quod in medio sui habebat; quoque sola in mundo fruebatur.

§. II. Ad *argumenti* conspectum recte intelligendum, notandum est. 1. sermonem adhortatorium dirigi ad Judæos & Hierosolymitanos, non mystice, sed litteraliter intellectos. Cujus indicium est non tantum in eo, quod expresse & nominatim compellentur, & beneficia etiam terrestria tanquam materia & ratio celebrationis memorentur, sed in primis, quod, respectu verbi Dei & religionis, oppositio fiat populi Judæi & reliquarum terræ gentium, & declaretur, soli Israeli hoc bonum contigisse, exclusis gentibus. Quo criterio manifeste ad litteralem populum Judæum, & Hierosolymam restringimur. 2. *Secundus* character ex calamitatis præteritæ vero conspectu, & opposito statu præsente, qui celebrationis materiam constituit, eruendo, desumendus est. Sita fuit illa calamitas non, ut putatur, in totali destructione Hierosolymæ, & populi exilio, proprie sic dicto, sed partim Hierosolymæ vacuitate incolis, & horum dissipatione; quo respicit beneficium *ædificationis* ejus, & disperforum recollectionis, vers. 2, ut suo loco videbimus, partim ejus nudatione a munimentis, ut ex vers. 12. patet, partim privatione fructuum terræ, defectu culturæ, & inopia bonorum ac subsidiorum vitæ, quo respicit beneficium, vers. 8, 9 14. partim continuis motibus bellicis & periculis,

culis, verf. 10, 14. partim infeftatione impiorum five extraneorum five popularium verf. 6. denique partim fingularis prærogativæ populi præ omnibus gentibus in legis & religionis exercitio privatione, verf. 19, 20. 3. *Tertius* character quærendus eft in ftatu felici & pacato, quo Judæi & Hierofolymitani nunc fruebantur per fingularem potentiæ & bonitatis Dei demonftrationem, & excitari debebant ad Deo laudes accinendas. Quæ felicitas in hoc Pf. defcribitur refpectu multiplicationis populi, recollectionis disperforum, confolationis & lætitiæ redditæ, & impiorum repreffionis, verf. 2—6. præterea in terræ cultura, & fertilitate, fructuumque ejus copia, verf. 8, 9. denique Hierofolymæ firma munitione, pace & profperitate, verf. 13, 14. poftremo verbi Dei & religionis reftituto exercitio, verf. 19, 20.

§. III. Quæ fi advertantur, fponte fua fefe adtendenti offeret tempus Maccabaicum fub Simone & Joh. Hyrcano, ethnarchis Judæorum: cui hoc canticum unice convenit, ut nemini non in oculos incurrit. Vulgata quidem eft hypothefis, Pf. ad reduces ab exilio Babylonico, fub Jofua & Zerubbabele, pertinere, uti Gr. & Syr. habet infcriptio, præcipue in eo fundata, ut opinor, quod *ædificationis Hierofolymæ* fiat mentio, verf. 2. & confirmationis *portarum* ejus verf. 13. Sed *pofterius* illud rectius in Nehemiæ tempus quadrat; verum tempori Maccabaico etiam convenit, ut notum: *prius* vero, licet a tempore Maccabaico quoque non abhorreat, cum Hierofolyma fub Antiocho Epiphane varie fuerit defolata, & domus deftructæ fint; male refertur ad ædificiorum ædificationem, cum civium multiplicationem præcipue comprehendat, quæ *ædificationis* nomine nota eft: ut fuo loco patebit. Sunt vero criteria, quæ in ftatum reducum non conveniunt; uti, ne de populi multiplicatione dicam, funt pacis, fecuritatis, impiorum deftructionis, profperitatis, & omnium bonorum abundantiæ: fuit enim

reducum

reducum ſtatus tenuis, pauper, dubius ac turbulentus: ut ex hiſtoria patet. Acquieſcimus itaque in hypotheſi jacta, in quam cuncta conſpirant. Eodem ergo tempore & occaſione hic Pſ. compoſitus eſt, quo ſuperior; eodem quoque *ſcopo:* quare plura non neceſſe eſt addere.

§. IV. Ejusdem etiam eſt *ſtructuræ* & *ſtyli*, cujus præcedens. Sermo exhortatorius continuo ad Judæos & Tſionitas dirigitur, & de Deo in tertia perſona fit ſermo. *Stylus* eſt planus, & facilis; tantum habet deſcriptio operum generalis providentiæ ſimul quid figurati & myſtici, ut ex tractatione liquebit. *Generales* Pſ. partes duæ ſunt, *propoſitio*, & ejus *deductio*. *Prior* occurrit verſ. 1. *poſterior* verſ. 2—20. cujus *duæ* iterum partes ſunt, pro diverſitate perſonarum, ad quas ſermo vertitur. In *priore* fit ad Judæos in genere in Cananæa, per *duos* articulos decurrens, *priorem* verſ. 1—6. *poſteriorem* verſ. 7—11. In *poſteriore* vero ad Hieroſolymitanos verſ. 12—20. Singulæ partes recenſent *beneficia* diſtincta; uti mox patebit.

EXPLICATIO.

§. V. Cum inveſtigatione hypotheſios opus non ſit, Interpretes quoque de tempore Pſ. compoſiti tantum ſecum & nobiscum diſſentiant, de quo modo disputavi; mox ad *explicationem* pergo. *Propoſitio* generalis ita habet verſ. 1. *Laudate Jah*, *quia bonus* eſt, *canite Deo noſtro*, *quia amoenus eſt*, *decora eſt laudatio*. Sic enim cum Coccejo vertenda ſunt verba, & non, ut ſolet, *laudate Jah*, *quia bonum eſt canere Deum noſtrum*, vel Deo noſtro, *quia amoenum eſt*, *decora laus eſt*. Convenit enim noſtra verſio conſtanti Script. uſui, quo, formula hac adhibita, Deus, tanquam bonus & amœnus proponitur, qua talis, laudandus; uti Pſ. CVI: 1. CVII: 1. CXVIII: 1, 29. CXXXV: 3. CXXXVI. & alibi; ſic & טוב ac נעים de Deo conjunguntur Pſ. CXXXV: 3. Abduxit ab hac conſtructione

constructione Interpretes vocabulum זַמְּרָה infin. *canere;* ne de *accentuatione* dicam, huic pravæ structuræ adcommodata a Masorethis, & inde orta, quæ nos non obligat. Infinit. vero זַמְּרָה, si non sit leg. זַמֵּר cum ה paragog., *canere* est pro *canendo canite;* qui satis notus est infin. sensus. Coccejus mavult pro imperat. sing. capere, ut sit *cane* sc. unusquisque vestrum, sed tunc potius per ellipsin non insolitam vocis *animæ*, *anima mea*, uti Ps. CXLVI: 1. Sed prius est facilius. Confirmat præterea nostram versionem, quod tautologiam aliquam sapiat, *bonum est canere*, *suave est*, *decora est laudatio:* quæ vitatur, & oratio rectius fluit ex nostra interpretatione. Ceterum cum de epithetis *boni* & *amoeni*, Deo tributis, dixerim ad Ps. CXXXV: & alibi, epitheton *decori* datum *laudationi* nihil habeat difficilis, nihil addo.

§. VI. In propositionis deductione sermo dirigitur exhortatorius, א. ad Judæos in Cananæa in genere, vers. 2--11. ב. ad Hierosolymitanos in specie, vers. 12--20. א. *Prior* sermo per duos articulos decurrit; quorum *prior* vers. 2--6. *posterior*, vers. 7--11. comprehensus est. *α*. In *priore* pericopa recensentur in principio & fine beneficia in populum Dei nunc collata, & interseritur bonitatis potentiæ & sapientiæ Dei confessio & exaltatio. *a*. *Prima* pars pericopæ memorat, tanquam materiam & rationem laudationis Dei cum gratiarumactione, Hierosolymæ, tanquam metropolios, adeoque populi, tanquam civium ejus, ædificationem, & dispersorum ad eam recollectionem, vers. 2. *Aedificat Hierosolymam Jehova*, *disjectos Israelis colliget*. h. e. argumentum Dei celebrandi habetis uberrimum, quod Deus multiplicat cives Hierosolymæ, & dispersos ad eam congregat, ut unum, & copiosum, constituant populum. *Aedificare* Hierosolymam, hic non est, ut capi solet, urbem dirutam denuo exstruere, licet & illud tempore Maccab. recte possit ex parte adplicari, uti ex historia constat Maccabaica, sed *civibus* replere,

& incolis, qui vel Hierosolymæ habitant, vel eam pro metropoli habent, ubicunque etiam sedes fixerint. Debet enim & potest Hierosolyma considerari, & tanquam *urbs*, & tanquam *metropolis*, cujus omnes Judæi sunt cives. Quem significatum sicut verbum *ædificare* de domo, vel urbe, usurpatum, frequenter habet, uti alibi demonstravi, proxime ad Ps. CXXVII. ita hic omnino debet, cum quod postea, vers. 13., demum de urbis instauratione & munitione agatur, *tum* quod mox collectionis dispersorum ad eam mentio fiat, *tum* quod in fine pericopæ de civium multiplicatorum ditatione agatur, ut mox patebit: accedit, intermediam exaltationem Dei tanquam stellarum numeratoris, eo quoque tendere: ut seq. tractatio docebit. *Dispersorum collectio*, quæ subjungitur, ad civium Hierosolymæ multiplicationem omnino respicit, dicitque, Israelitas, seu dissipatos per calamitatem Epiphanicam, vel in exilio antiquo Babylonico & Assyriaco adhuc degentes, quibus utrisque titulus *disjectorum Israelis* convenit, partim ad sedes suas reversuros, partim in unam civitatem, cujus metropolis est Hierosolyma, redauniendos esse; sicut & nunc factum erat. Conf. Jes. LVII. 8. Mich. IV: 6. & alibi. Beneficium itaque *multiplicationis* populi Judæi, & omnium Israelitarum conjunctio in unam societatem, hic memoratur & extollitur, quo Judæi sub Maccabæis maxime sunt gavisi, ut prædictum erat, Deut. XXX: 5. & alibi. De quo alibi agitur.

§. VII. *b.* Inseritur confessio & exaltatio Dei, qui Hierosolymam ædificat, & dispersos Israelis recolligit, tanquam benefici, potentissimi & sapientissimi Domini & rectoris universi; eo scopo facta, ut Deus supra omnia idola & sic dictos Deos extolleretur, & reip. instauratio ex summa calamitate ipsi, tanquam causæ, adscriberetur, adeoque materia laudationis amplificaretur, populusque eo magis ad Deum laudandum excitaretur, ex consideratione summæ & potentissimæ majestatis ejus; vers. 3-5.

Qui

Qui resarcit fractos corde, & obligat dolores ipsorum: definit numerum stellarum; omnes nominibus suis adpellat: magnus est Dominus noster & spissus robore; intelligentiæ ejus non est numerus. Quibus verbis 1. *duo* continentur specimina bonitatis & potentiæ ac intelligentiæ Dei, 2. elogium Dei, respectu earum perfectionum subjungitur. 1. Specimina sunt, *alterum*, quo summa adfectis & prostratis tristitia opem fert, *alterum* quo sese stellarum dominum demonstrat. *Prius* vers. 3., *resarciens fractos corde & obligans dolores eorum*, Deum sistit tanquam medicum peritissimum & optimum hominum, gravibus malis oppressorum, & profunda tristitia adflictorum: quos ipse a malis & doloribus liberat. Qualem Deus sese in genere quidem hominibus miseris præstat, qui ad ipsum confugiunt, qualiscunque etiam fuerit eorum adflictio, seu corporalis, seu spiritualis, adeoque elogium Dei, tanquam talis, in genere exhibetur; sed in specie sese talem demonstraverat populo Judæo, gravi calamitate presso tempore persecutionis Epiphanicæ; quo digitus hic videtur intendi, ad beneficium *ædificationis Hierosolymæ* illustrandum ac extollendum, quippe in populum valde adflictum, & desperata calamitate oppressum, collatum. Verba & voces nihil habent, quod nos moretur.

§. VIII. *Posterius* specimen Deum repræsentat potentissimum & sapientissimum universi Dominum, qui exercitui coelorum præest, stellarum numerum definiens, & iis ordinem ac munia præscribens, vers. 4. *definit numerum stellarum, omnes nominibus suis adpellat.* h. e. Jehova, qui Hierosolymam ædificat, non est unus e sic dictis Diis, aut exercitus coelestis pars, ut sunt numina gentilium, sed summus dominus & imperator, qui stellarum numerum immensum definivit, & singulis suum ordinem & munus præscripsit, easque, ubi opus fuerit, vocat & excitat, quorsum velit; qui præterea populum suum multiplicat, & illustrem reddit instar stellarum, curatque. Videtur

tur enim poeta eo etiam hic collineare, ut beneficium multiplicationis populi illustret ac extollat, dum Deum tanquam dominum stellarum describit, digito ad promissum Abrahæ factum Gen. xv: 5. intento Conf. Num. xxiii: 10. Ceterum notandum omnino est, Deum hic non describi tanquam qui stellarum numerum, homini innumerabilem, simpliciter cognitum habeat, sed supremum Dominum, & exercitus coelestis imperatorem; qui stellarum numerum definivit, & earum ordinem ac usum dirigit. Quo ipsæ voces haud obscure tendunt. Verbum מנה vera sua potestate valet, *qualitatem* ac *quantitatem* rerum definire, & justis finibus comprehendere, ex primigenia *praecidendi* notione, unde transiit ad præcisam determinationem quantitatis, vel qualitatis; & vertitur *definire* Dan. I: 10. item *praeparare*. Jon. I: 17. IV: 6--8. q. d. præcise isto modo vel tempore sistere; & derivatum מניא pro *fato* usurpatur apud Arab., ac de decretis divinis intelligitur *a*. Altera phrasis, *eas nominatim adpellare*, Deum quoque exhibet supremum earum rectorem, qui singularum proprietates & usus exacte novit, & eas in universi administratione scienter adhibet. Sic & Jes. XL: 26. *Tollite in sublime oculos vestros, & videte quis creaverit ista: qui educit ad numerum exercitum eorum, omnia ea nominatim adpellat, prae multitudine virium & robore potentiae: nullum deficit.* Ubi vid. Cl. Commentator.

§. IX. 2. Quo etiam tendit elogium Dei, quod subjungitur, vers. 5. *Magnus est Dominus noster, multus robore, intelligentiae ejus non est calculatio.* h. e. Dominus noster est summa ac infinita præditus potentia & intelligentia, quæ a nemine percipi aut calculari potest. Nihil hic notandum habeo, præter elegantiam sermonis, qua partes divulsæ sunt, & secum ordinandæ, acsi legeretur, *multus robore & intelligentia*, cujus utriusque nulla est *calculatio*; sic enim מספר recte vertitur, secundum veram ejus emphasin;

a Schultens ad Har. conf. IV. p. 29.

fin; dicit enim *calculare*, & *calculis subductis* concludere, ac distincte per partes enarrare; ut alibi sæpe observavimus. Sensus ergo est, Jehovam esse Deum & Dominum supremum, infinitæ potentiæ & intelligentiæ, &c.

§. X. *c*. Redit poeta ad beneficium in populum Judæum collatum, quo humiles & mansuetos ædificatos instruit omnibus necessariis, ad vitam læte & laute agendam, *impios* vero humiliat, abjectos reddit, ac destruit: sicut sæpe alias, sed hoc tempore in specie fecerat, vers. 6. *Instruit & ornat mansuetos & humiles, Jehova; humiliat & deprimit improbos ad terram.* Quæ etiam nostra non indigent opera. De verbo עוד dixi ad Ps. CXLVI: 9. ubi etiam de impiorum destructione. Verbo notetur, respici ad vers. 2. & ulteriorem *aedificationis* Hierosolymæ hic tradi intellectum, qua domus simul *instruitur* omnibus bonis, & in pace collocatur, inpiis destructoribus repressis. Conf. dicta ad Ps. CXLVI: 9.

§. XI. *β*. *Posterior* pericopa *a*. præmissam habet exhortationem, ad Deum alternis canendum, & celebrandum, vers. 7. *Respondete*, alternis canite, *Jehovae cum celebratione*, *cantate Deo nostro cithara*. h. e. canite Deo laudes, & voce & instrumentis musicis, in choros divisi, qui sibi mutuo respondent: quod est ענה, uti notum & satis observatum est. Cuncta sunt facilia. *b*. Novam continet materiam & rationem laudandi, a generali & speciali providentia, qua omnibus alimenta suppeditat, & pios singulari benevolentia prosequitur, petitam. 1. Ad *generalem* providentiam hæc verba spectant, vers. 8, 9. *qui obtegit coelum nubibus, subsidere facit pluviam in terram, germinare facit montes herbam virentem: dat jumento victum suum, pullis corvi quum crocitaverint.* Quæ satis quoque facilia, et ab aliis illustrata sunt. Tantum notetur, verbo הכין propriam recte aptari potestatem, qua *subsidere* facere, & *profundius demittere* denotat: radix enim כון proprie est, *sidere, desidere, residere*; unde inter alia ad humiliorem et profun-

profundiorem demissionem transiit: quod huc recte quadrat, ut indicetur, pluviam ex alto demitti, et in terræ viscera immitti. Ceterum, sicut Deus hic in genere tanquam universalis promocondus, qui terram reddit fertilem, et hominibus ac bestiis alimenta prospicit, consideratur, opposite ad idola, aut naturam rerum sibi succurrentem, qui sese mundo non reliquit intestatum Act. XIV. conf. Ps. CXLV: 15, 16. et ibi dicta; ita in specie, tanquam qui populo suo hoc tempore omnium rerum abundantiam concesserat, et terram, modo desolatam, et cultura destitutam, reddiderat fertilissimam. Conf. Zach. X: 1.

§. XII. 2. Peculiarem Dei favorem et curam, non erga potentes et bellicosos, sibique fidentes, sed timentes Dei, et a benignitate ejus pendentes, hæc verba exhibent, vers. 10, 11. *nec robore equi delectatur, nec in cruribus viri acquiescit; complacet sibi Jehova in timentibus sui, patienter exspectantibus benignitatem ejus.* h. e. peculiari suo favore et benevolentia complectitur, non fortes et veloces, aut potentes, et strenuos bellatores, ita ut propterea iis omnia ad votum fluant, sed, quam infirmi etiam sint et debiles, solos pios, et Dei benevolentiæ fidentes, ita ut eos tueatur contra fortes et potentes, et iis omnia ex voto succedere faciat. Qualem Deus hoc etiam speciatim tempore sese præstiterat Maccabæis contra potentissimos hostes. Sensus ergo est, 1. robur & strenuitatem a Deo non respici, sed pietatem, 2. salutem & liberationem non a robore bellico, sed Dei timore & fiducia pendere, & exspectandam esse; adeoque 3. non in robore equitatus & peditatus, sed in Deo fiduciam esse collocandam. Vid. Ps. XXXIII: 16-18., & ibi dicta: quare nihil addo, nisi hoc unum, *crura viri* hic significare cum velocitatem, tum fortitudinem ejus, utramque virtutem bellicam.

§. XIII. 3. Exhortatio ad Hierosolymitanos directa, quæ *altera* est deductionis pars, α. proponitur, vers. 12. β. deducitur respectu materiæ & rationis laudandi Jehovam,

vam, verſ. 13-20. α. Ipſa exhortatio ita ſonat, verſ. 12. *Celebra Jehovam Hieroſolyma, lauda cum vibratione Deum tuum Tſion!* h. e. officium Dei laudandi & celebrandi tibi in ſpecie incumbit, Hieroſolyma & Tſion! cujus Deus eſt Jehova, & talis nunc maxime demonſtratur; quare eo ſtrenue defungere. *Hieroſolyma* hic proprie pro urbe, eo nomine nota, ſumenda eſt, & cives, ſeu incolas ejus directe complectitur; qui ad Deum laudandum excitantur, ex conſideratione bonorum, in eam collatorum, quæ mox recenſentur. Epitheton *Tſionis* additur, propter regnum Davidis & Templum Hieroſolymæ; cujus utriusque ſedes erat. Quare vero Gr. & Syr. *novum* hic incipiant Pſ., non liquet; nec ratio eſt dividendi Pſ. in duos; contra, cum *halleluia* non præmittatur, ut in his Pſ. fieri ſolet, merito illa diviſio rejicitur, & textui Maſorethico inhæretur.

§. XIV. β. In materia & ratione Deum laudandi exhibenda poeta in *principio* & *fine* recenſet prærogativas Hieroſolymæ eximias, ſed in *medio* interſerit elogium Dei, tanquam potentiſſimi & verendi rectoris univerſi, plane ut ſupra in *prima* pericopa, verſ. 2-6. habuimus. α. Prima itaque pericopæ pars repræſentat varia bona temporalia & externa in Hieroſolymam collata, firmæ ſcilicet munitionis, copiæ incolarum, pacis & abundantiæ omnium rerum, verſ. 13, 14. *Quia firmavit vectes portarum tuarum, benedixit filiis tuis in medio tui, qui poſuit firmiter ipſam pacem limites tuos, adipe tritici ſatiabit te.* Quatuor memorantur bona temporalia, Hieroſolymæ conceſſa, tanquam totidem ſigna prænuncia, ut hic recte Coccejus, adventus Meſſiæ, 1. *Primum* eſt, firmus & in expugnabilis Hieroſolymæ ſtatus, a munitionibus ſuis non tam, quam Dei tutela repetendus, his verbis: *quia firmavit vectes portarum tuarum.* h. e. munimentis non tantum, ſed & ſua tutela reddidit Hieroſolymam firmiſſimam; uti Jeſ. XXVI: 1. de hoc eodem tempore; *urbs roboris nobis, ſalutem poſuit muros*

ros & antemurale. Conf. etiam Pf. cxxv: 2. & ibi dicta. 2. *Secundum* eft multiplicatio incolarum ejus, his verbis, *benedicit filiis tuis in medio tui.* h. e. incolas tuos fingulari benedictione fefe multiplicare fecit, & urbem replevit civibus. Conf. Zach. II: 8. & ibi Cl. Vitringa, ne nunc alia loca de multiplicatione populi temporibus Maccab. proferam. Supra verf. 2. de populi multiplice numero in genere dixerat, ut ibi vidimus, hic de Hierofolymæ incolis illud in fpecie adfirmat, quare dicit *in medio tui.* Ceterum *benedicere* eo in cafu fignificat fertilitatem & multiplicationem adferre; ut 2 Sam. VI: 12. coll. I Chron. XXVI: 5. Pf. CXXVIII. fed includitur vigens florensque liberorum conditio, uti Pf. CXXXVIII., 3. *Tertium* eft pacificus & tranquillus Hierofolymæ ftatus; *qui pofuit limitem tuum pacem.* h. e. te in pace collocavit usque ad ipfos *limites*, feu urbis, feu dominii ejus, adeoque per totam terram. Quod fæpe a Prophetis de hisce temporibus Maccab. prædictum eft, & ex hiftoria notum. Conf. Zach. VIII: 4. &c. ut & c. IX: 8. 4. *Quartum* eft omnium bonorum abundantia, & lætus ufus, his verbis: *adipe tritici fatiabit te.* h. e. fruges & fructus terræ abundabunt tibi, & iis ad fatietatem usque uteris. Ex. gr. memoratur *triticum*, & quidem præftantiffimum, nomine *adipis* infignitum. In quo nihil eft difficilis. Conf. Deut. XXXII: 14. & ibi dicta, ut & Pf. LXXXI: 17.

§. XV. *b.* Inferitur elogium Dei, quæ *fecunda* pericopæ pars eft, tanquam potentiffimi domini & rectoris univerfi, qui nutu voluntatis omnia quam citiffime peragit in terra, fpecimine producto ex nive, pruina, glacie, & aquarum refolutione; eo fcopo, ut Deus declararetur & celebraretur, tanquam qui fefe toti mundo hac ratione manifeftum fecit, & adorandum ab omnibus terræ incolis exhibet, oppofite ad Israelem, cui infuper fingulare privilegium revelationis fuæ conceffit, ut mox fubjungitur, verf. 19, 20. Indicatur itaque hac pericopa, Deum fefe mundo in genere manifeftaffe per opera providentiæ, ut ipfum

ipſum agnoſcerent omnes, & colerent; adeoque Jehovam, Deum Israelis, eſſe ſolum verum Deum & Dominum, uti ad verſ. 4 & 8. etiam obſervavimus. Continet vero pericopa 1. generalem deſcriptionem potentiſſimæ Dei gubernationis, qua cuncta verbo, ſeu juſſu voluntatis, peragit, verſ. 15. *Qui mittit dictum ſuum in terram, quam citiſſime currit verbum ejus*, vel, per ellipſin אשר, *cujus verbum quam citiſſime currit.* Quorum ſenſus eſt, Deum omnia nutu ſeu juſſu voluntatis agere, & eo emiſſo, ſequi effectum quantocyus ac irreſiſtibiliter. Nihil hic difficile, aut non expeditum ab Interpretibus. *Verbum*, ſeu mandatum Dei conſideratur tanquam miniſter, quaquaverſum citiſſime currens, & effectum ſiſtens potentiſſime.

§. XVI. 2. Speciminis ergo memoratur *nivis*, *pruinæ*, *glaciei*, & ejus *ſolutionis*, mirabilis productio, verſ. 16—18. *Qui dat nivem ſicut lanam, pruinam inſtar cineris ſpargit; mittit glaciem ſuam ligamina, coram frigore ejus quis conſiſtet? mittit verbum ſuum, & liquefacit ea; perflare facit ventum ſuum, fluunt aquæ.* Quæ noſtra vix indigent opera, quare paucis defungar, ſingula membra relegendo. *Dat nivem ſicut lanam* (quippe candido & rutilante colore, floccorum ſpiſſitate & raritate ei ſimilem *a*, terram quoque tegentem & foventem: quæ conjungi poſſunt, licet ad *album colorem* reſpici putet Bochartus *b*. Quam *nivem* cum *dare* Deus dicitur, ſimul tanquam bonum conſideratur, quo terræ fertilitas augetur. Vid. Jeſ. LV: 10.) *pruinam ſicut cinerem ſpargit* (aerem vaporoſum congelatum, terræ & corporibus inſtar linimenti adhæreſcentem, nec favillæ cinericiæ cum fervore micantis abſimilem, quaquaverſum ſpargit. Vox כפור notat *pruinam*, quod terram *illinat*, ſeu perpetuo *linimento* obducat, a כפר proprie *texit illinendo*, inde expiavit, abolevit. Altera vox אפר denotat cinerem, ſeu favillam micantem cum fervore, a rad.,

a De qua comparatione vid. la Cerda ad Virg. G. l. 1. & Weſſeling ad Herodot. l. IV. p. 294. *b* H. p. 1. l. II. c. 45.

quæ dicit, *micuit cum fervore*: quæ ficut litteris prope convenit voci כפר, ita quoque rem denotat, cui apte respondet *pruina*, cum quaquaverfum fpargatur, fplendefcat, & terram linimento obducat, ac foecundet.) *projicit glaciem fuam ligamenta*, vel *ficut* vincula ftringentia per ellipfin litteræ כ, abforptæ, ut fæpe alias, per concurrentiam fequentis. Vox enim eft non פתים *fruftula*, ut vulgo accipitur, cui hic locus non eft commodus, cum non de *grandine*, fed *glacie* agatur, fed כפתים a radice פת *ligavit*, adeo ut glacies dicatur *ligamina*, & *vincula rigidiffima* injicere; uti jam obfervavit Cl. Schultens *a*,) *coram frigore ejus quis confiftet?* (fcilicet per fe, absque ut ligetur, rigefcat, ac pereat, fi intenfius fit frigus, aut nimis diu duret: h. e. tanta eft hominum & animantium imbecillitas, & naturæ rerum debilitas, ut homines aut animantia nec ferre valeant frigus nimium, & perpetuum *b*, nec alimenta haberent, natura rerum ligata & infoecunda facta, quare Deus temperare folet, & ad tempus tantum fævire permittit; fuo tempore ligamenta folvens, & fluida reftituens; uti mox addit) *emittit verbum fuum & liquescere eas facit; perflare facit ventum fuum, fluunt aquæ*, (h. e. ficut Deus frigores ligamenta injicit creaturis, & rebus creatis, ita diffolvit rurfus eodem voluntatis juffu, ventoque flare facto aquas reddit fluentes quaquaverfum. Duo memorat effecta potentiffimi Dei rectoris juffus, *alterum* eft, quo ligamina glaciei liquefcere facit; recte enim relat. adfix. plural. in ימסם refertur ad כפתים *ligamina glaciei*: *alterum* eft, quo aquæ vento concitatæ fluunt. De verbis מסס & נשב nihil moneo, cum nihil difficile habeant.)


§. XVII. *c*. Redit poeta ad beneficia Israelitarum, & memorat fingulare ipfis proprium, nulli genti conceffum, in legislatione divina pofitum, qua Deus, five immediate five

a Ad Job. XXXVIII: 30. & Prov. XX: 4. *b* Vid. Bochius ad h. l. qui hic prolixus eft in teftimoniis & exemplis proferendis.

sive mediate per prophetas, suam voluntatem ipsis manifestavit, & leges dedit bonas, justas & æquas, inter quas sunt, quas nec illi, nec gentes ullæ, noverunt, adeo ut, licet Deus per opera providentiæ sese gentibus in genere manifestaverit, ut modo dictum erat, Israeli longe aliter & in specie, præ reliquis mundi populis. Quod beneficium eo aptius hic memoratur, quod hoc tempore fuerit renovatum & confirmatum, post adflictionem Epiphanicam, & peculiarem contineat materiam ac rationem Deum celebrandi; unde etiam stabilitas felicitatis populi pendebat, si eam legem studiose observarent. Quo etiam tendit monitum Mal. III: 22. de quo in comment. ad Mal. pluribus egi. Verba, quorum nexum & scopum demonstravi, ita habent vers. 19, 20. *Ante oculos clare posuit verbum*, vel *verba sua*, *Jacobo*, *statuta & jura sua Israeli: non fecit sic omni genti*, vel *ulli genti*, *&*, vel etiam, *jura*, *quæ non noverunt*. In quibus nihil est, quod nostram postulat operam, nisi in ultimo membro, minus recte intellecto. Veteres Interpretes Chald., Gr. & Syr., reddiderunt, & *judicia*, vel jura, *non notificavit ipsis*, acsi legissent, םידיע. Quod enim Fesselius a, *transitive* capi posse, *cognoverunt ipsi*, vel ipsa, pro *indicavit ipsis*, adserit, absonum est: nec exempla, quæ profert, ad rem sunt. Sensus non est spernendus, sed, cum præcesserat, *non fecit sic ulli genti*, superfluum foret hoc addere: lectio Masoretica sine necessitate quoque non est deserenda. Vulgo statuitur, sensum esse, *gentes non cognovisse*, vel agnoscere illa statuta & jura: sed 1. phrasis generalior est, quam ut eo sensu capi, aut admitti possit. Negatur enim absolute, gentes *scire statuta* aut *jura*; non habetur *sic* non cognoscunt, aut *illa* jura, sed absolute *non cognoverunt jura*, quod sine restrictione verum non foret, cum τὸ γνωστὸν Θεοῦ ipsis innotuerit, etiam a Deo *manifestatum ipsis* Rom. 1. 10. ne dicam, simul indicari, notitiam horum ju-

a Adv. S. l. 1. c. 2.

rium ad *gentes non perveniſſe*, quod etiam falſum foret. Vid. Deut. IV: 6. Præterea, 2. phraſis proprie habet, *& jura, non cognoverunt ea*, quæ non tam dicit ſimpliciter, *gentes jura non ſciviſſe*, quam *etiam jura* eſſe, quæ *non ſciverunt*. Senſus itaque ex mea eſt opinione inter *jura*, modo memorata, a Deo Iſraeli tradita, abſque ut ita fecerit ulli genti, *talia* etiam eſſe, quæ nemo ſciverit, nec Iſraelitæ nec gentes ullæ; adeoque extolli eo magis privilegium Judæorum, quod Deus non ſimpliciter jura præſcripſerit Iſraeli, ſicut nulli genti fecerat, ſed & talia, quæ antea ignota fuerant, & inuſitata. Cum itaque dixiſſet, Deum ſtatuta & jura ſua Iſraeli promulgaſſe, & tanquam privum privilegium nulli genti conceſſum eſſe conſiderandum; addit, ut magis extollat beneficium, inter ſtatuta quoque & jura talia eſſe, quæ Deus Iſraeli dedit, quorum notitiam & uſum nullus populus habuit, ſive Iſrael, ſive gentes. Qua ratione oratio recte fluit, & privilegium Iſraelis magis celebratur. *Publicavit Jacobo verba ſua ſtatuta & jura ſua Iſraeli, nec ſic fecit ulli genti; ſtatuta etiam*, inquam, *quæ non noverunt*, antea ignota fuerunt & inuſitata aut Iſraeli, aut gentibus: non ergo ab aliis populis deſumta, ſed nova & inaudita.



PSALM.

PSALM. CXLVIII.

1. *Halleluia. Laudate Jebovam de coelis, laudate ipsum in excelsis.*
2. *Laudate Ipsum omnes Angeli ejus, laudate Ipsum omnes exercitus ejus*
3. *Laudate Ipsum Sol & Luna, laudate Ipsum omnes stellæ fulgidæ.*
4. *Laudate Ipsum coeli coelorum, & aquæ, quæ estis desuper coelis.*
5. *Laudabunt nomen Jebovæ, quia ipse præcepit & creata sunt.*
6. *Et stare ea fecit in æternum, in seculum dedit statutum, nec transgredietur.*
7. *Laudate Jebovam de terra, Coeti & universitas abyssorum.*
8. *Ignis & grando, nix & vapor,* vel *pruina, ventus procellosus faciens verbum ejus.*
9. *Montes & omnes colles, arbores frugiferæ & omnes cedri.*
10. *Feræ & omnia jumenta, reptile & aves alatæ.*
11. *Reges terrae & omnes populi, principes & omnes Judices terrae.*
12. *Juvenes & quoque virgines, senes cum pueris.*

 13. *Lau-*

13. *Laudabunt nomen Jehovae, quia nomen ejus est solum sublime, Majestas ejus super terra & coelis.*

14. *Et cornu populi sui extulit, splendorem radiantem piorum suorum omnium filiorum Israelis, populi propinqui sui.*

PROLEGOMENA

§. I.

ARgumentum Ps. est excitatio omnium totius universi creaturarum, cujuscunque naturæ, dignitatis, status & ætatis, coelestium & terrestrium, rationalium & irrationalium, animatarum & inanimatarum, ad Jehovam, Deum Israelis, laudandum, rationibus moventibus munita, respectu *coelestium* a creatione & providentia desumtis, sed *terrestrium*, a suprema Dei celsitudine & majestate nunc demonstrata in terra, supra omne sublime & elatum, populique Israelis elevatione in statum firmum & gloriosum, partim facta, partim facienda. Dirigit poeta primo sermonem exhortatorium ad coelestes creaturas, animatas & inanimatas, Angelos, & exercitus coelestes, solem, lunam, & stellas, coelumque totum in genere, quo omnibus injungit laudationem Jehovæ, tanquam officium ipsis debitum ex consideratione creationis & gubernationis Dei. Deinde sese vertit ad terrestres creaturas, quas sine discrimine omnes recenset, & ad idem officium excitat, ratione ducta ab excellentia Jehovæ, nunc in singularibus judiciis, quibus quicquid sublime erat & superbum depresserat, & populum suum oppressum extulerat in statum sublimem & potentem, summeque gloriosum, magisque deinceps ab hoc tempore extolleret.

§. II. Quod

§. II. Quod *argumentum* ut in vera sua luce collocetur, *duo* notanda sunt: *alterum*, Jehovam hic sisti laudandum, partim tanquam creatorem & rectorem universi, vers. 5, 6. partim tanquam solum excelsum demonstratum in terra, cum per judicia, quibus omne potens & sublime in terra prostituerat, tum per populi sui gloriosam liberationem in statum firmum, prosperum & gloriosum, vers. 13, 14. *alterum*, celsitudinis Jehovæ manifestationem in terra ejus esse naturæ, ut, sicut *coelestes* creaturæ Deum, qua creatorem & rectorem suum, celebrant, & observant, *terrestres* creaturæ omnes rationem habeant propter eam Jehovam laudandi tanquam supremum judicem & servatorem populi sui, non tantum, quod qua creaturæ creatoris sui gloriosam majestatem lubentes agnoscant, sed & inprimis, quod ad eas etiam spectet, & ipsis salutaris sit ea manifestatio, quæ salutem quoque continet omni creaturæ sub coelo destinatam, gentibus æque ac Israelitis. Conf. Ps. CXVII. & ibi dicta. Firmat hanc hypothesin, quod materia & ratio Jehovam ab omnibus creaturis laudandi desumatur etiam ab eo, quod *exaltaverit Deus cornu populi sui Israelis*, vers. 14. ut nexus orationis docet.

§. III. Varia licet sint Oeconom. V. tempora, quibus, idololatria prostituta, Israelis, tanquam populi Dei, prærogativa in lucem protracta, Jehovæ, tanquam solius veri Dei, celsitudo est demonstrata, & Israelis cornu exaltatum, quibus excitari potuit vir aliquis divinus ad hoc canticum exhortatorium, ad omnes creaturas directum, componendum, uti sunt Davidis, Salomonis, Josaphati & Hizkiæ tempora; nullum tamen aptius est *Maccabaico*, quo cuncta illa longe majore emphasi locum habuerunt, &, quod huc inprimis facit, manifestatio celsitudinis Dei in Messia ante fores erat, quando omnes creaturæ ad Jehovam laudandum vocarentur, & sortem haberent in populi Israelis exaltatione. Ejus itaque temporis felicitas, verusque conspectus, quo cum Messiæ oeconomia arcte cohæret,

hæret, virum aliquem divinum excitare potuit ad hoc canticum faciendum; ut facile cernitur. Quare in eo acquiescimus.

§. III. *Scopus* eſt, unde facile de *uſu* conſtat, 1. omnem proſtituere idololatriam, angelos & totam rerum naturam, tanquam *creaturas*, introducendo ad Deum Israelis laudandum obligatas & paratas; ſimul Israelem in fide veri & unius Dei hac ratione confirmare. 2. Chaſidæos in verum intellectum felicitatis temporis præſentis, quo Deus ſeſe ſolum demonſtraverat excelſum, & cornu populi extulerat, ducere, tanquam præparatorii ad converſionem gentium, & oeconomiam Meſſiæ, ejusque emblematis & typi; quando tota rerum natura ad Deum laudandum excitaretur. 3. Eos præterea in fide & ſpe illius temporis confirmare, & ad illud præparare, ut Meſſiam recipiant, præterea excitare ad gentes fide veri Dei imbuendas, iisque exemplum, hoc cantico in ore ſumto, imitandum dare.

§. V. *Structura* cantici eſt plane poetica et enthuſiaſtica, qua poeta, zelo gloriæ Jehovæ, Dei Israelis, nunc manifeſtatæ accenſus, et quaſi extra ſe raptus, Angelos, licet præſtantiores ſe, et per ſe ad Deum glorificandum animatos, præterea ipſa animata et inanima per perſonæ fictionem adloquitur, tanquam ratione prædita, et ad Deum celebrandum ſuper celſitudine nunc demonſtrata excitat. De quo legi meretur Amyraldus *a*. *Stylus* cetera planus eſt, et facilis intellectu. *Partes* Pſ. generales duæ ſunt, pro creaturarum diviſione in *coeleſtes* et *terreſtres*: quarum *altera* continet excitationem *coeleſtium*, ſua propria ratione munitam a creatione et providentia ſumta, verſ. 1–6. *altera* adhortationem *terreſtrium* creaturarum ad idem faciendum, ratione a celſitudine Jehovæ in terra demonſtrata, et populi Israelis exaltatione, petita, verſ. 7–14.

a Ad h. l.

ANACRI-

ANACRISIS.

§. VI. Interpretes passim vel in genere volunt creaturas excitari ad Deum creatorem, rectorem mundi, ac benefactorem populi sui celebrandum, vel in specie ad Messiam regem exaltatum dignis laudibus excipiendum & laudandum; adeoque ad novam Oeconomium directe referunt. Sed ex nostra hypothesi Ps. spectat ad tempora Maccabaica, quibus Deus sese verum & summum Deum luculenter demonstraverat, & populum suum extulerat, verum considerata simul tanquam in Messiæ œconomia consummanda, & cum ea connexa, tanquam scopo, termino & complemento suo. Qui verus est, & notissimus Ecclesiæ Maccabaicæ conspectus. Cum beneficia, in populum Dei collata, hic unice fere, seu præcipue, proferantur tanquam materia & ratio laudationis, a tota rerum natura terrestri faciendæ, facile patet, in generali argumento non esse subsistendum: sed, cum populus Israelis expresse memoretur, & ejus *cornu* dicatur exaltatum, canticum præterea huic populo sit traditum; ab eo discedere fas non est, nec ratio: modo verum temporis istius conspectum, modo memoratum, ex oculis non dimittamus: absque quo esset, excitatio omnium creaturarum ad Deum propterea laudandum multum de vi & emphasi sua perderet: ut ex conspectu argumenti, supra exposito, facile patescit.

EXPLICATIO.

§. VII. In *priore* parte א. exhortatio occurrit vers. 1—4. ב. ratio movens & obligans vers. 5, 6. א. *Exhortatio* dirigitur α. ad cœlorum incolas & contenta vers. 1—3. β. *coelos* ipsos vers. 4. α. Adhortatio ad cœlestes

creaturas *a*. summatim & in genere fit, verf. 1. *b*. Speciatim, coelestibus creaturis recensitis verf. 2. 3. *a*. In genere his verbis, verf. 1. *Laudate Jehovam de coelis, laudate ipsum in excelsis locis*. h. e. Deum Israelis, verum illum & veracem, justum & bonum, coruscis laudibus extollite vos coelicolae in excelsis illis sedibus vestris. *Objectum* laudationis est *Jehova*, adeoque Deus Israelis, a reliquis Diis sic dictis distinctus, qui solus verus Deus est, in dictis & promissis, creaturis suis factis, verax, & constans, in omnibus factis justus & bonus est: quae nominis *Jehova* est nota emphasis, & significatio usitata. Sermo exhortatorius vertitur ad *coelicolas*, qui adpellantur de *coelo*; uti mox verf. 7. de *terra* terrestres creaturae: non enim est epitheton Dei, ut videri possit, & capi posse observat Gejerus, sed *coelicolarum*, ut, quod ipse, se corrigens, addit, ex verf. *7mo* patet, nec emphasin haberet epitheton de Deo intellectum; nec etiam *locus* laudationis, ut Piscatori & aliis visum, acsi esset, de *coelo resonet laudatio* Dei, cum quod locus mox memoretur, *in altis*, tum quod nulla tunc persona adpellaretur, ad quam sermo dirigeretur. *De coelo* itaque sunt *coelicolae*, Deum laudaturi. Est autem locutio elliptica, pro *vos*, vel *qui de coelis* h. e. *coelestes*, uti מ ex מן genitivum format. *a* Imperatur vero ipsis *laudatio*, & quidem *in excelsis* instituenda: quem sensum fundit phrasis, *laudate eum in excelsis*; non Deum qui est in excelsis, nec etiam *vos*, qui ibi estis, sed *laudate in excelsis*. Cum enim modo *coelicolas* compellasset, & nunc alia constructione dicat *in excelsis*, & verbum *laudare* repetat, aptius exponi nequit, quam de *loco* laudationis instituendae, ut Luc. II: vs. 14. *Gloria in excelsis Deo*. Quam apte vero *coelicolis* injungatur laudatio in *excelsis*, ut moneam, opus non est.

§. VIII. *b*. Coe-

a Vid. Bootius anim. I. I. v. c. 1. & Schultens ad Prov. XXVI: 7. addo Jud. XX: 22. Jer. XLVI: 24. Pf. CXXXV: 21.

§. VIII. *b. Coelicolis* in genere memoratis subjungitur eorum specialis recensio, & quidem, .. ratione praeditorum, seu *Angelorum*, vers. 2. *Laudate ipsum omnes Angeli ejus, laudate ipsum omnes exercitus ejus*, h. e. omnes Angeli ministrantes ipsi, & qui exercitum ejus constituunt, laudate ipsum, quippe Dominum & imperatorem vestrum. Conf. Ps. CIII: 20, 21. ubi & verbum *benedicite*, ut hic *laudate*, repetitur, & qui modo *angeli*, mox *exercitus* ejus adpellantur, ut hic. Non itaque *corpora* coelestia per *exercitus* intelliguntur, sed angelorum epitheton aliquod traditur, cum in seq. de exercitu coelesti inanimato demum agatur. Notius autem est epitheton illud, Angelis tributum, quam ut moras injiciat. Ceterum cum *angeli ejus & exercitus ejus* compellantur, indicatur, eos Deum habere pro *domino*, & *imperatore* suo, adeoque ejus jussui esse subjectos, & ad ipsum celebrandum obligatos. 2. *Inanimatorum*, seu corporum coelestium respectu, vers. 3. *Laudate ipsum sol & luna, laudate ipsum omnes stellae fulgidae:* adeoque omnia corpora coelestia, sive sol, sive luna, sive stellae sint, vel propria, vel mutuatitia luce fulgentia: ... enim etiam Lunae & planetis tribuitur, ut Jes. XIII: 10. & Ez. XXXII: 8. Gen. I: 14--17. Ceterum inanimis imperari laudationem per fictionem personae, & ad indicandum, facturα esse id corpora coelestia, si possent, satis tritum est. Addo, simul intendi, ut materiam laudationis praebeant creaturis rationalibus; nec in abusum ab iis rapiantur, ac idololatriam; uti factum est. *Laudate* itaque etiam est, laudationis materia sitis hominibus.

§. IX. *β.* A coelicolis transit poeta ad ipsos coelos, & aquas eorum, seu nubes, vers. 4. *Laudate ipsum coeli coelorum, & aquae, quae estis de super coelis.* h. e. Coeli, & suprema, & infima, eorum pars, adeoque & *supremum* coelum, sedes majestatis Dei & beatitatis Angelorum & hominum, & *inferius*, seu sedes aquarum & meteororum,

 laudent

laudent Deum: ficut Pf. XIX. *coeli enarrant gloriam Dei*, *& opus manuum ejus expanſum.* Notetur tantum 1. *coelos* coelorum eſſe ſupremum coelum, ſtylo Script. Vid. ad Pſ. LXVIII: 30. 2. *aquas ſuper coelis* eſſe, quæ nubibus incluſæ ſunt, & coelo aereo, ſeu expanſo, ſupereminent: uti manifeſtum eſt ex Gen. 1: 8. quo etiam facit, quod השמים iidem coeli ſint, quorum modo facta erat eadem voce mentio, a quibus *coeli* coelorum diſtinguuntur. Errant itaque, qui de aquis ſupra ipſa ſidera cogitant, & eas hinc demonſtrare conantur. Qua ratione vero coelis omnibus injungatur laudatio Jehovæ, ex modo dictis manifeſtum eſt.

§. X. ב. Subjungitur obligatio, & ratio movens coelicolarum ad Deum laudandum, verſ. 5, 6. *Laudabunt nomen Jehovae, quia ipſe præcepit & creata ſunt; & ſtare ea fecit in aeternum; in ſeculum dedit ſtatutum, nec transgredietur.* h. e. Non ſine ratione me coelicolas excitare ad Deum laudandum, hinc facile patet, quod ad id obligati ſint, & etiam vel faciant, vel facerent, ſi poſſent, per creationem & gubernationem Dei: ſunt enim ejus creaturæ, &, in ſublimi ac firma ſtatione poſiti, ab ipſo in perpetuum gubernantur ſecundum certas & inviolabiles leges; qua creaturæ itaque, quæ ab ipſo ſunt, & diriguntur, ad id obligati ſunt, & facient, quantum per naturam poſſunt. Adhortationi ſubjungitur 1. in fut. *laudabunt nomen Jehovæ*, ad indicandum *cum* obligationem, ut ſit idem ac *debebunt*, *tum* ipſum factum, ſed naturæ eorum convenienter; 2. ratio obligationis, & laudationis actualis, a *creatione* & *providentia* petita. Ad *creationem* pertinent verba, *ipſe praecepit & creata ſunt.* h. e. ſolo ejus juſſu exiſtere inceperunt, non ergo a ſe, ſed a Deo ſunt per *creationem.* Sed *providentiam* comprehendunt ſequentia, *& ſtare ea fecit in aeternum*, *in ſeculum dedit ſtatutum*, *& non tranſibit:* quorum prius membrum ad *conſervationem*, poſterius ad *gubernationem* referre licet. *Prius* ita ſonat, *& ſtare ea faciet in aeternum*, ſc. a quo tempore creata ſunt,

funt, confiftere ea fecit, & faciet in æternum. Fut. in ויעמידם cum ו converfivo & præteritum & fut. includit; verbum vero dicit *confiftentiam* firmam, & *ftationem*, in loco & ordine fuo, etiam fublimi, inftar *miniftrorum*, qui verbum feu juffum Dei faciunt. Conf. Pf. CIII: 20 & CIV. Quam fenfus amplitudinem habet verbum עמד: quod proprietatem habet in *fulciendo*, *firmiter fuftentando*, tanquam *palo*, feu columna, inde *confiftere*, *firmiter ftare* a, fumitur quoque pro fummo *culmine* & *faftigio* rei Ecclef. II: 9. Dan. XI: 4. & in *ftatione*, feu *munere*, ftare, feu de *praefecturis* & *imperiis*. Dan. l. c. Mich. V: 3. 1 Sam. XIX: 20. Dan. XII: 1. Job. XXXIV: 24. Pofterius membrum habet, *in feculum legem dedit & non tranfibit*, h. e. & legem quam dedit, non migrabit in feculum. *Lex* denotat normam agendi, fecundum quam angeli & coeleftia corpora effecta edere debent; fic חקים adpellantur etiam leges naturæ Jer. XXXI: 36. Hanc legem Deus *dediffe*, feu fixiffe, & firmiter ftatuiffe, declaratur, ita ut non fit mutaturus aut aboliturus, fed obfervaturus in perpetuum. Solet vox לעולם cum præced. לעד conftrui, fed rectius cum feq. connectitur, ut LXX fecerunt, quia, fi hæ voces jungantur, folet conftanter præmitti לעולם, & fubjungi לעד, & dici, לעולם לעד. Senfus itaque eft, Deum dediffe præceptum in æternum, feu perpetuum, *quod non tranfibit*, fcilicet Deus; licet poffet quoque cum *praecepto* connecti, ut fit, præceptum non *abiturum*, receffurum effe; conf. Jer. XXXI: 36. imo ad coelicolas quoque referri, ut fit, neminem, aut nullum eorum transgreffurum effe. Sed rectius forte ad Deum refertur, *qui legem dedit*, quod fermonis tenori, & ufui Script., quo mox negative, quod modo pofitive, profertur, eft convenientius. Ceterum ejus naturæ & ftatus cum fint angeli, & corpora coeleftia, facile patet, quam vana fit idololatria, qua tanquam *numina* quædam coli folent, & quam apte iis conveniat *laudatio*

a Vid. Schroeder ad Pf. X: 1.

Jehovæ, quamque aptam hominibus præbeant materiam Deum, creatorem & rectorem eorum, celebrandi.

§. XI. In *posteriore* parte, quæ ad terræ & marium contenta spectat, & eodem ordine decurrit, א. adhortatio occurrit, verf. 7–12. α. in genere, verf. 7. his verbis; *laudate Jehovam de terra*, h. e. terricolæ; ut modo *de coelo*, verf. 1. Sed nomine *terrae* etiam maria & aquæ comprehenduntur, adeoque dicit *globum terraqueum*, ex arida & aquis constantem. β. in specie, per terraquei globi contenta eundo, omnia, quæ in terra & aquis sunt, recensentur. *a*. Marium contenta, verf. 7. *ceti* & *universitas abyssorum* h. e. monstra marina quæcunque, & quicquid præterea est in maribus omnibus. Vox תנינים licet in genere monstra, magna & longa, sive marina, sive terrestria, denotet, hic tamen ad *marina* restringenda est; cum mox subjungatur, & *universitas abyssorum*: accedit, Gen. I: 21., quo hic respicitur, eo etiam sensu venire. Radices, תנן, תנה & תנא, quæ ejusdem sunt originis, proprietatem habent in *tendendo*, unde inter alia ad magna, vasta & longe extensa, corpora transfertur. Vid. Schroeder *a*, & Hasæus *b*, qui etiam probat de *crocodilis* sumi, quod & ante ipsum fecit Ludolfus *c*, nec negat Bochartus *d*, licet alibi *e* disputet, *dracones* intelligi. Sed vox generalis est, ut dixi. Additur, *& universitas abyssorum*, ad reliquas omnes creaturas aquarum & marium significandas. Phrasis Hebr. est ambigua, quæ & ipsa maria & contenta eorum complectitur; quæ hic recte conjungimus.

§. XII. *b*. Sequuntur *meteora*, quæ ad terram respiciunt, verf. 8. *Ignis & grando*, *nix* & *vapor*, vel pruina, *ventus procellosus*, *faciens verbum ejus*. Cum meteora distingui soleantia *ignea*, *aquea*, *& aerea*, secundum eam distinctionem voces capi possunt, ita ut *ignis* denotet ignea

a Schroeder Disp. Acad. de voto Jephtæ *b* Hasæus de Leviathane p. 95. *c* Ad Hist. Aeth. p. 159. *d* H. II. l. V. cap. 18. *e* Ib. l. III. c. 14.

nea meteora, tonitru, fulmen & fulgur, *grando*, *nivis* & *vapor*, seu pruina, *aquea*, *ventus procellosus*, vel *procella*, aerea. Ambiguum tantum est in voce קיטר, nec non conjunctione vocum רוח סערה. Vox קיטר potest significare & vaporem, exhalationem fumantem, & aquam congelatam; adeoque & *rorem* & *pruinam*; *ros* enim est fumans terræ & aquarum exhalatio, *pruina* est aqua vincta, & constricta frigore; radix enim קטר & in fumum ac vaporem resolvere denotat, unde pro *suffire*, *suffumigare*, in usu est, & *ligare* ac *constringere*, ut apud Chald. & Arab., cui resp. Hebr. קשר: posteriore notione sumserunt LXX., qui verterunt κρύσταλλος, non adeo absurde, ac Clericus putat, junguntur etiam Ps. CXLVII: 16. *nix* & *pruina*. Voces vero רוח סערה, vel secum construi possunt, ut *ventum procellæ* denotent, vel, quod malim, seorsim capi, pro *vento* & *procella*, seu vento urente & radente, turbine æstu prædito, itineratoribus valde funesto in oriente. Radix enim dici , *arsit*, *aestuavit*. Denique not. est, ultimas voces, *faciens verbum ejus*, ad omnia meteora memorata pertinere; non ad solum *ventum*; ut sit, *unumquodque faciens*; quod est, pro *facientia verbum ejus*, vel jussum, ut Ps. CXLVII. habuimus. LXX ideo reddiderunt, τὰ ποιοῦντα.

§. XIII. *c*. Transit poeta ad partes terræ, & inanimata, quorum memorat arbores frugiferas, & excelsas, seu *cedros*: vers. 9. *Montes & omnes colles*, *arbores frugiferae*, *& omnes cedri*. Quorum, speciminis ergo, ex omnibus inanimatis, terræ contentis, mentio fit, propter summam celsitudinem, firmitatem & commoda, quæ præstant; quibus eadem laudatio Dei incumbit, quæ ceteris omnibus: quod Deus solus sit excelsus, & creator, summusque gubernator omnium. *d*. Pergitur ad animata irrationalia vers. 10. *Ferae & omnia jumenta*, *reptile & aves alatae*. h. e. Feræ & domesticæ bestiæ, minimæque quadrupedum, & insecta, nec non volucres. Hac enim ratione voces

ces ſunt explicandæ; חיה denotat in genere quævis animalia, hic vero *feras* beſtias, a *jumentis* diſtinctas, quæ nomine בהמה veniunt; ut Gen. I I: 24. Vid. Bochartus *a:* רמש autem minoris molis animantia denotat hoc loco, quæ ſeſe *agiliter* movent, ſive currant, ſive repant. Radix enim proprietatem habet *vibrandi*, ſeu cum *vibratione palpitandi:* ſumitur, vel latius pro omni animali, quod vi ſe movendi pollet, vel ſtrictius, ſive pro animatis minoris molis & reptilibus, ut hic, ſive *piscibus* ſe celerrime vibrantibus, uti Pſ. CIV: 25.

§. XIV. *e.* Vertit dein ſeſe ad creaturas rationales in terra, cujuscunque ſtatus & dignitatis, ætatis & ſexus, verſ. 11, 12. *Reges terrae & omnes populi, principes & omnes judices terrae: juvenes & etiam virgines, ſenes cum pueris.* h. e. Rectores & ſubditi omnes, rectoresque cujuscunque ſtatus, ſive reges ſint, ſive principes & imperatores, ſive *judices terrae*, qui jus dicunt, cujuscunque etiam ſexus & ætatis, ſive juvenes ſint, ſive ſenes, ſive pueri, ſive virilis, ſive foeminini ſexus; omnes vos laudate Jehovam, ſupremum regem, & judicem, cujus omnes homines ſunt ſubditi, & hoc reſpectu æquales, eadem omnium eſt ad Deum relatio. Quæ nihil habent difficilis.

§. XV. ג. Sequitur omnium memoratorum obligatio ad Deum laudandum, actu etiam præſtanda laudatio, cum rationibus moventibus & materia laudationis, verſ. 13, 14. *Laudabunt nomen Jehovae, quia nomen ejus eſt ſolum ſublime, majeſtas ejus ſuper terra & coelis; & extulit cornu populi ſui, ſplendorem radiantem piorum ſuorum omnium, filiorum Israelis, populi propinqui ſui.* Quæ *a.* exhibent obligationem ad Jehovam laudandum, ad quod modo excitaverat terræ incolas, ejusque præſtationem actu faciendam ab omnibus, ſi poſſent, vel ſaperent, a multis re vera per orbem, his verbis: *laudabunt nomen Jehovae;* non ut modo, *laudate*, ſed *laudabunt.* h. e. debent, obligati ſunt

a H. p. 1. l. 1. c. 2, 4.

sunt omnes, & facient quoque prout possunt, sive materiam præbendo hominibus id faciendi, sive etiam actu id præstando. Plane uti vers. 5. habuimus. β. Rationem & materiam laudationis repræsentant, eamque *duplicem*, alteram *generaliorem*, alteram specialiorem ad populum Dei pertinentem. *a. Prior* his verbis continetur, *quia excelsum est nomen ejus solum, majestas ejus super terra & coelo.* h. e. Quicquid in terra est, in primis ratione præditum, materiam & rationem habet Jehovam celebrandi, quod ipse sicut supremus est, terrae & coeli Dominus, ita sese talem nunc in terra demonstravit, signa & effecta suarum perfectionum & virtutum dando, quibus nomen suum solum esse excelsum & gloriosum patefecit. Utrumque enim hic adseritur, & Deum solum esse excelsum regem Dominumque coeli ac terræ, & Deum sese talem, cum prostitutione omnis excelsi in terra, præstitisse; uti ex Jes. III: & Jes. XXXIII: 5, 10. ubi de hoc ipso tempore agitur, egregie confirmatur: ubi vid. Cl. Commentator. Quod exiliore & primo sensu fecit illustriore modo, quam antea, temporibus Maccabaicis, quibus judicia exercuit in potentes & excelsos terræ, seseque totius naturæ Dominum potentissimum, justum ac æquum demonstravit, sed sublimiore sensu tempore Messiæ, quando nomen suum summopere exaltavit in Filio suo; uti notum est. Conf. Ps. VIII: 2. & ibi dicta. Nihil hic habeo præterea notandum, nisi *posterioris* membri, *majestas ejus est super terra & coelo*, sensum esse, majestatem Dei, regis & Domini, æque *in terra* esse manifestatam, ac *in coelo*, conf. Ps. VIII: 2. & ibi dicta, & in eo sitam esse *nominis* Dei exaltationem.

§. XVI. *b. Posterior* materia & ratio, ad populum Dei spectans, ita habet, vers. 14. *& extulit cornu populi sui, splendorem radiantem piorum suorum omnium, filiorum Israelis, populi propinqui sui.* h. e. Sicut Deus rationem se celebrandi in orbe præbuit per nominis sui solius ex-

altationem in humiliandis & prosternendis omnibus potentibus & excelsis in terra: ita haud minorem dedit in eo, quod populum Israelis in statu sublimi, glorioso & prospero, collocavit, & gloriationis materiam ei præbuit abundantissimam, eaque ratione demonstravit, Israelem esse populum suum peculiarem, & pios, suique studiosos, sibi curæ cordique esse. Oratio cohæret cum præced. per particulam conjungentem ו, adeoque censenda est, rationem & materiam celebrationis Dei, a tota terra faciendæ, quoque exhibere: est autem ea ratione concinnata, ut 1 beneficium in populum Dei collatum in genere exponat, 2. populum Dei specialius definiat, eum *filios Israelis* adpellando, & *populi propinqui Dei* elogio ornando.

§. XVII. 1. Beneficium his verbis exprimitur, *extulit*, & extollet, *cornu populi sui*, *splendorem radiantem omnium piorum suorum.* Quæ in duo membra sunt dividenda, quorum posterius est prioris explicatio & amplificatio; *prius* enim est *figuratum*, *posterius* magis proprium, & *priori*, eo, quo dixi, scopo, subjunctum: quod enim modo dixerat, *extulit cornu*, illud mox explicat per *splendorem radiantem*, ac gloriabundum; & quos modo *populum Dei* adpellaverat, eos mox *pios ejus omnes* adpellat. *Prius*, figurate expressum, habet, *extulit*, *efferetque cornu populi sui;* fut. enim cum ו conversivo, ut dicitur, præt. & fut. involvit; adeoque indicatur, Deum id fecisse, & facturum esse magis. *Extollere cornu populi*, figurata phrasi, ab animantibus, quorum robur & excellentia est in *cornibus*, desumta, denotat cum robur invictum, quo hostes ferit, dare populo, tum potentem, gloriosum & prosperum, reddere populum, tum denique supremam majestatem in eo erigere. Quæ omnia hoc emblemate comprehensa sunt, uti exposui ad Ps. CXXXII: 17. & Deus Israeli fecit tempore Maccabaico, uti notum, & sæpe a nobis alibi observatum est; sed faceret adhuc illustriore modo in Messia

Messia sub Oeconomia nova, regno spirituali, potentissimo & gloriosissimo ac beato, in Israele condito. Quod verbo tetigisse suffecerit.

§. XVIII. *Posterius*, magis proprie prolatum, hæc verba exhibent, *splendorem radiantem omnium piorum suorum*. Quæ, absolute & sine copula præcedentibus addita, eo, quo dixi, spectant, ut *elatio cornu* explicaretur & illustraretur, tanquam in eo sita, quod pii Dei in splendida fortuna, cum gloriatione conjuncta, sint collocati. Vox itaque תהלה habenda est pro epitheto *cornu* exaltati, ad indicandum, *cornu* esse splendidum & coruscum, & adferre gloriationem; quod eo aptius additur, quia ipsa vox קרן quoque splendorem involvit. De quo pluribus alibi *a* disserui. Alibi habetur *cornu extollere in gloria* Ps. CXII: 9. & cum *lucerna* copulatur Ps. CXXXII: 17. etiam cum הלל Ps. LXXV: 5. ad quæ loca vid. dicta. Vox vero תהלה proprie denotat *splendorem ex alto radiantem*, inde splendidam gloriosam & prosperam conditionem, etiam gloriationem inde ortam. De quo vid. Schroeder *b*. Ceterum *piorum Dei* epitheton, *populo* additum, sicut nos manu quasi ducit ad *Chasidæos*, quo titulo legis & Dei studiosi tempore Maccabaico insigniti sunt, ita significat, beneficium, in populum collatum, ad *pios* illos, & legis studiosos, Deo devotos, proprie pertinere, & in eorum gratiam concessum; sicut & sub Messia tales sunt, qui sortem habent in regno ejus glorioso & beato.

§. XIX. 2. Reliquæ voces *filiorum Israelis*, *populi propinqui sui*, subjunctæ sunt, ad populum Dei & pios ejus ulterius definiendos & describendos, adeo ut de *filiis Israelis*, populo Dei, cogitaremus, & singulare ejus privilegium, nunc maxime in lucem prolatum, quo *populus propinquus* Dei est, ad animum revocaremus. Nihil hic difficilis. *Populus propinquus Dei* est, cui Deus est *propinquus*, Deut. IV: 7. & cujus est, ad Deum adpropinquare in

Iiiii 2 obedien-

a Diss. f. l. I. c. 2. *b* Ad Ps. X.

obedientia, precibus & cultu, cum fiducia exauditionis & benedictionis: qui itaque *Deo* prope est, & cui *Deus*. Conf. Ps. LXXIII: 28. & ibi dicta. Aliud hic non quæro mysterium.

§. XX. Ceterum, cum materia & ratio Deum Israelis a tota terra celebrandi repetatur ab eo, quod Deus nomen suum excelsum fecerit, & populum Israelis in statu firmo, splendido & prospero, posuerit tempore Maccabaico; notandum est, ut vis obligationis toti terræ incumbentis, & ab omnibus incolis præstandæ, elucescat, 1. Jehovam hac ratione factum esse omnibus conspicuum, tanquam solum verum Deum, supremum coeli & terræ Dominum; quo nomine dignus erat, qui laudetur ab omnibus, & solus celebretur. 2. Populum Israelis fuisse publice demonstratum Deo esse gratum, & populum ejus peculiarem; in cujus communione vera felicitas sit quærenda; quo nomine Deus erat celebrandus & colendus ab omnibus, & religio Israelis honoranda per totam terram: quod etiam fieri coepit. Conf. Jes. XXV. & ibi Cl. Commentator. 3. Manifestationem celsitudinis Dei, & exaltationem populi Israelis, tunc factam, arcto nexu cum oeconomia & regno Messiæ cohærere, ut sæpe observavimus, & demonstravimus; cui in emphasi hæc omnia conveniunt, & celsitudo nominis Jehovæ solius, & exaltatio populi Dei, & denique celebratio Dei a tota terra facienda, cum salus ea ad omnes pertineat, & tota rerum natura inde stabilitatem ac consummationem suam accipiat. Quo pertinet, ne alia memorem, quod Ap. V: 13. habetur, *res omnes conditas, quae in coelo sunt, & in terra & sub terra, & quae in iis omnia, audivi dicentes: ei, qui insidet throno, & agno, benedictio, honor gloria & robur in secula seculorum.* Ubi Vid. Cl. Commentator. Nobis dicta sufficiant.

PSALM.



PSALM. CXLIX.

1. *Halleluia. Celebrate Jah, cantate Jehovae canticum novum, laudationem ejus in coetu Chasidaeorum*, seu *piorum.*
2. *Laetabitur Israel in factoribus suis, filii Tsionis choreas ducent in Rege suo.*
3. *Celebrabunt nomen ejus tripudio, tympano & cithara psallent Ipsi.*
4. *Quia gratum habet Jehova populum suum, ornabit humiles salute sua.*
5. *Exultabunt Chasidæi*, seu *pii, in gloria, laeta sonabunt super cubilibus suis.*
6. *Exaltationes Dei in gutture ipsorum, & gladius acutissimus anceps in manu ipsorum est*, eritque.
7. *Ad ultionem agendam in gentes, redargutiones in populos.*
8. *Ad reges eorum vinciendum catenis, & honoratos eorum compedibus ferreis.*
9. *Ad faciendum iis judicium scriptum. Deus Ipse omnium piorum suorum.*

PROLEGOMENA.

§. I.

ARgumentum Pſ. eſt exhortatio, ab oratore aliquo facta, qua populus, & in ſpecie coetus Chaſidæorum, excitatur ad lætum aliquod carmen in laudes Dei canendum, quo, rebus in melius mutari coeptis, & Deo populum ſibi acceptum eſſe demonſtrante, ſpem & exſpectationem feliciorum temporum, quæ inſtabant, lætus & gratulabundus palam proferat, quibus Israelitæ & Tſionitæ lætarentur in factore & rege ſuo, eique læta carmina in ſignum grati animi accinerent, Chaſidæi vero exſultarent in gloria, & ſecure ac quieti jubilarent, poſteaquam judicia Dei in gentes & populos, eorumque reges & principes, eſſent executi, quibus vindicta de iis ſumta eſt, & illi ſubjugati ſunt, ac proſtrati. Poſteaquam poeta exhortationem populi & Chaſidæorum ad novum carmen in laudes Dei canendum præmiſiſſet, argumentum cantici fuſius exponit, quo eos uti velit; in eo ſitum, quod temporum fortunatorum, quæ inſtabant, lineas ducerent, declararentque, Israelem & Tſionitas in Deo factore & rege ſuo eſſe lætaturos, Deum, qui populo ſuam benevolentiam jam demonſtrabat, populum ſalute eſſe honoraturum, Chaſidæos, ſeu pios & ſtrenuos legis & cultus Dei vindices, eſſe in gloria exſultaturos, ac ſecuros jubilaturos; quippe judicia Dei in gentes & populos hoſtiles, quibus ultio de iis ſumeretur, & illi reprimerentur ac ſubjugarentur, exſecuturos, & ſummo decore fulſuros.

§. II. Ad cujus argumenti conſpectum pertinet obſervaſſe 1. Chaſidæos, jam in coetum coactos Hieroſolymis, & populum novis favoris Dei ſignis mactatum, ac in certam ſpem feliciorum temporum erectum, excitari ad carmen

men

men Deo accinendum, carmen *novum* & lætum, verf. 1, 4. in priore membro. 2. Carminis canendi argumentum, quod verf. 2. incipit, ut mox patebit, refpicere ad tempus futurum, fed mox, vel brevi, fecuturum; uti liquet ex verbis fut. temp., adeoque in certæ fpei & exfpectationis teftificationem populo canendum in ore dari. 3. *Felicitatem* illam, quam fefe exfpectare hoc cantico novo declararent, in eo fitam effe, quod α. Israel & Tfionitæ Deum haberent pro rege fuo, in eo lætarentur, & choreas ducerent, gratias acturi pro falute & liberatione, qua ornati erant, verf. 2–4. β. Chafidæi, feu principes populi, gloria & honore coronati, exfultarent & quiete agerent, jubilarentque; eo quod judicia Dei gloriofe & feliciter effent executi in gentes & populos hoftiles, a Deo per fe fuperatos, & fubjugatos. verf. 5--9.

§. III. Quæ fi recte advertantur, nullum tempus huic cantico effe adcommodatius, facile adparebit, eo, quo Judæi per Maccabæos vindicati funt in pleniffimam libertatem & profperitatem fub Simone & Joh. Hyrcano. Quod enim de tempore Davidis, aut ftatu reducum ab exilio Babylonico, cogitant plures Interpretes, illud omnibus partibus non fatisfacit. Tempore Davidis folum Deum non habuerunt regem, nec Chafidæis tribui poteft victoria de populis, quæ Davidi competit; nec vindictæ divinæ ab iis fumtæ tantum gerit confpectum. Alienior multo eft a ftatu reducum fubjugatio populorum hoftilium, & profperitas hic defcripta, ut facile adparet; nec fpes aut exfpectatio, mox futura, reducibus illis in ore ab aliquo propheta commode potuit dari. In tempora Maccab. cuncta aptiffime quadrant, & de illis ubique in verbo prophetico hunc in modum fermo fit; in primis Jef. XXIV, 14, 15, 21-- quo hic cenferi poteft refpici: ut fuo loco patebit. Cum vero canticum, Israeli in ore datum a poeta, felicitatem tanquam futuram & exfpectatam repræfentet; probabile mihi fit, illud Israeli effe tribuendum, quo tempore

re

re res populi coeperunt in melius mutari, seu Hierosolyma a Juda Maccabæo recepta & repurgata est, sacris instauratis: cui cuncta egregie congruunt; quodque confirmatur ex Jes. xxiv: 14, 15. ubi simile fere canticum ab iis eo tempore canendum esse prænunciatur.

§. IV. *Scopus* est, ut facile adparet, populo ejus temporis, quod definivi, formulam in manus dare, secundum quam Deo pro acceptis beneficiis gratias agerent, & spem ac exspectationem ulterioris subjugationis hostium, & felicitatis populi consummandæ per Maccabæos, testificarentur, denique eos in ea spe per hoc canticum, divinitus datum, confirmare; ne animis in posterum despondeant; sed ut in opere suscepto strenue promovendo & patienter pergerent, de felice successu securi.

§. V. Quod ad cantici *structuram* adtinet, notandum est, incipere cum adloquio ad populum, & dein sermonem constanter fieri de populo Israelis in tertia persona. Cujus mutationis personæ aptior nequit reddi ratio, quam, quod vers. 2. carminis novi argumentum a populo adhibendum tradatur; ita ut vers. 1. populus excitetur ad novum canticum canendum; dein ipsum illud canticum, quo uteretur, sequatur. *Stylus* est planus & facilis, nihilque habet singulare. *Partes* Ps. generales duæ sunt, ut ex dictis sponte sua sese offert: quarum *prior* adhortationem continet ad novum canticum Deo canendum in coetu piorum, vers. 1. *posterior* vero ipsum canticum, seu ejus argumentum, vers. 2--9. quod recte in *duas* dividitur pericopas pro diversitate personarum, quarum prosperitas describitur; *prior* pericopa ad totum respicit populum, vers. 2--4. *posterior* ad Chasidæos, tanquam judiciorum Dei executores, vers. 5--9.

ANACRI-

ANACRISIS.

§. VI. Tempore, cui Pſ. recte concinit, definito, ulteriore inveſtigatione hypotheſios ejus explicandi vix opus eſt, cum nihil ab eo tempore alienum hic occurrat: quare Interpretes maximam partem hic conſentiunt, circa tempus compoſiti Pſ. tantum ſecum diſſentientes, & errantes; ut modo vidimus. Sunt tamen, qui regni Meſſiæ lineas hic duci exiſtimant, ſive in genere conſiderati, ſive in fine ſeculorum. Quod poſterius præferendum foret, cum gladius in manu, ad vindictam de gentibus ſumendam, minus conveniat in pios & Chriſtianos, niſi myſtice, ſine ratione, & contra verum orationis tenorem & conſpectum, capiatur pro verbo Dei. Sed nec in Chriſtianos principes, ſub finem œconomiæ novæ, quadrat, quod in genere dicantur de *gentibus* & *populis* vindictam ſumturi, & iis jugum impoſituri. Cum tamen tempus Maccabaicum partim regnum Meſſiæ in genere expinxerit, partim in harmonia fatorum V. & N. T. reſpondeat ultimo tempori regni Chriſti, Pſ. eo ultimo referri patior, modo convenienter naturæ ejus œconomiæ explicetur. Nobis propoſitum eſt ſenſum primum illuſtrare, & ſecundum jactam hypotheſin Pſalmum explicare de tempore Maccabaico; ſenſu ſublimiore cujusque meditationi relicto.

EXPLICATIO.

§. VII. Exhortatio ad novum canticum Deo Iſraelis accinendum in cœtibus piorum, quæ *priorem* Pſ. partem conſtituit, his verbis fit, verſ. 1. *Cantate Jehovæ canticum novum, laudationem ejus in coetu Chaſidæorum.* h. e. cum pii & legis ſtudioſi, ejusque vindices & ſtrenui pro-

pugnatores, conventus publicos instituere possint, & agant, ac felicissima tempora ante fores sint, qualia, uno forte, alterove excepto, antea non fuerunt; excito vos, ut novum canticum in cœtu vestro Deo ad eum laudandum publice accinatis. Adloquitur poeta, tanquam orator, qui præsens adest, populum, in cœtum coactum, & hortatur ad novum canticum in eo, se præeunte, canendum. Non dicit, in *coetu* vestro, sed *piorum*, seu Chasidæorum, ut indicaret; iis esse acceptum ferendum post Deum, quod in *coetus* coire possint, seu conventus sacros habere publicos; ab iis etiam institutum esse conventum in memoriam *renovationis* sacrorum. *Chasidæi* hic sunt in emphasi sic dicti, qui pietatem in Deum, legem & populum, egregie demonstraverant; quales fuerunt Maccabæi, & eorum socii, eo titulo in historia notissimi. Cani vero cum vult canticum in *coetu* ipsorum, *indicat, coetum* seu conventum sacrum, & solennem, locum rursus habere, & canticum esse publice canendum inter exercitia sacra, in specie forte illo in conventu, sic eximie dicto, quo sacra primum sunt instaurata, qui dein quotannis eodem tempore celebraretur. Quod tempori Ps. compositi recte convenit, & ex historia confirmatur 1 Macc. IV: 54. &c. Denique canticum *novum* adpellatur relate ad circumstantias temporis, & felicitatem singularem, qua populus gaudebat partim, partim gauderet in posterum: quo sensu *novum* adpellatur canticum, ad Salomonis tempora spectans Ps. XXXIII: 3. & CXLIV: 9. ubi vid. dicta. Denique cum dicit, canite *canticum novum Jehovæ laudem ejus*, nihil aliud vult, quam canticum esse *laudatorium*, & in laudes Jehovæ canendum; quod non est difficile.

§. VIII. Ipsum canticum, quod cani vult, א. ad totum populum Israelis & Tsionitarum pertinens, vers. 1-4. α. lætitiam populi, ejusque publicam demonstrationem, in Jehova, formatore & rege suo, secundum certam exspectationem populi futuram, complectitur, vers. 2, 3.

β. ejus

β. ejus rationem & fundamentum verſ. 4. α. Prius his verbis verſ. 2, 3. *Lætabitur Israel* in *factoribus ſuis*, *filii Tſionis choreas ducent in rege ſuo: celebrabunt nomen ejus tripudio, tympano* & *cithara pſallent ipſi.* h. e. Dicite cantico novo, ad quod vos excito, totus populus Israelis, in ſpecie Tſionis incolæ, quæ noſtra eſt exſpectatio: ſumma lætitia ad choreas usque gaudebunt in Jehova formatore ſuo in populum & rege, ejusque communione, favore & cultu, eamque demonſtrabunt ſaltatione & inſtrumentis muſicis ac cantu in honorem nominis ejus. Significatur, tempus inſtare, cujus primordia jam exſtabant, quo Israel & Hieroſolymitani 1. Jehovam, formatorem & regem ſuum ſingulari modo experirentur, ejus, qua talis, favore, patrocinio, ductu, & benedictione fruerentur. 2. Eaque ratione ſumma lætitia, ad exſultationem usque, gaviſuri: denique 3. eam pie, devote, in honorem Dei, quovis modo per tripudia, inſtrumenta muſica, & cantus, demonſtraturi. Nihil hic noſtræ curæ relictum fere eſt; quare uno alterove obſervato defungi potero. 1. *Israel & filii Tſionis* ita diſtingui poſſunt, ut priore titulo Judæi in genere, & poſteriore Hieroſolymitani in ſpecie deſignentur, vel Israelitæ deſcribantur, tanquam omnes Tſionis cives, & qui Hieroſolymis in ſpecie lætitiam ſuam feſtis ſacris demonſtrarent. 2. Jehova adpellatur *factor*, vel, cum reſpectu ad Trinitatem, *factores* populi, ac *rex*, relate ad primam populi inſtitutionem & formationem; quem uſum titulus *factoris* paſſim habet reſpectu populi, ut Deut. XXXII: 6. Pſ. XCV: 6. C: 3. & alibi. Num. plur. ad Trinitatem reſpicere, alibi diſputatum eſt, & probabile factum. 3. In Jehova, qua *factore* & *rege*, lætari cum dicitur populus, indicatur, Deum ſeſe talem nunc præſtitiſſe & præſtare; adeoque populum denuo *formaſſe*, & ejus *regem* eſſe; quod in tempora Maccab. apte quadrat. 4. *Lætari* & *choreas ducere*, quod proprie eſt גיל, dicit lætari ad choreas usque; quod alias dicitur

Kkkkk 2 citur

citur lætari אל גיל *a*. Denique 5! *celebrare Deum* במחול est ſaltatione & *tripudio* id facere; ſicut *tympano* & *citbara* per inſtrumenta muſica; ſolennia lætitiæ & feſtivitatis ſigna.

§. IX. *β. Rationem* & fundamentum hujus lætitiæ, quam populus exſpectabat, hæc verba exhibent, verſ. 4. *Quia gratum babet Jebova populum ſuum, ornabit bumiles ſalute.* h. e. Cum Deus, verax & bonus, populum ſuum acceptum habeat, illudque & nunc, liberationem noſtram auſpicando, demonſtraverit, jure merito exſpectamus perfectam liberationem, & felicitatem, qua humiles & manſuetos nos ornabit; quæ populo ſummam illam adferet lætitiam. Declarant cantatores certam ſuam exſpectationem perfectæ liberationis, mox ſecuturæ, cum dicunt, *ornabit bumiles* & *manſuetos ſalute*, ſeu plena eductione ex anguſtiis in liberum ac proſperum ſtatum: quem uſum vox ישועה frequenter habet, ut Pſ. IX: 15. CXVIII: 14. Jeſ. XXXIII: 2. & alibi; & eam felicitatem fore cauſam ſignificant tantæ lætitiæ, modo deſcriptæ. Fundant vero ſuam exſpectationem in eo, quod Jehova *acceptum babeat populum ſuum*. Hunc enim conſpectum habet prius membrum, quo verbo præſ. temp. utuntur, *acceptum babens* populum: uti proprie ſonant. Conſtabat autem de eo ex præteriti temporis multiplicibus ſignis, quibus Deus hoc demonſtraverat; ſed & nunc in præſentia idem fecerat, novo ſpecimine complacentiæ ſuæ dato in primordiis liberationis conceſſis, quando hic Pſ. factus eſt; unde colligebant de futura liberatione perfecta. Ceterum de implemento ſatis conſtat, vel ex 1 Macc. XIV. quod ſolum ſufficit.

§. X. ב. Altera pars cantici, ad Chaſidæos pertinens, א. ſtatum eorum glorioſum, pacificum & ſecurum, quo lætitiæ indulgerent & jubilis, repræſentat, verſ. 5. *Exſultabunt Chaſidæi in gloria, læta ſonabunt ſuper cubilibus ſuis.* h. e. Dei, populi & Eccleſiæ, zelotæ, ac propugnatores

a Schultens ad Job. III: 22.

tores ſtrenui, in ſtatu glorioſo & pacifico ac proſpero lætitiam omni modo, & corpus jactando, & lætas edendo voces, demonſtrabunt. *Chaſidæi* חסידים, ſunt in genere Dei & hominum amantes, Deo & religioni devoti, ac erga homines benefici, in ſpecie principes & ſacerdotes, cauſam Dei & populi ſummo zelo agentes; quales fuerunt David, inde חסיד dictus Pſ. IV: 4. & ſacerdotes eo nomine digni, & חסידים quoque adpellari ſoliti, ut Pſ. CXXXII: 16. in ſpecie Maccabæi, & principes & ſacerdotes ſummi, quorum is titulus eſt proprius, Pſ. CXVI: 15. & alibi, ac in hiſtoria Maccabaica. Qui & hic intelligendi ſunt. De illis prænunciatur, eos in *gloria* futuros, ac ſuper *cubilibus* quieturos, eoque in ſtatu lætitia ſumma eſſe perfundendos, per corporis *agitationem* & *lætas voces* demonſtrari ſolita: quo verba עלז & רנן reſpiciunt; *prius* enim, cui reſpondit עלץ & עלס, proprie dicit *motitationem pedum irrequietam*, ac dein omnem adfectum impatientiorem, qui loco ſtare non permittit, ſed ad jactationem corporis impellit, *poſterius* proprie denotat *tremulum* & *tinnulum ſonare*; a ſono fictum: ut ſæpe alias obſervavimus. In *gloria* autem id facere, eſt in ſtatu glorioſo, & ejus cauſa: ſuper *cubilibus* vero dicit, in ſtatu *ſecuro*, quieto, & proſpero: vid. ad Pſ. III: 6. & IV: 9. De implemento ſub Simone & Hyrcano ſatis conſtat ex hiſtoria, quare nihil addo.

§. XI. β. *Modum* exhibet, quo ad illum ſtatum pervenirent Chaſidæi, & *adjunctum ejus*, in eo ſitum, quod Deum exaltatum proclamarent, & gladium ejus vindicem gererent, quo de populis vicinis vindictam ſumerent, & reges ac principes publice proſtituerent, judiciisque divinis traderent, quibus ſubjugarentur, ſeu delerentur, verſ. 6—9. *Exaltationes Dei in gutture eorum*, & *gladius acutiſſimus anceps in manu ipſorum* eſt, eritque; *ad ultionem agendam in gentes*, *redargutiones in populos*, ad *vinciendum reges eorum catenis*, & *honoratos eorum compedibus ferreis*,

reis, *ad faciendum* iis *judicium scriptum*. Quæ verba, eo, quo dixi, scopo, præcedentibus apte subnexa, *antecedens* continent & *consequens*. *Prius* est, quo exaltationibus Dei & *gladio ejus* forent instructi Chasidæi, de quibus hic agitur, vers. 6. *Exaltationes Dei fortis in gutture ipsorum*, & *gladius anceps in manu ipsorum*. h. e. celsitudinum Dei præcones, & justitiæ ejus executores publici sunt, eruntque, ad id a Deo destinati, & donis necessariis, viribusque instructi. Duo enim de Maccabæis prædicantur, *alterum* est, eos celsitudinum Dei fore proclamatores, *alterum*, justitiæ Dei executores: prius his verbis; *exaltationes Dei fortis in gutture ipsorum*. h. e. Celsissimas Dei perfectiones & virtutes, nomenque ejus solum excelsum, eructabunt & proclamabunt, sicut ex parte fecerunt, ad Deum glorificandum, eique gratias agendas, simul fiduciam suam in Deo & animositatem significandam, nec non palam demonstrandum, se esse eos, per quos Deus sese exaltat & gloriosum præstat. *Exaltationes Dei* sunt cum celsissimæ & gloriosissimæ ejus perfectiones & virtutes, publice manifestatæ, in specie per *aggressus* hostiles, quibus Deus superioribus temporibus hostes populi sui prostravit *a*, sicut vox sumitur Jes. XXXIII: 3. tum earum agnitio & celebratio; prout vox *Dei* vel subjective capitur, vel objective; quod utrumque hic locum habet. Cum vero illæ dicuntur in *gutture ipsorum* esse, significatur, eos Deum, qua talem, ex intimo corde glorificare cum gratiarum actione; simulque publice manifestare & proclamare, quatenus celsitatibus Dei nixi, & eas in ore habentes, opus aggrediuntur, simul eas per opera sua promulgant. *Posterius* hæc verba declarant, & *gladius anceps acutissimus in manu ipsorum*, scilicet gladius *Dei* omnia penetrans: quæ figurata est locutio, qua indicatur, eos esse justitiæ Dei publicos ministros, & judiciorum

a Vid. Rev. Sypkens in Disp. ad V. T. sub Cl. Schroedero p. 29.

ciorum ejus executores; uti ex nexu & serie orationis manifestum est. Cum enim modo *exaltationes* Dei fuerint memoratæ, quas in gutture habebant, & mox judiciorum Dei in populos mentio fiat, *gladius in manu* eorum alius esse nequit ac *Dei*, voce אל repetita. Accedit, parum ad rem facere eos *gladium ancipitem in manu habere*, quod parum aut nihil diceret, nisi de gladio Dei, ipsis in manus dato, intelligatur. Sic Gideon & milites ejus proclamabant, *gladius Dei* & *Gideonis* Jud. VII: 20. Propius accedit Jes. XXVII: 1. *die illa visitabit Jehova gladio suo duro illo, & magno & valido* &c. ubi de eadem re agitur, de qua hic. Epitheton פיפיות, gladio datum, denotat vim ejus penetrantissimam & irresistibilem. Vox denotat *ora*, acies gladii, & in plur. *duas* acies, adeoque gladium ancipitem, sed duplicata ex פיה פיה conflata, ancipitem acutissimum, & penetrantissimum; quæ vis est duplicationis; uti notum. *Gladius Dei* est vindicta divina, cui nihil resistit, publice sumta, & *gladius* in manu Chasidæorum significat, eos esse a Deo ad judicium exsequendum destinatos & aptatos. Sic Ez. XXX: 28. *firmabo brachia regis Babylonis, & dabo gladium meum in manus ejus.* Ex quibus facile patescit, quam male de verbo euangelii, & ejus præconibus, hic cogitetur: *gladius* enim est vindex & ultor, quo de populis & eorum principibus vindicta sumitur, & judicium summi Judicis in eos executioni mandatur: uti mox sequitur.

§. XII. *Consequens* enim, quod mox subjungitur, sententiæ judicialis executionem comprehendit, *cum in* genere in gentes & populos, *tum in* specie in eorum reges & principales. *Prius* his verbis, vers. 7. *Ad faciendam ultionem in gentes, & redargutiones in populos.* h. e. Eo scopo & eo cum effectu gladio Dei armati sunt Chasidæi, ut de gentibus & populis hostilibus vindictam sumant, quæ justitiæ divinæ, & justæ causæ populi Dei clarissimam habet demonstrationem. Membra, elegantiæ

causa

causa divisa, cohærent, & secum connectenda sunt, adeo ut *ultio & coargutiones* copulentur, & *ad gentes ac populos* una adplicentur. *Vindicta* & *coargutiones* itaque est vindicta, quæ simul *arguit*, vel claram adfert demonstrationem judicii Divini in populos, Ecclesiæ Dei hostes ac oppugnatores, quo illi convincantur & pudefiant, populus Dei justificetur & triumphet. *Excandescentiam & coargutiones excandescentiae* eadem ratione conjungit & adpellat Ez. v: 15. Radix יכח proprie est, *candicavit*, in Hiph. *fecit, ut candicaret aliquid.* h. e. clare rem arguit, evicit, docuit & castigavit ad convictionem. Habuit utique judicium Dei per Maccabæos exercitum hunc conspectum, & *vindictae*, & *convictionis;* causam enim suam, & populi, Deus vindicavit, injuriam populo illatam ultus est, populos clarissime de injustitia Israeli facta, & de veritate Israelis, tanquam populi Dei, & vera religione prædititi, convicit. Sic & alibi *vindicta* adpellatur, uti Ps. LXXIX: 10. Ezech. XXV. 17. notabili in hanc rem loco, ubi hæ ipsæ voces junguntur, & res ipsa exponitur: *& faciam in eos vindictas magnas, in coargutionibus excandescentiae, & cognoscent, me esse Jehovam, qui dedi vindictam meam in eos.* Conf. etiam de coargutionibus, tum factis, Jes. XXV: 7, 8. & ad locum eum Cl. Comment. De *gentibus* & *populis* nihil observo, cum facile sit, intelligi vicinos & hostiles, Syros, Philistæos, Idumæos, Moabitas, Ammonitas, Samaritanos, alios.

§. XIII. *Posterius*, in specie ad reges & principes spectans, ita habet, vers. 8, 9. *Ad vinciendum reges ipsorum catenis, & bonoratos eorum compedibus ferreis, ad faciendum in eos judicium scriptum.* h. e. Reges in specie & principes populorum illorum hanc vindictam experientur per Maccabæos, & propter eos, quatenus sententia Dei judicialis, lata in ipsos, executioni mandabitur, quo palam sunt, tanquam infames & scelerati, traducendi, & mala morte adficiendi. Locutio est figurata, desumta a ministro justitiæ, qui sceleratos capit, & catenis constringit, sententiamque

mortis


mortis in eos latam a judice publice exequitur. Quo sicut omnes phrases ducunt, ita ex eo faciles nanciscitur explicatus epitheton *scripti*, quod *judicio* additur. *Judicium*, sic enim vertenda est vox משפט, & non *jus*, aut institutum, quod huc non quadrat, *judicium*, inquam, *scriptum* dicit sententiam judicialem a judice pronunciatam, & ex scripto legi solitam, uti recte advertit Clericus; adde, *scribere* eo sensu sumi pro sententiam judicialem ferre, & promulgare Job. XIII: 26. *quoniam scribis super me amarores* &c. & *scriptum* Arab. est pro *sententia judiciali* protritum, ut ibi observat Cl. Schultens. Interpretes hic aliena sectantur, quos mitto. Ex quo sponte sua elucescit, quid sibi velit, quod reges & honorati dicantur *catenis & compedibus ferreis vinciendi:* non sunt proprie dictæ *catenæ* & *compedes*, quasi ducerentur in captivitatem; sed locutio est metaph qua tragica sistitur imago, quæ sub catenis nobis sistit caput aliquod noxium, quod divinitus plectendum est in theatro orbis terrarum, ad justitiæ supremæ terrorem hominibus incutiendum: verba fere sunt Cl. Schultens *a*, quibus hæc verba Elihu illustrat, *quod si vincti compedibus, adtineantur funibus adflictionis.* Sensus itaque est, reges & principes populorum illorum per Maccabæos, sive eorum causa, quod populi Dei hostes sese præstiterint, esse in signum justitiæ Dei publice prostituendos, & plectendos. Quo etiam tendit visum Nebucadn., quo *lapidem* vidit de monte excisum, quo regna destructa sunt. De quo pluribus egi in *Diss. ad Dan. visa emblematica.* Egregium in hanc rem est vaticinium Jes. XXIV: 21, 22. *Et futurum est illa die, ut Jehova visitaturus sit super exercitum celsi in celso, & super reges terræ in terra, & congregabuntur congregatione instar vinctorum includendorum carceri, & claudentur in fovea, et post multos dies visitabuntur.* Ubi vid. Cl. Commentator, qui de implemento in regibus Syriæ & consiliariis eorum, ac militiæ præfectis, hic

LIIII bono-

a Ad Job. XXXVI: 8.

honoratis eorum dictis, abunde disseruit; quare nihil addo, nisi idem fatum subiisse reliquos populos vicinos, a Maccabæis subjectos, aut destructos: uti ex Prophetiis, & historia constat.

§. XIV. γ. Subjungitur gloriæ Chasidæorum, in qua exsultarent, cujus acquirendæ modus cum adjuncto ejus erat declaratus, repetitio & amplificatio, vers. 9. his verbis, *decus ipse omnium piorum suorum:* sic enim rectius vertuntur, quam ut vulgo, *decus illud*, quia mox *piorum suorum*, vel *ejus* fit mentio, argumento pronomen הוא ad Deum, cujus laudes hic canuntur, & cujus exaltationes ac gladius in ore & manu Chasidæorum modo memorata erant, pertinere. Continent verba, per modum conclusionis, explicationem *gloriae*, in qua lætabantur, & *exaltationum* Dei, quæ in ore eorum erant, & declarant, gloriam eam in eo esse sitam, quod, rep. & Ecclesia perfecte instaurata, hostibus subjectis aut deletis, Deus ipse sit futurus summum decus majestuosum piorum ejus omnium, quatenus *Rex* eorum gloriosus foret, & gloriam suam cum piis suis communicaret, qui Dei ministri forent, populus *adpropinquationis* ejus Ps. CXLVIII: 14. Concinunt per omnia egregia verba, Jes. XXIV: 23. quibus prophetia de tempore Maccabaico, & hostium subjectione, concluditur; *et pudore suffundetur luna, et pudefiet sol, quia regnat Jehova exercituum in monte Tsionis et Hierosolymae, et coram senioribus suis erit gloria.* Ubi vid. Cl. Vitringa.



PSALM.



PSALM. CL.

1. *Halleluia. Laudate Jah, laudate Deum fortem in sancto ejus. Laudate eum in expanso roboris ejus.*
2. *Laudate Ipsum in heroicis facinoribus ejus, secundum universam multitudinem Majestatis ejus.*
3. *Laudate Ipsum clangore buccinæ, laudate Ipsum nablio & cithara.*
4. *Laudate Ipsum tympano & tripudio; laudate Ipsum chordis & organo amatorio.*
5. *Laudate Ipsum sistris sonoris: laudate Ipsum sistris tremuli & fracti soni.*
6. *Omnis spiritus laudabit Jah. Halleluia!*

PROLEGOMENA.

§. I.

BReviſſimi licet, at adfectuoſiſſimi, cantici argumentum eſt excitatio generalis ad Deum laudandum in coelo, expanſo, & tota terrâ, quibusvis modis, cantu, tripudio, & omne genus organis, ob ſanctitatem, robur, potentiam & magnificam majeſtatem, per totum univerſum conſpicuam. Adhortatio dirigitur ad omnes creaturas in coelo, expanſo, & tota terra, quibus imperatur celebratio Dei, ratione ducta ab ejus ſanctitate, robore, potentia

tia & majestate, clarissime demonstratis in toto universo; eaque omnibus modis possibilibus facienda, voce, saltatione, & organis musicis, quæ hic recensentur: quando per modum conclusionis adseveratur, eam laudationem etiam ab omni anima esse actu instituendam.

§. II. Cum argumentum sit generale, & nullum *temporis* criterium sese offerat, nisi quod præsupponi videatur, laudationem Dei ad omnes homines, sine discrimine, sese extendere, omnibus incumbere, & ab omnibus faciendam esse, recte statuitur, eodem, quo superiores, *tempore* Ps. esse compositum, Maccabaico illo læto & prospero, sed in suo complemento sub oeconomia Nova considerato. Ex qua hypothesi de *scopo* Ps. judicandum est, & explicatio instituenda. Convenit enim superioribus Ps. *Halleluiaticis*, adeoque ei etiam, quæ supra protuli, adplicanda sunt. Dividi potest Ps. in tres partes, pro triplice genere creaturarum, quæ ad Deum laudandum excitantur. Dirigitur enim, ut probabile est, adhortatio, א. ad *coelites* vers. 1. in priore membro. ב. ad *firmamenti* contenta, vers. 1. in posteriore membro. ג. ad *terrestres* creaturas rationales, vers. 2—6. ut ex ultimo versu, & modis celebrationis, inter homines tantum locum habentibus, colligitur.

EXPLICATIO.

§. III. א. *Prius* membrum, vers. 1. ad coelites pertinens, ita sonat: *laudate Deum fortem in sancto ejus*, scilicet, & in sanctuario ejus, & de *sanctitate* ejus, aut summa & sublimissima ejus natura purissima, qua omnibus creatis longe est superior, & ab omni vili longissime sejunctus. Trahit enim vox בקדשו *in sancto ejus* aliquid de ambiguo, cum & *locus*, ubi Deus est, ejusque laudatores sunt, & *materia* ac ratio laudationis, intelligi possit; ut sensus sit, lauda-

laudate Deum, qui in sancto est, vos qui & ibi adestis, super *sanctitate* ejus. Quod ambiguum studio videtur captatum, ut utrumque admittatur. Proprie *sanctitatem* dicit, sed & de *loco* sanctitatis usurpatur Ps. xx: 3. & alibi, nec *locus* excludi potest, cum mox *expansum* subjungatur, tanquam locus laudationis. Pertinet itaque adhortatio ad Angelos & beatos, uti Ps. CXLVIII: 1, 2. & illi compellantur, ut Deum in sanctuario coelesti celebrent super *sanctitate* ejus; uti Jes. VI. fecisse leguntur. *Sanctitas* autem Dei hic in emphasi exprimit sanctissimam ejus, sublimissimam & purissimam, naturam, cujus respectu ne *Angeli* quidem sunt *sancti*, & *puri*, *in oculis ejus*, Job. XXV. Quo sensu adpellatur *sanctus*, quocum nihil est comparandum Jes. XL: 25. ubi vid. Cl. Commentator.

§. IV. ב. Sequitur, vers. 1. *laudate eum in expanso roboris ejus.* h. e. corpora coelestia in expanso, de robore ejus testante, & super robore ejus in eo manifestato, uti Ps. CXLVIII: 3. XIX: 2. *Expansum* est coelum æthereum & aereum, Gen. I. & continet stellas, solem, lunam, planetas & meteora. Expansum *roboris* ejus est, ubi illud ostendit, & quod de eo testatur, Ps. XIX. adeoque insinuatur hoc epitheto addito, hoc ipsum esse materiam & rationem Dei celebrandi: uti modo vidimus ad superius membrum. Idem enim hic est ambiguum, studio captatum, ut utrumque conjungeretur.

§. V. ג. *Tertia* pars pertinet ad creaturas terrestres, quæ α. materiam & rationem laudationis exhibet, vers. 2. *Laudate ipsum in heroicis facinoribus ejus, laudate ipsum secundum universam multitudinem Majestatis ejus.* h. e. pro universa Majestatis amplitudine laudate eum in illustribus facinoribus ejus; seu convenienter summæ majestati ejus laudate facinora ejus heroica inter homines, per totam terram, in naturæ & gratiæ regno conspicua. Jubentur igitur terricolæ Deum laudare super operibus magnificis Providentiæ, idque decenter, & summæ majestati ejus conve-

nienter, adeoque submisse, summe, omnibus viribus corporis & animæ, vere & spiritualiter, non per idola & imagines, aut ritibus carnalibus, sed in *spiritu* & *veritate* Joh. IV. Voces nihil habent impediti.

§. VI. β. Externum modum laudationem exprimendi multiplicem repræsentat, vers. 3—5. *Laudate ipsum clangore buccinæ, laudate ipsum nablio & cithara: laudate ipsum tympano & tripudio, laudate ipsum chordis & organo amatorio; laudate ipsum sistris sonoris, laudate ipsum sistris tremuli & fracti soni.* Quorum sensus in genere est, Deum omnibus illis modis & signis, quibus lætitia exprimi, illustres personæ honorari, egregia facinora & accepta bona celebrari solent inter homines, ipsi etiam illi excitari ad præclara facta, esse laudandum. Nihil hic habeo, quod Doctorum, qui in musicis instrumentis veterum operam posuerunt, & Interpretum observationibus addam; quare ad eos remitto. Illud verbo notandum velim, hinc liquere, sermonem nunc verti ad *homines*, quibus illa instrumenta in usu sunt.

§. VII. γ. Extenditur denique hoc officium ad omnes creaturas rationales, seu homines, in terra, simul declaratur, eos officio hoc functuros esse aliquando, vers. 6. *omnis spiritus laudabit Jah.* h. e. debent, & quoque facient, omnes homines, in quibus est *spiritus vitarum*, seu anima rationalis, Deum, perfectionibus suis pulcherrimum, laudare. In voce נשמה respicitur ad primam creationem hominis, Gen. II: 7. qua Deus ipsi inspirasse dicitur נשמת חיים, *spiritum vitarum*. Ex quo ulterius liquet, exhortationem esse ad homines in terra directam, & discrimen hominum, gentium & Judæorum, fore sublatum, quo tempore Deus ita celebraretur; quod perfecte fiet, cum omnia regna facta fuerint *Dei* & *Christi*, & Deus *omnia in omnibus*.

A M E N.

INDEX

INDEX PRÆCIPUORUM LOCORUM S. S.

QUÆ IN HOC COMMENTARIO ILLUSTRANTUR.

INDEX

INDEX PRÆCIPUARUM VOCUM HEBRÆARUM,

QUARUM GENUINA SIGNIFICATIO VEL USUS IN HOC COMMENTARIO EXPONITUR.

א.

אזר propr.

ב.

גלח orig.

riatio·

חפן propr.

ירע fæ-

כ.

כ.

נמב

נעם etiam



עור in

עמל propr.

פתח propr.

Pag.

קרן etiam

שוף propr.

F I N I S.

CORRIGEN-

CORRIGENDA.

Pag.	12	lin. 11 ab inf.	leg.	erga
- -	13	- - 4	leg.	non
- -	33	- - 2	- -	*rectorum*
- -	34	- - 13 ab inf.	leg.	esse
- -	46	- - 26	- -	Ps. CXVIII:
- -	101	- - 3	- -	continent.
- -	208	- - 17	- -	ejus
- -	224	- - 10	- -	rationum
- -	237	- - ultim.	- -	præmisso
- -	335	- - 3	- -	reti
- -	337	- - 30	- -	tutum & liberum
- -	338	- - 28	- -	esse
- -	436	- 2 ab inf.	leg.	Jes. XLVI.
- -	- -	4	- - - -	LI.
- -	439	- - 2 & 5	- -	tum
- -	451	- - 5	- -	*lucernam*
- -	522	- - 4	- -	Hab.
- -	567	- - 22	- -	foris
- -	579	- - 18	- -	rubore
- -	607	- - 29	- -	למוםת
- -	656	- 3, 4	-	ut, nisi Deus
- -	661	- - 14	- -	subjiceret
- -	672	- - 7 ab inf.	leg.	arborem
- -	734	- - 5	- -	penuaria
- -	781	- - penult.	-	כון
- -	798	- - penult.	- -	soleant in